CONFVTATIO CAVILLATIONVM, QVIBVS SACROSANCTVM EVCHARISTIAE SACRAmentum, ab impiis Capernaitis, impeti ſolet, Authore Marco Antonio Conſtantio, Theologo Louanienſi.

de Carthusia hyspalensi

PARISIIS,

Apud Ioannem de Roigny, in via Iacobea ſub inſigni quatuor elementorum.

1552.

Cum priuilegio Regis.

ã ij

Priuilege du Roy.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France, au Preuost de Paris, Bailly de Rouen, Seneschal de Lyon, Grenoble, Thoulouze, Bordeaulx, Poictou, Berry, Champaigne, & Iuge d'Aniou & du Maine: Et à tous noz autres iusticiers & officiers de nostre Royaulme, ou leurs lieutenans, & chacun d'eulx, si comme à luy appartiendra, salut. Receuë auõs l'humble supplication de nostre bien aymé Iehan de Roigny, Libraire iuré en l'Vniuersité de Paris: Contenant que puis aucun temps en ça il a recouuert vn liure intitulé, *Confutatio cauillationum, quibus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, ab impiis Capernaitis impeti solet, authore Marco Antonio Constantio, Theologo Louaniensi.* Lequel liure a esté veu & visité par la Faculté de Theologie de Paris, & referé par les deputez estre bon & Catholicque, & vtile à la Republicque. Lequel ledict suppliant vouldroit voluntiers faire imprimer, vendre, distribuer, & mettre en vente & lumiere: Mais il doubte qu'autres Libraires, Imprimeurs, ou autres personnes le voulsissent pareillement imprimer ou faire imprimer: & par ce moyen seroit frustré de son labeur, fraiz & mises, si par nous ne luy estoit sur ce pourueu de nostre grace, humblement requerant iceluy. Pourquoy nous ces choses considerées, desirans les bonnes Lettres estre promeuës par tout nostre Royaulme, à l'vtilité & condition de noz subiectz, inclinant liberalement à la supplication dudict suppliant, ne voulant le merite de son labeur luy estre tollu, ne le recouurement de ses fraiz & mises luy estre empesché. Pour ces causes auons de nostre grace special audict Iehan de Roigny donné Priuilege, congé, licence & permission d'imprimer ou faire imprimer & mettre en vente ledict liure cy dessus nommé. Et auons faict & faisons deffences à tous Libraires, Imprimeurs, & autres qu'il appartiendra, de non imprimer ou faire imprimer & mettre en vente ledict liure dessus nommé, sans le vouloir & consentement dudict Iehan de Roigny, dedans le terme de six ans consecutifz. Commençant au

iour & dacte que ledict liure sera acheué d'imprimer, sur peine de confiscation desdictz liures, & d'amende arbitraire. De ce faire à vous & a chacun de vous, si comme à luy appartiendra, donnons plain pouoir, commission & auctorité. Mandons & commandons à tous noz iusticiers, officiers, & subiectz de nostre Royaulme, que à vous & a chacũ de vous, en ce faisant soit obey: Car tel est nostre plaisir, Nonobstant quelconques lettres à ce contraires. Donné à Paris le xxx. iour de Iuillet, l'an de grace Mil cinq cens cinquante deux. Et de nostre Regne le sixiesme.

Par le Conseil Molé.

Marcus Antonius Constantius THEOLOGVS LOVANIENSIS, Christiano Lectori. S.

SI quæras vnde tam numerosa argũmentorum cohors quæ mysterii Eucharistici veritatem impetat, respondebo quod Calcidẽsis hospes, qui cœnam splendidam & opiparam multis in speciem ferculis instructam quũ exhiberet, interrogatus vnde illa deliciarum copia: ingenuè confessus est, ex suilla carne constare omnia, quæ callida cocorum ars ita variarat. Et sanè vt suilla caro omniũ ferè crassissima & maximè fatua sit: ita de iis ego responderim argumentis, nihil illis esse aut stolidius, aut magis insipidum, & vna item stultitia, quasi dicas, suilla carne constare omnia: quædam autem illorum speciosiora esse, prout alius alio ingeniosior & callidior inciderat artifex, qui maliciosa calliditate mutarit speciem, effeceritque vt fucus arte adhibitus aliquid veri coloris imitaretur. Qualia sunt cunque respondetur singulis, ex quibus interdum arripitur occasio veritatem etiam catholicam illustrandi, quomodo loci quidam communes proxima pagina annotati indicabunt. Nam vt intelligas, lector, diligentia in hoc maxima adhibita est, vt quod ex patribus ad eorum cauilla diluenda commodum fuerit, huc tibi in medium proferatur. Et omnis noster labor eò incubuit, vt quicquid ab illis sectariis seu arguendo, seu confu-

tando, ſeu denique regulas præſcribendo dictum fuerit, id huc prolatum, & cum veritate collatum cerneres, eiúſque vi confoſſum planè & iugulatum. Qua in re hunc ordinem ſecuti ſumus. Primùm reſpondetur eorum argumentis, ſiue ex arcanis, ſiue prophanis literis, aut etiam Patrum verbis vndecunque petitis. Secundò excutiuntur confictæ ab illis regulæ. Tertiò Solutiones illæ Sectariorum, quibus argumenta quædam catholicorum (quæ ex multis potiſsimum conuellenda delegerant) conantur diluere, refutantur. Quartò quôd in teſtimonia patrum catholicam fidem confitentium cauillantur, perpenſis eorundem patrum verbis & ſententiis conuellitur. Habes ſummam huius operis. Vale.

LOCI COMMVNES PATRVM authoritatibus locupletati.

Confutationes Cauillationum in venerabilis Eucharistiæ sacramenti veritatem.

OBIICITVR PRIMO.

CHRISTVS ASCENDIT AD COELOS, SEdet ad dextram dei patris omnipotentis, inde venturus est iudicare viuos & mortuos: ergo secundum humanam naturam qua ascendit, iam non est in terris, nec erit ante secundum eius aduentum.

RESPONDET CATHOLICVS.

CREDIMVS Christum deum ex deo esse, qui omnia quæcunque vult facit in cœlo & in terra, quíque naturam humanam quam sumpsit ex virgine, morte deuicta in cœlũ euexit, vbi deus & homo vnus Christus sedet ad patris dextrã, inde venturus iudicare viuos & mortuos: atq; hæc illum agere ex beneplacito volũtatis suæ, secundum quam eiusdem voluntatem etiam illud efficitur, vt idem deus & homo sede maiestatis haudquaquam relicta, admirabili corporis & sanguinis sui dispensatione fidelibus ad alimentum in Eucharistiæ sacramẽto, sub visibilibus panis & vini speciebus verè inuisibiliter adsit, non figura & significatione, quod ratione comprehendatur, sed reipsa secundum substantiam, quod sola fides intelligit. Quæ ista tam stupenda ita fieri singula, quoniam cum voluntate eius scripturis testata consentiunt: non debent postea videri nobis cum potentia eiusdem quæ est infinita pugnare, vt ita colligas: sedet ad dextrã patris, ergo nõ est in sacramẽto. Esse enim in cœlo, & in sacramẽto esse, quia se ipsa cõtradictione non perimũt, sed solo existendi modo distinguũtur: nihil prohibet simul consistere vtrũque, nec alterius concessione alterum negare sit necesse. Imò quomodo hæc simul cõfessi sunt sanctissimi ecclesiæ patres, prolatis eorum verbis licebit perspicere. Basilius enim in Liturgia sua sic ait orans: Attende domine Iesu Christe deus noster de sancto tabernaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad eos sanctificãdos *Basilius in Liturgia.*

qui supra cum patre sedes, & hîc inuisibiliter versaris: & dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutum corpus tuum, & preciosum sanguinem, & per nos toti populo. Hæc Basilius. Et totidē verbis orat Chrysostomus in Liturgia sua, sic dicēs: Qui supra vna cum patre sedes, & hîc vnà nobiscum inuisibiliter versaris, dignare potēti manu tua nobis impartiri impollutum corpus tuum & preciosum sanguinem, & per nos toti populo. Et sequitur apud Chrysostomum: Deinde sacerdos adorat & diaconus in eo in quo est loco, ter secretò dicentes: Deus propitius esto mihi peccatori. Et populus similiter omnes cum pietate adorant. Hæc Chrysostomus, qui quatenus ad orationem vult, Christum agnoscit præsentem, quem simul fatetur in cœlis esse, quod & illis verbis loquitur apertiùs: O miraculum, ô dei benignitatem, qui cum patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum accipere ac complecti. Fit autem id nullis prestigiis, sed apertis ac circunspicientibus circunsistentium omnium oculis. num tibi ista contemptu ac despectu esse videtur? Ex iis verbis Chrysostomi vides Christum esse in cœlis, non aliquid afferre probationis ne sit in terris, quum hæ veritates non collidantur. Vnde idem Chrysostomus alludēs ad Heliam, præsentiam carnis Christi in sacramento & in cœlo veram apertissimè demonstrat, sic scribens: Quid igitur si vobis demonstrauero quid aliud quod illo multo maius omnes sacris mysteriis imbuti recipimus? Helias nempe melotem quidem discipulo reliquit, filius autem dei ascendens suā nobis carnem dimisit: sed Helias quidem exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. Quid iis verbis luculentius? vt ostendatur nobis eandem esse carnem in terris quæ cœlum petiit, quam Christus tamen non exuit vt daret. Sed & idem Chrysostomus alio in loco aliis verbis eandem sententiam exprimit, sic scribens: Quod summo honore dignū est, id tibi in terra ostendam. Nam quemadmodum in regiis non parietes, non tectum aureum, sed regium corpus in throno sedens omnium præstantissimum est: ita quoque in cœlis regium corpus quod nunc in terra tibi videndum proponitur, neque angelos, neque archangelos, non cœlos, nō cœlos cœlorum, sed ipsum horum omnium tibi dominum ostēdo. Animaduertis quónam pacto quod omnium maximum est atque

Chrisost. in Liturgia.

Chris. de sacerdotio. li. 3.

Ad populū Antiochenum ho. 2.

Chrys. in epist. 1. cor. 10. hom. 24

præ-

præcipuum, in terra non conſpicaris modo ſed tangis, neque ſolùm tangis ſed comedis, & eo accepto domum redis. Hæc Chryſoſtomus, qui regium corpus quod agnoſcit in cœlis, fatetur proponi videndum in terris, & comedendum adeo, nimirum in ſacramento. Nam quod infideles quidam qui ſupra naturam nihil fieri poſſe credunt, & communibus naturæ legibus omnia metientes, Chriſti corpus quum ſit finitæ naturæ, putant non poſſe eſſe dei virtute in multis locis. Patres catholici contra ſentiunt, nec id ſunt veriti verbis apertè confiteri. Id quod duobus ex Ambroſio teſtimoniis oſtendam, quorum hoc vnum eſt: Vidimus, inquit, principem ſacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerētem pro nobis ſanguinem ſuum, ſequamur vt poſſumus ſacerdotes, vt offeramus pro populo ſacrificium, etſi infirmi meritò tamen honorabiles ſacrificio, quia etſi nunc Chriſtus non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris quando Chriſti corpus offertur. Imò ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium quod offertur. Audis hîc Chriſti corpus offerri in terris, ídque ab ipſo Chriſto, ea ratione quòd ſermone eius ſanctificetur ſacrificium quod offertur, & illud obiter notandũ ſacrificiũ eccleſiæ nõ eſſe gratiarum actionẽ (vt quidã ex figuratoribus volũt) ſed ipſum Chriſti corpus, vnde dicitur ſacrificiũ incruentũ & viuificũ. Sed proferã aliũ Ambroſij locũ in hęc verba: Proinde vnũ eſt hoc ſacrificiũ, alioquin hac ratione quoniã multis in locis offertur multi Chriſti ſunt. nequaquã, ſed vnus vbiq; eſt Chriſtus, & hîc plenus exiſtẽs, et illic plenus, vnũ corpus. Sicut enim qui vbiq; offert vnũ corpus eſt & nõ multa corpora: ita etiam & vnũ ſacrificiũ. Ex iis Ambroſij verbis apparet multis locis vnũ offerri Chriſtũ, vt hîc plenus & ibi ſit plenus confiteri catholicos, & illorum argumenta contemnere, quæ Chriſto eam facultatem adimunt, quaſi non poſsit corpus ſuum integrum pluribus locis ſimul ſiſtere. Conſentiunt iis quę ſcribit Chryſoſtomus, ſic inquiens: Alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt, nequaquam, ſed vnus vbique eſt Chriſtus, & hîc plenus exiſtẽs & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbique offertur vnum corpus eſt & non multa corpora, ita etiam & vnum ſacrificium. Hũc Ambroſij & Chryſoſtomi in verbis & ſententiis ſummũ vt vides conſenſum, imitati ſunt Primaſius, Remigius Re-

Amb. in pſal. 38.

Ambroſ. in epiſt. ad Hebręos. c. 10.

Chryſ. in epiſt. ad He. hom. 17.

mensis & Haymo ac iis quæ sequuntur verbis extulerunt: Et vna est hæc hostia non multæ quum à multis diuersis in locis diuersisq; temporibus offeratur. Apertissimè ergo animaduertēdum est quia diuinitas verbi dei quæ vna est & omnia replet & tota vbique est, ipsa facit vt non sint plura sacrificia, sed vnum, licet à multis offeratur, & sit vnū corpus Christi cum illo quod suscepit in vtero virginali, non multa corpora, nec nunc quidem aliud magnum, aliud minus, aliud hodie, aliud cras offeremus, sed semper idipsum æquā magnitudinem habens. Proinde vnum est hoc sacrificium Christi, non diuersa, sicut illorum erant. Nam si aliter esset quoniam multis in locis offertur, multi essent Christi, quod absit. Vnus ergo vbique est, & hîc plenus existens & illic, plenum vnum corpus vbique habens: & sicut qui vbique offertur vnum corpus est non multa, ita etiam & vnum sacrificium. Hæc verba apertissimè demonstrāt vnum Christi corpus quod ex virgine sumptum est, multis locis simul offerri, ídque fieri diuinitatis Christi potentia, quæ natura vbique tota est, vt non dubitandum sit posse idem corpus quot velit locis sistere, nec à multitudine locorū corpus aut multipliciter augeatur aut minuatur, sed semper sit idē Christus, hîc plenus, & ibi plenus, vt vnum vbique sit sacrificium. Et illud mihi maximè considerandum videtur quod hic affertur ad confirmationem, ista videlicet concedi oportere ne sequatur absurdū multos esse Christos, quoniam multis in locis offertur. Audi figurator, tam certò credebant ij patres verum Christi corpus offerri non figuram, vt in potentia diuinitatis Christi fidem sisterent, quem non dubitabant id posse efficere, ne necesse haberent multos Christos confiteri, quum alioqui si nihil aliud quàm figuram offerri credidissent, facile est vnius Christi innumeras habere & cogitare in pane & vino figuras, quomodo vnius hominis mortalis quum figuras plures pictas aut sculptas videamus, non eò magis hominem ipsum multiplicatum imaginamur. Sed vt ad Christum redeam, vnum & eundem Christum tot figuris & tam variis in veteri lege præfiguratum à figurarum numero multiplicari non dicebant, nec ij Patres si solū Christi figuram credidissent offerri, hæc ita tractassent, vt vbi nihil subesset causæ absurditatem colligerent de multis Christis, quæ à figurarum multitudine non sequitur, sed à veritate corporis oblati

om-

omnino sequitur, nisi quatenus mira dei omnipotẽtia id efficiatur, vt vnum & idem Christi corpus multis in locis offerri posit, ita tamen vt vnus vbique sit Christus. Qua de re quid scriptũ nobis reliquit diuus Bernardus audiamus, qui sic ait: Sed vnde hoc nobis piisime domine, vt nos vermiculi reptantes super faciem terræ, nos inquam qui puluis & cinis sumus, te præsentem habere mereamur præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dextram patris, qui etiam vnius horæ momento ab ortu solis vsque ad occasum, ab aquilone vsque ad austrũ præstò es omnibus, vnus in multis, idem in diuersis locis, vnde hoc inquam? certè nõ ex debito nec ex merito nostro, sed ex voluntate tua & dulcedinis tuæ beneplacito. Parasti enim in dulcedine tua pauperi deus. Et item ex eodem Bernardo illud: Gratulare sponsa, gaude incomparabiliter, præsidentem habes & rectorem sponsum in præsentis exilij militia, pignus habes, arram tenes, quibus fœliciter sponso vniaris in patria gloriosa & amabilis sponsa, in terra sponsum habes in sacramento, in cœlis habitura es sine velamento, & hîc & ibi veritas, sed hîc palliata ibi manifestata. Quàm consonans est hoc & quàm apertum testimonium, vbi omnes ij quasi vno ore confitentur, Christum sedere ad dextram patris, & eodem tempore nobis in sacramento adesse, in cœlo & in terra simul esse, in multis ac diuersis esse locis, & eundem vbique vnum offerri verum ecclesiæ sacrificiũ: atque hæc verbis tam claris efferuntur, vt nullã de figura calumniam admittant. nam in cœlo corporis veritas, & in sacramẽto veritas, hîc palliata ibi manifestata, vt non videam quid posit desiderari locupletius quo figuratores isti ψευδομάρτυρες redarguantur, quos non pudet ineptas istas & cõfictas ex scripturis cauillationes orbi obgannire: Sedet in cœlis, ergo non est in terris. Ibi est, ergo nõ est hîc. Reliquit mundum, ergo non est in sacramento. Tum à natura corporis: Illa est naturæ finitæ, ergo circunscribitur loco, ergo non est in multis locis, interim disimulantes cuius sit corpus, nempe proprium dei cui parent omnia. Cæterùm num ista non refellunt hæc patrum testimonia, vt minimè sit opus amplius iis nugis respondere? Sed tamen non grauabimur quid isti garriãt proferre, & singulis eorum argumentis quantumuis friuolis solutiones ex veritate aptas & solidas subiicere.

Bernardus ser. in cœna domini.

Ser. eodem.

OBIICITVR 2.

CHRISTVS DIXIT, PAVPERES SEMPER *habebitis vobiscum, me autē non semper habebitis: at diuinitas semper nobiscū est: ergo humanitas nō est semper nobiscū. Sed si corpus Christi verè esset in Eucharistia, semper eū haberemus contra ipsius verbum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CHRISTVS in pauperibus notauit euentum, non imposuit necessitatem, imò ne pauperes omnino essent edita charitatis lege videtur à suis exegisse. Sed præuidebat futurum, vbi abundaret iniquitas refrigesceret charitas, & rerum fluxarum conditione ita ferēte, nunquam defuturos qui egerent, vt illud (semper) cōtinuam exorientium pauperum segetē, sanè quàm miseram designaret. Atque huic perpetuę pauperū præsentiæ œconomiæ suæ rationem opponit, secundum quam modicum & iterum modicum essent visuri eū iam rediturum ad patrem, nec semper habituri ad instar pauperum præsentem, quem intueri, alloqui, tractare ad terrenæ cōuersationis modum possent, illi vt pauperibus humanitatis officia exhibituri. Quinimo si Christum similiter vt pauperes semper habituri essent, haberent etiam inuiti, (quod in pauperibus accidit) nunquam ille terras relinqueret, nunquam moreretur, nos nunquam redimeret. Sed me, inquit Christus, non semper habebitis, quam sermonis formulā si quis ex argutiis dialecticis vrgeret, illud inferret potius: Nō semper habebitis, ergo aliquando habebitis, interdum habebitis: quum negatio sic collocata præsentiam ipsam non aufert prorsus, sed pręsentiæ frequentiam & perpetuitatem, scilicet iuxta rationem æquipollentiæ, si ex apicibus liberet argutari. Sed istis formulis non subiicitur scriptura diuina, in cuius verbis fidei simplicitas consensum quærit non contentionem. Quum legimus in Paulo illud: Et si Christum nouimus secundum carnem, at iam non nouimus: istā negatiuam ita intelligimus, nō vt omnem extinguat cognitionem, sed tantùm distinguat cognitionis modum. Nam & nunc cognoscimus Christum secundum carnem, confitentes ex fide deū & hominem in cœlis regnantem, & eundem nobis in sacramento verè præsentem, qui noster cognoscendi modus alius est atque illorum fuit, qui Christi visibilem in carne conuersationem familiari con-

2.Cor.5.

suetudine

ſuetudine experti eſſent, ſed cognoſcimus tamen. Nec diſsimiliter de iis Chriſti verbis quæ ab hoc argutatore fidei catholicę obiiciũtur, erit dicendum: Licet non ſemper Chriſtum ad inſtar pauperum habeamus præſentem, ipſaque negatio illum habendi modum adimat: Chriſtum tamen alio habere modo præſentem illis ipſis verbis nihil repugnat, vt eſt habere inuiſibiliter in ſacramento præſentem, qui modus eſt arcanus & ineffabilis ſed verus. Imò ſaluis iſtis Chriſti verbis habemus etiam ſpirituali modo præſentem in natura diuinitatis, quoties piis per gratiam adeſſe dignetur, quemadmodum etiam pollicitus eſt dicens: Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Imò, inquiunt, de diuinitate fatemur, nam illa ſemper nobiſcum eſt. Quid eſt hoc verbi ſemper? Si potentiam diuinitatis ſentiunt frigidũ eſt, ſi ſalutiferam gratiam falſum eſt, quando ſic non omnino ſemper, id eſt abſolutè adeſt, quæ eſt vis verbi ſemper ad pauperes relati. Verùm ita demum adeſt quum oratur, quum petitur, quum flagitatur, quum quæratur & ambiatur, vel vltro accedens non repellatur. Nec quia in ſacramento eſt præſens Chriſti humanitas, eſt igitur dicenda præſens ſemper & abſolutè, quaſi humanitatem Chriſti, ceu pauperes hac ratione ſemper habeamus præſentem: Sed tum demum quum conficitur ſacramentum, quandiu conſeruatur ſuo vſui idoneum, quod licet aſsidua frequentia poſſet continuari, nõ eſt tamen verum ſemper adeſſe actu, quod ſemper vt adſit exigit interpellationem. Atque hæc verboſius, vt videas lector veritatẽ catholicam vi verborũ ſuppoſititia ab iſtis impugnari. Nã alioqui quod ad catholicum verborum Chriſti intellectum attinet, ſufficeret illud ex Auguſtino adduxiſſe, qui in tractatu nonageſimoquinto Euangelij Ioannis ſic ſcribit: Poſtremò ſecũdum hanc iuſtitiam, nunquid dicemus Paulum apoſtolũ nõ fuiſſe iuſtũ, cõfitentẽ ſe Chriſtũ vidiſſe poſt aſcenſionem eius in cœlũ, de quo vtique iam tempore dixerat, iam non videbitis me? nunquid ſecundum hanc iuſtitiam iuſtus, nõ erat glorioſiſsimus Stephanus, qui quum lapidaretur ait: ecce video cœlum apertum, & filium hominis ſtantem ad dextram dei? quid ergo eſt, ad patrem vado, & iam non videbitis me, niſi quomodo ſum, quum vobiſcum ſum? Tunc enim adhuc erat mortalis in ſimilitudine carnis peccati, qui eſurire poterat atque ſitire, fatigari atque dormire. Hũc ergo Chri-

Matth. 28.

Auguſt. in Euang. Io. tract. 95

ſtum

ſtum, id eſt, talem Chriſtum quum tranſiſſet de hoc mundo ad patrem, non erant iam viſuri, & ipſa eſt iuſtitia fidei de qua dicit Apoſtolus. Et ſi noueramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus. Hæc Auguſtinus, qui præſentiam Chriſti & abſentiam diſtinguit præſentiæ & abſentiæ modis, ſecundũ quos rectè accommodatos non eſt abſurdum eundem & præſentem fateri & abſentem.

OBIICITVR 3.

CHRISTVS DIXIT QVOD MVNDVM *relinqueret, & ab Apoſtolis decederet, quod non eſſet verum ſi per tranſubſtantiationem eſſet nobiſcum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CHRISTVS abſoluta in terris legatione ita mundum reliquit, vt nec deſtitueret orphanos, nec vllis promiſsis vnquam deeſſet. Quare finierit licet conuerſationem viſibilem & terrenam, eſt nihilominus ſecundum promiſſa nobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi. Vnde & illud rectè tradit eccleſia, quatenus Chriſtus ſacram illam cœnã vſque in aduentus ſui diem à nobis celebrari iuſſerit, dicens: Hoc facite: eundẽ etiam inuiſibilem ſacerdotem noſtrum inæternum manentem mãdatis ſuis exequendis adeſſe, & nobis ad eundem benignitatis modum quoties cœna celebratur ſe cõmunicare, ſecundum quem in prima illa cœna viſibilis ſe inuiſibilem dabat comedendum, vt eadẽ qua illi eſca frueremur nos, & etiam eodẽ potaremur potu. Quam gratiam dum Chriſtus nobis exhibet, & nobis terræ incolis panis & vini ſubſtantiis mirabiliter mutatis, ſubſtantiam ſui corporis & ſanguinis facit in myſterio ſub illis ſpeciebus præſentem. Non repetit ille mundum quem reliquit, ſed nobis in mundo laborantibus ſuccurrit, & verè eſurientes quemadmodum promiſit reficit, dans ſe cibum totius hominis ſpiritualẽ, in cuius fortitudinis, qui quidẽ dignè veſcuntur, ambulent vſque ad montem dei Oreb, cœleſtem dico montem quem petunt fideles.

OBIICITVR 4.

SCRIPTVRA MEMINIT TANTVM VNIVS *ascensionis & duplicis aduentus, præteriti & futuri. Sed si hæc doctrina esset vera, essent infinitæ ascensiones & descensiones: ergo doctrinam hanc scriptura nescit.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVoniam illud esse Christi in mysterio nobis præsens, nullam loci mutationem efficit, nec terrenæ nobiscũ & visibilis conuersationis speciem: nihil habet hæc in sacraméto præsentia commune cum primo Christi aduentu, quo tempore in terris visus est humilis, nec cum secundo quando videbitur Christus in maiestate gloriosus. Quod autem attinet ad ascensionem, non repetit cœlum Christus videntibus nobis, quomodo eleuatus est semel intuentibus discipulis, qui in sacramento præsens cœlum non deserit, sed quo corpore in cœlo regnat, eodem nos pascit in terris, illud etiã nobis verè exhibens, stupendo certè & ineffabili modo, sed vero. Quæ quũ ita esse & tradat & credat ecclesia catholica, frustra hîc nugatur de multiplicatione aduentuum vel ascensionum, in eandem rationẽ per ignorantiam cogens quæ sunt diuersa.

OBIICITVR 5.

CHRISTVS DIXIT SE VELLE DARE VIcarium *loco sui, nimirum spiritum sanctum, qui non fuisset necessarius si totus Christus quoad diuinitatem & humanitatem adesset. Nam in vnoquoque nostrum quum sit caro & corpus eius per communicationem, & etiam adsit diuinitas: per seipsum agere poterat absque monitore spiritu sancto.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ISTud est diuinorum consiliorum rationem petere potius quàm argumentari, à quo disputatore ego vicissim quærerem, quum Christus diceret: Ecce vobiscũ sum vsque ad consummationem seculi, quur alium mitteret monitorem aut consolatorem? Dixit enim: *Mat.28.*

Ioan.14. rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. Rursum, si dedit *Ioan.20.* spiritum quum insufflaret in discipulos, quomodo postea mittit eũdem spiritum? Ista contẽplantur pij & se facilè expediunt, vnde cõtentione implicati se nequeant euoluere caligantibus in iis veritatis abyssis oculis carnis, nec cernentibus, quum vna sit operatio trinitatis, nobis tamen in personarum varietate eundem exhiberi, Patre authore inspirante spiritu, docuit nos Christus vnus cum vtroque essentia deitatis, & missio spiritus hoc habet mysterij, vt prorsus mortui in Christo per baptismum carni, sola cœlestia & spiritualia sectemur: cuius etiam ipsius magisterij conditio nos admoneret subrogato in Christi absentis vices sancto spiritu qui nos induceret in omnem veritatem. Cæterùm hæc percontatio quæ pro argumento affertur, non magis realem corporis Christi præsentiam, quàm Christi spiritualem impetit: quæ huic percontatori & propter datum & missum spiritum sanctum videretur neganda, quum Christus tamen diceret: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.

OBIICITVR 6.

ANGELVS DIXIT: IESVM QVAERITIS *crucifixum, surrexit non est hîc.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NIHIL hoc angeli responsum ad Eucharistiam. Nam quæ est hæc consecutio: Iesus ibi tum non erat, ergo non est in sacramento? Sentit fortasse illud inferri, ergo non est vbique. nec esse in sacramento est vbique esse, sed vbi Christus vult esse. An quia diutius in sepulchro esse nolebat, vt verè dixerit Angelus: surrexit non est hîc, consequens erit dicere: ergo in sacramento non est, vbi secundum beneplacitum voluntatis se exhibet suis? vel adeò sunt isti inepti vt id colligant: Non est hîc, ergo non potest esse. Arundinea sunt ista & flaccida tela, quæ librata non pertingant quo intendantur vt catholicam de Eucharistia fidem quatiant.

De Lazaro

OBIICITVR 7.

DE LAZARO QVVM DIXISSET CHRIstus: *mortuus est, & gaudeo propter vos vt credatis quoniã nõ eram ibi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CHristus verum corpus humanum assumpsit, & quoniam (vt inquit Paulus) carne & sanguine pueri communicarunt: & ille similiter illis participauit, vt corpus Christi finitæ naturæ quemadmodum nostrum omnino fuerit, secundum quam naturã ibi tantum esset vbi illud stiterat: itaque quum alibi esset Christus, non erat ibi, vt ait scilicet, quia noluit ibi esse. Sed illud quæsierim, vtrum Christus deus quum esset alibi voluisset ibi simul esse, nũ potuisset? Equidem arbitror neminem tam insanum vt ausit negare, quin quod per corporis naturam fieri non posset, diuina tamen virtute etiam natura non destructa (quod quidam quæruntur) sed ea salua & integra fieri posset: præsertim quum deus sit naturæ author, cuius nutui & imperio parent omnia. Christus dixit habere se potestatem animam ponendi & sumendi eam, quod & præstitit, quum tamen à naturę legibus sit alienissimum. Ferunt Platonem interrogatum quid natura esset, respõdisse quod deus vult. Ergo nihil est contra Eucharistiam argumenti, vt quia ibi vbi esse nolebat non fuit, igitur in sacramento non sit vbi se esse velle declarauit.

Heb. 2.

Ioan. 10.

OBIICITVR 8.

DEVS NON HABITAT IN TEMPLIS MAnufactis, *Christus est deus, ergo Christus non est vel habitat vel continetur in pixide super altare. Esaias dicit: Cœlũ est mihi sedes, non pixis. Dauid dicit: Deus noster in cœlo, non in pixide. Christus docuit orare: Pater noster qui es in cœlis, non qui es in pixide.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NEMO catholicus dicit Christum deũ habitare in pixide, sed adesse nobis in sacramẽto, non secundũ sedem habitationis quæ in cœlo est, id est in gloria dei patris, sed secundum dispẽsationem sub illis elemẽtorum speciebus:

quæ quum præſentis corporis ſigna ſint & ſymbola, pixide nõnunquã continentur, vt in loco hoc iuxta naturæ proprietatẽ: Chriſtus verò non vt in loco eſt, ſed vt in ſacramento iuxta myſterij cõditionem. Quare ineptè colligitur ab iſto neſcio quo (indocto certè qui patrem à filio in oratione dominica non diſtinguit) Chriſtum habitare in pixide ex ſententia catholicorum, quẽ confitentur gloriæ ſuæ thronum non eò relinquere ꝙ adeſſe dignetur in ſacramento.

OBIICITVR 9.

SI QVIS VOBIS DIXERIT: ECCE HIC EST *Chriſtus aut illic, nolite credere, ecce prædixi. Si ergo dixerint vobis: ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Hoc pacto præmonuit nos Chriſtus vt caueamus & non credamus illis qui ſuaderent Chriſtum clauſum eſſe in pixide, aut eſſe in hoc altari aut illo.*

RESPONDET CATHOLICVS.

LOCI huius contextus oſtendit de ſecundo aduentu ſenſiſſe Chriſtum, de quo ita voluit præmonere ſuos, vt etiamſi tempora & momenta non diceret, pſeudoprophetas tamen antea exorituros ſignificaret, à quorum mendaciis & præſtigiis vt cauerent, ne abſtrahãtur à vero quod ipſo doctore didicerant, qui palam locutus eſt mũdo, & nihil inquit in occulto ſum locutus, quum illa ſit certa nota pſeudoprophetarum, vt quos fallere conantur ſeorſum auocent, vel in deſertum, vel in penetralia, vt ſecretis ſuſurris inſtillent venenũ.
Mat.24. & ideo dixit Chriſtus: Si dixerint, ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Et nobis nunc in prouerbio eſt, veritas non quærit angulos. Chriſtus manifeſtauit ſe mundo, & in ſecundo aduentu palàm veniet tanquam fulgur ab oriente, vt illos tenebriones qui propalatam veritatis prædicationem non ferunt, ſed ſuos in deſerto & penetralibus ſenſus effundunt in ſinus, coniuratis aliquot & ſeductis aſſeclis, iſtos ne ſequantur ſui voluit Chriſtus. & addidit: ecce prædixi vobis. Quæ Chriſti verba quum iſtos ſectarios apertè demonſtrent, illi ſcilicet auertunt in catholicos per calumniam. Illi verò poſt tot annorum centenarios à Chriſto nato, paſſo

passo & prædicato, quasi hactenus veritas eius omnes latuerit, eam quasi à se repertã modò & inuentam tenui auræ sibilo inspirant suis cum demonstratione, ecce, hîc est Christus. & si quem ad aliũ eius factionis symnistam relegant, ecce illic est Christus. Nempe alius in penetralibus prælegit suis quod vocant verbum dei, quod mox alicubi comitantur facta hominum. Alius quærit nemora vbi cum suis deliberet quomodo factionem promoueant, & in pios ac bonos qui aduersantur sæuiant: atque hæc occultè donec adaucto numero confidant se fore vi superiores. Et hæc pariunt desertum & penetralia istorum, vt alium Christum, hoc est, aliam Euangelij veritatem orbi propinent. Catholici verò antiquitatem & vniuersitatem doctrinæ sequuntur, non in deserto lucifugorũ aut penetralibus delitescentium proditæ, sed in tectis prædicatæ, & à mundi tyrannide sanguine martyrum vindicatę amplectuntur: non hîc & illic pro capitis cuiusque somnio vnam Christi veritatem distrahentes, sed quod spiritus ecclesiæ suggessit in iis fidei articulis sequentes assiduè, & tenentes firmiter. Nec de Christo loquuntur, vt hic argutator calumniatur clausum esse in pixide, etiamsi in pixide sint species sub quibus in mysterio adest. Res est arcana noui testamenti hoc mysterium, de quo quoniam ita sentiunt catholici vt Christum multiplicatione locorum non diuidat aut cœlo priuet, nec verbis illi suis quoties Christum in hoc altari & in illo esse dicũt, aliquid eiusmodi quod diuisionem sapiat significari voluit, sed vnum Christum integrum & indiuisum deum & hominem, simul & eodem momẽto in cœlo regnantem & in sacramento præsentẽ, fide catholica edocti profitentur.

OBIICITVR 10.

AIVNT TRANSVBSTANTIATORES CORpus *Christi esse non vbique, sed tantùm vbi sacramentum habetur, at si non repugnat corpori Christi esse eodem tempore & simul in viginti locis, non repugnat esse in centum aut in mille, & demum in omnibus: & ita constituent Christi corpus esse infinitum, & esse diuinitatem quæ diffusa est per omnia.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ILlud certum eſt quum de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia catholici loquuntur, intelligere eos præſentiam ſecundum arcanum myſterij modum, non ſecundum rationem ambientis loci, & tamen vbicunque & quotcunque in locis ſint myſterij viſibilia ſigna incorrupta, ibi eſſe verum Chriſti corpus fatentur & credunt, quod non eſt naturam corporis conſtituere infinitam, ſed potentiam dei agnoſcere immenſam, cuius quod agitur virtute fiat, vt qui naturam finitam humanam naturæ diuinitatis infinitæ ſaluis proprietatibus vnierat admirabili modo, illa etiam ſaluis proprietatibus vtatur inæſtimabili conditione, nõ diffuſione per omnia, quod hic cauillator ait, ſed diſtributione in omnes quos regenerauit. Quòd ſi inſanum ſit vel cogitare panis & vini ſpecies per omnia diffundi, ſine quibus non exhibetur corpus Chriſti in ſacramento: quàm eſt hæc ſiue mente collectio: futurum tandẽ vt corpus Chriſti ſit infinitum illis gradationibus à centum in mille & eo amplius, quod eouſque infinitatis non progrediatur, quin aliquid ſaltem vacui ipſis relinquatur hominibus, illis profectò qui ſacrificent ne non ſit vbiq; corpus Chriſti, quum tamen diuinitas nuſquam non ſit quæ verè per omnia diffuſa eſt, ſed modo diffuſionis quem non aſſequimur. Hæc tam inſana collectio ſatis eſſe debeat argumento bonis, quo ſpiritu inſtigante catholica veritas impetatur ab iſtis, qui ſe furere non ſentiũt, & pro ſolidis efferunt quæ ſunt ipſa vanitate ridicula. Quum enim dei ſit opus in myſteriis operatio, verentur iſti ſcilicet ne tandem quod agit exeat in abſurdum, vt multiplicando myſterio naturam corporis ſui humanam & finitam æquaturus ſit diuinitati per infinitatem, quum tamen creaturas panis & vini, ſub quarum ſpecie confert, adhuc habeamus tam finitas, vt à multis fame vrgente deſiderentur. Hoc argumentum apud lectorem pium ſeipſum iugulat ſua ineptia, adeò non eſt neceſſaria confutatio noſtra.

Obii-

OBIICITVR II.

FIDES ECCLESIAE EST QVOD VNVM *corpus non poteſt eſſe ſimul in diuerſis locis: ſed corpus Chriſti eſt vnum corpus: ergo corpus Chriſti non poteſt eſſe ſimul in cœlo & in ſacramento in terris.*

RESPONDET CATHOLICVS.

FIdes eccleſiæ profitetur deum omnipotentem, nouit autem eccleſiæ veritatē ὀρθοτομεῖν, & naturæ finitæ vim à cœleſti virtute infinita conuenienter diſtinguere. Vnde Iuſtinus martyr, cuius ſanctimoniam doctrina ęquauit in libello ἀποκρισέων πρὸς ὀρθοδόξους, iis qui putabant corpus Chriſti poſt reſurrectionem in ſpiritum verſum, quoniam ingreſſus ſit ad diſcipulos ianuis clauſis, reſpondet, quod per naturam eſſet impoſsibile, id per virtutem diuinam ſupra naturam fuiſſe effectum. Nos autē Enoch & Heliam natura mortales viuere etiamnum in corpore diuina virtute, ídque ſupra naturam. Similiter autem quod in exhibitione corporis Chriſti in ſacramēto agitur, diuina fit virtute quæ nihil non poſsit, cui fruſtra opponitur naturæ finitæ ratio. Neque enim quia deo authore vnum corpus aptum natum eſt vno tantum loco contineri, authoris & opificis dei eſt imminuta poteſtas, quaſi omnem in opificio conſumpſiſſet. Quin & Ariſtoteles ſola naturæ ſpeculatione nitens, prius abſque poſteriori fatetur eſſe poſſe, qua ratione ſequitur vt ſubſtantia quæ eſt omni accidenti prior, eſſe interim ſine accidenti poſsit, adeò captum cōmunē ſuperet etiā naturæ vis creatæ. Ne pergamus cauillari in creatorem cuius virtute vt eſt proditū, Abacuc raptus, & momēto temporis in Babyloniam ſalua & integra natura confeſtim delatus fuit. Non eſt enim abbreuiata manus domini, ne naturam finitam poſsit non infinitè tractare. Atque hæc dici poſſent etiamſi eſſe in ſacramento eſſet idem quod vt in loco eſſe: nunc verò quum ſit longè ſecus, ſanè quàm ineptum eſt quod ſcopum non attingit in argumentum proferre.

Iuſtinus Martyr in lib. Reſponſionum ad orthodoxos.

Danielis cap. 14.

OBIICITVR 12.

CONTRA NATVRAM ET RATIONEM *est corpus quantum esse alicubi & non occupare locum, sed si ponatur corpus Christi in sacramento realiter, erit ibi corpus quantum sine occupatione loci, quod est destruere naturam corporis Christi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVi omnia in omnibus operatur deus, aliter in natura ordine à se pręscripto, aliter virtute quum ita illi visum est quæ fiant efficit, quæ ab eodem profecta authore inuicē propriè non pugnant, etiamsi hominum iudicio & carni
Mat.14. secus videatur. Petrus (verbi gratia) in deo secundū naturam cooperante ambulauit super terras, & idem Petrus deo secundum ipsius virtutem cooperante ambulauit super aquas. Christus deus & homo secundum conditionem naturæ assumptæ passus est in corpore, & idē Christus virtute sua diuina ianuis clausis ingressus ad
Ioan.20. discipulos effecit vt corpus eius quod solidū esset penetraret quod in ianuis solidum erat, nec loco pelleret quo nihil sit magis à naturæ legibus alienum. Et tamen quum hoc ageretur tum ianuis tum Christi corpori sua mansit natura illabata, quando absurdissimum sit de deo concedere vt alio operationis suæ modo destruat quod fuerat ab eodem alio modo constitutum. In mysterio verò eucharistico deus secundum virtutem specialiter operatur, non secūdum naturam, hoc est communes leges. Et dicemus deum corpus quod assumpsit destruere, nisi secūdum communes naturæ leges eodem semper vtatur? Quod virtute dei fiat mirari debemus, excutere nō possumus, quando in tam multis quæ natura fiunt cæcutimus. Corpus quantum secundum naturæ leges tanquam loco affixum est, vt quoquò se vertat corpus inueniat locum, cui esse absque loco sit prorsus non esse. Sed vt viuens non est quærendus inter mortuos, ita quæ dei virtute supra naturam fiūt, ad inferioris naturæ regulas non sunt exigenda. Esse autem in mysterio non est loco comprehendi, sed dei virtute sisti quomodo ille nouit, atque hoc mysterium visibilia indicant quæ loco illa ambienti finiuntur secundum naturam, quum mysterium quod significent sic fiat virtute dei, &

ſic nobis ſiſtat Chriſtum præſentem, vt nulla id ratio aſſequi, nullis in natura exemplis demonſtrari queat.

OBIICITVR 13.

SENSVS HVIVS PROPOSITIONIS, HOC *eſt corpus meum: vel eſt literalis, vel tropicus. Senſus literalis quem vnuſquiſque ſenſu communi præditus ex forma verborum colligit, eſt hic: quòd panis quem Chriſtus accepit in manus ſit corpus Chriſti, quod eſt falſum: nam vnum diſparatum non prædicatur de altero niſi per ſignificationem, vt petra eſt Chriſtus. Ergo verus ſenſus iſtius eſt tropicus, quòd panis quem Chriſtus accepit in manus, eſt figura corporis eius, vel ſignificat corpus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

FAlsò aſſumitur illud, hominem communi ſenſu præditum, ſecundum ſenſum literæ intellecturum ex verbis Chriſti dixiſſe eum panem eſſe corpus, quia illud (hoc) quod eſt ſubiectum in verbis Chriſti, non æquipollet in ſenſu communi diſparato, quaſi iſtæ propoſitiones, hoc eſt corpus: &, Petra erat Chriſtus, eſſent ſimiles. In hac enim Chriſtus diſparatum prædicatur de petra diſparato, & ex duobus diſparatis conficitur propoſitio, Petra erat Chriſtus. In illa verò, hoc eſt corpus meum, non ſunt duo diſparata: ſed verbum (corpus) quod eſt diſparatum, prædicatur de (Hoc) pronomine, quod certæ naturæ notam non exprimit in ſenſu communi, ſed ſolùm deſignat quod eſt in eo quod demonſtratur vnum, nec altius in eius naturam penetrat, quemadmodum ex locutionibus è familiari & quotidiano ſermone petitis mox demonſtrabo. Quis enim non ſic loquitur? Hoc eſt vinum, hoc eſt mel, hoc eſt lac: porrecto videlicet digito aut nutante capite in rem explicatam. In quibus formulis ſermonis quotidiani ſi quod eſt in ſubiecto (Hoc) vim obtineret diſparati, & quantum in prædicato eſt ſignificaret: iam nugatoria prorſus illa loquendi forma eſſet, quaſi diceres: vinum eſt vinum, mel eſt mel, lac eſt lac. Nunc verò quando illud (Hoc) eam modò vim habeat vt vnum quid eſſe ſignificet, quod ipſum quale quid ſit

explicandum relinquat prędicato: apta est hæc locutionis formula, nimirum sic constructa vt ab obscuriori subiecto ad notius prędicatum sit progressus. Porrò autem illud pronomen (hoc) rei naturam non demonstrat, vt de substantia pręsente cuius natura ignota sit nobis, rectè cum iudicio pronũtietur, veluti quũ dicimus: Hoc est dulce, Hoc rursum est amarũ: quorũ naturas si quærat quis, nõ dubitabimus (siquidẽ ita sit) fateri nos ignorare, vt appareat istud (hoc) in sensu cõmuni non demõstasse rei certæ nobis naturę substantiã, sed vnũ quiddã cui ex gustu sentimus dulcoris inesse qualitem: & ideo à nobis dictũ est, Hoc est dulce, quũ tamẽ cuius naturę substãtia eius sit prorsus ignoretur. Quòd si in subiecto ꝓpriã eius substantiã quod nomẽ indicat expressero, dicẽs: Hoc mel est dulce, Hoc fel est amarũ: nec tibi amplius de substãtia quænam ea sit quęrẽdi: nec mihi ambigẽdi relictus est locus, quod vbi pronomẽ solũ in subiecto est, secus habet. Ibi enim ex sensu communi se ingerit quæstio, quídnam est hoc? cui quæstioni si qualitas sit in prędicato, protinus satisfit explicata in subiecto substantia. veluti si dicẽte me, Hoc est dulce, quærat quis, quídnam hoc est? vinum inquam si dixero, quęstionẽ absolui. Sin fuerit in prædicato substantia, vt, Hoc est mel, hoc est lac, hîc vt respondeatur quæstioni, quídnam est hoc? nũquid adiicietur pronomini hoc in subiecto nomẽ substantiæ, vt respondeatur verbi gratia, Hoc mel est mel: quę esset locutio fatua, quam sensus communis reiicit. Sed vel ab authoritate dicentis in re quę nos potest latere, vel ex ipsis pręsẽtis rei indiciis quũ fuerit pressius cõtẽplata, substãtia cõstabit. Et vt nũc ad Christi verba veniamus, si Caparnaita aliquo in cœna pręsente quũ panẽ in manus acceptũ benedixisset Christ⁹, & dixisset: Hoc est corp⁹ meũ, insurrexisset ille furibũdus clamãs: Imo hoc est panis: omnis hic cõtẽtio in prędicatis cõstitisset. Nam ne Caparnaita quidẽ suũ Imò hoc est panis, sic exponeret vt diceret imò panis est panis, sed vt quod diceret cõfirmaret ex visu, tactu, odore, sapore, põdere, figura, argumenta peteret, vt illud (hoc) in prędicato explicetur nomine panis: voci feraretur denique, clamaret, deieraret ita esse, & rectè, ab eo dici, Hoc est panis, Christus cõtrà ab authoritate qua in nobis fidelibus pollet, qui est ipsa veritas, illud (hoc) de cuius explicatione agitur, nõ panẽ dicit in prædicato, sed corpus quod pro nobis traditur. Et

vtri potius credẽdũ quis dubitet? Illud certè quod ago manifestè cõ ſtat ne Capernaitã quidẽ qui ex carne & ſenſu cõmuni loquitur, loco ꝓnominis nõ poſiturũ in ſubiecto panẽ, ne inepta ſit locutio: ſed per ipſũ (hoc) intelligere veluti entis quiddã ſingulare, quod poſtea in prędicato definit eſſe panẽ, dicens: Hoc eſt panis. quod & in Chriſti ſermone ſimiliter intelligatur, vt (hoc) nõ certũ naturæ inſigne, ſed vnũ de quo loquitur Chriſtus videatur ſignificare. Atq; ita me ſpero luculentũ feciſſe, propoſitionẽ iſtã, Hoc eſt corpus meũ, nõ cõfici ex diſparatis quẽadmodũ illa, Petra erat Chriſtus: deinde huius propoſitionis verborũ Chriſti interpretationẽ ex cõmuni ſenſu ſecũdũ literã ita cõſiſtere, vt nullus hîc trop⁹ deſideretur, quoniã, Hoc eſt corpus meũ: nec dicit, Hic panis eſt corpus, nec, hoc corpus eſt corpus, quod illud abſurdũ, hoc nugatoriũ: ſed ſecũdũ naturã pronominis Chriſtus illud Hoc, videlicet hoc vnũ quod erat in manibus, dixit eſſe corpus ſuũ, non ſermone ſolũ indicatorio & enũciatorio quomodo nos homines loquimur, ſed operatorio & efficaci, vt quia ipſe dicit, de quo ſcribitur, dixit & facta ſunt, omnino facta eſſe quæ dicit, vt dicit certo certius fide perſuadeamur. Nunc ſupereſt vt quoniam figuratores iſti quàm malam ſegetem inimico homine zizaniam ſpargente in triticum noſtra tempora produxerũt, quoniam illi inquam hæc verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis (de quorum ſenſu ſecundũ ſenſum cõmunẽ enucleãdo iam egimus) ipſa ſpecie certiſsima, apertiſsima & clariſsima quũ ſint, in ambiguitatis tamẽ & obſcuritatis tenebras propellere conantur, & quaſi lite in hæc mota cõtrouerſa reddere, vt iudiciũ iam patiãtur, illa non prę ſtent: quàm id iniquè ſit factum, quantáque calumnia, inde me ſpero facturũ palã, quòd in euchariſtico ſacramẽto æſtimãdo ab ipſis eccleſiæ incunabulis ſummũ ſemper illa obtinuerint locũ, è quibus nobis veritas innoteſceret, & in quibus acquieſceret catholicorũ fides, quo nomine illã appellationem meruerũt vt verba dicerentur conſecrationis, quibus ipſis poſt tot annorum centenarios iſtam iam tandem mouere controuerſiam, quæ à tribunalibus in planum illa deturbet, vt collationibus quas expetunt iniquè factis, iſtis adeò arbitris ac diſceptatoribus quid iis Chriſti verbis relinquatur ſignificationis, nũc demum cognoſcatur, omnino videatur indigniſsimum. Sed quando eò infœlicitatis deuentũ eſt,

tuenda eſt veritas armis ſuis, non incaſſum dolenda alienis lachrymis. Ergo vt agam quod agitur, illud primum occurrit dicendum: Verba de quibus nunc tracto, Chriſti ſunt verba, dei & hominis, cuius eſt magna & mirabilia tum dicere tum facere, qui nihil vnquam dixit fecítque aut paſſus eſt, quod non aliquid habuerit admirationis adiunctum. Natus eſt mirabiliter ex virgine, in templo cum admiratione præſentatus, vt prætersam Magorum, Paſtorum, & angelorum admirationem, mirabiliter adhuc puer in tẽplo diſputans, mirabilibus ornatus in baptiſmo & cœleſtibus ſignis, mirabiliter ieiunans in eremo, nouos & mirabiles ſermones vbique diſſerens, vt dicerent qui audirent ſe nunquam audiuiſſe ſimiliter loquentem, ſuos cum miraculo delegit apoſtolos, morbos & dæmones mirabiliter fugauit, cum ſtupore vidẽtium tranſfiguratus eſt, conuiuium prophanum ornauit miraculo, ementes & vendentes mira poteſtate è templo eiecit, ſed mortuis vitam, cæcis viſum, claudis greſſum, mirabiliùs reſtituit, eſurientes in deſerto miraculo pauit, Hieruſalem cum admiratione ingreſſus eſt, Paſcha parari miraculo voluit, dum non locum indicat vllum, ſed portantem lagenam aquæ ſequi quos mitteret iubet. Quàm igitur non eſt conſentaneum vt poſt expletas epulas agni typici, quæ aliquid habebant ille exterioris apparatus & commonefactionis in nudam tandem deſinere & frigidam figuram, vt fruſtum panis daret in ſui memoriam, & qui in cæteris tam eſſet mirabilis, nihil hîc diceret aut faceret ſui ſimile, quod ſuorum fidem ad eius contemplationem excitaret. Quare quum Chriſtus relicturus ſui memoriam, in cœna creaturas conſecrans diceret verba eiuſmodi, quæ rem ſummè admirandam & ſenſibus humanis incredibilem continent, ac ſenſu verborum proprio præ ſe ferunt: quæ tandem eſt iſta hominum peruerſitas in ſenſum illa redigere humiliorem potius cæteris eiuſdem factis & dictis diſsimilem, cum aliqua etiam ipſorum iniuria verborum: quàm eo ſenſu accipere & interpretari quo reliquorum omnium miraculorum conditionem & admirationem ſuperare viderentur, vt tam magnum dominum magna & ſe digna, & quæ non alius ab eo quiſquam verè dixiſſe & effeciſſe queat enunciaſſe, eum & illis verbis operatum confiteremur,

mur, vt à miraculo orſus & miraculis perpetuò clarus, etiam cum miraculo ſupremam cœnam diceretur quod verè fecit celebraſſe? Quin & illud conſiderandum quum in ſexto Ioannis de manducanda carne & à ſe in cibum danda loqueretur, magnum quiddam videbatur polliceri, & homine maius, qui ſi in cœna niſi figuram carnis dedit, quàm ſine cauſa ſuos turbauerat in promiſsis, quorum expectationem in cœna fruſtratur (vt iſti figuratores volunt) fruſto panis? quis non ad illum modum dare carnem ſuā poterit? quis rurſum durum putet eo modo manducare? At enim in aliorum dictis interpretandis ſi quid inciderit ambigui, valere ſolet illud: Hæc ſententia non eſt illo digna, quòd alium nos cogit intellectum quærere, vt ſenſus verborum dicentis perſonæ videatur reſpondere. Et certè non eſt ſatis dignus Chriſto deo & homine ſenſus, vt qui carnem ſe ſuam daturum pollicitus eſſet, ſolam carnis figuram dediſſe intelligatur, quem Paulus à Moyſe ita diſtinguit, vt hic miniſter fuerit typicus, Chriſtus tanquam filius adminiſtrauit domum à ſe conditam, cuius domus ſumus nos. Iam verò ſi illa quæ Chriſtum alibi per allegoriam de ſe dixiſſe conſtat conſideremus: ita comperiemus vt allegoria quæ ſenſum verborum proprium pellit, quiddam ſubſtituat proprio ſenſu maius & auguſtius. Itaque quū Chriſtus diceret, ego ſum oſtium, non erat quidem materiale oſtiū, quod ſenſus proprius præ ſe fert: ſed maius quiddam & diuinius, videlicet vitæ eternæ oſtium. & item ego ſum vitis inquit: non erat ſane communis vitis, ſed vitis erat melior, & diuina vitis, cuius pater agricola eſt, adeò nihil de ſe aut ſuis myſteriis dixit vnquā Chriſtus hyperbolicos quod aliqua allegoria extenuaretur, & habet ſemper parabola quod ſit ſenſu proprio maius. Et nos in iis vnis Chriſti verbis interpretandis, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis: tantum detrahere audebimus ex ſenſu verborū proprio, vt illo reiecto pro viuo corpore & rutilante ſanguine mortuam & aridam ſubſtituamus figuram? & Chriſti ſenſum tanto auguſtiorem verbis non verebimur profiteri, vt nouum ſuauiſsimi ſanguinis muſtum verbis commendans, inſipidam porrigeret veteris figuræ vappam? nam & vinum veteribus fuit figura ſanguinis. An fallere conuiuas in illa menſa voluit, dum ſplendidioribus verbis ornaret epulas quàm reipſa ſubſiſterent? quando inter homines qui paulò modeſtiores cō-

uiuatores ſunt, ſoleant vrbanè ſuas epulas extenuare verbis, non quod iſti modeſtiæ Chriſti tribuunt ſupra verum tollere & magnifacere. Cæterùm hactenus quæ dixi remotiorem fortaſſe conſiderationem attingunt. Quòd ſi accedamus propius, & quid ſcripturæ aliæ referant conferamus: promiſsio Chriſti ante cœnam, & effectus ipſius cœnæ, quæ duo ſunt extrema, exigunt illa profectò vt quæ in medio ſunt dicta, ſenſum illis conuenientem & congruum habeant, quando præſertim verba illa Chriſti in medio prolata etiam ipſa litera conſentiant, & ſua ſponte in eum ſenſum concurrāt. Quod ad primum extremum attinet, Chriſtus in ſexto Ioannis quum de carne ſua docuiſſet illam eſſe verè cibum, pollicitus eſt ſe

Ioan.6. etiam carnem ſuam in cibum daturum, dicens: Et panis quem ego dabo caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita: cuius pollicitationis prȩſtandæ multæ in veteri teſtamēto anteceſſerāt figurȩ, vt manna, oblatio Melchiſedech, panes propoſitionis, & agnus paſchalis, & aliæ præterea. Atq; hæc de primo extremo pollicitationis. De effectu

1.Cor.10. autem cœnæ quod eſt extremū vltimū, Paulus dicit ꝙ calix benedictionis cui benedicimus, cōmunicatio ſanguinis Chriſti eſt, & panis

Epheſ.5. quē frangimus, cōmunicatio corporis Chriſti eſt. Tū autē Paulus

Colo.3. ad Epheſios huius cœnæ effectū notans, vt Irenæus ſentit, tam eſſe nos dicit de carne Chriſti quā fuit Eua de latere Adæ. Et ad Colloſſenſes quod Chriſtus notat, gentes factas Chriſto cōcorporeas, nā & id fieri cōmuniōe carnis Chriſti dicit. Quare inquā quū hæc duo extrema tā clarā de Chriſti carne in cibum data faciant mentionem: exigunt illa profectò vt verba Chriſti in cœna quibus ſuæ ſe pollicitationi ſatisfacere oſtendit, etiā de vera carne dicta intelligantur, quū diceret, Hoc eſt corpus meum. Nam promittere carnem & dare figuram, non eſt promiſſa præſtare. Tū autem figura non cōmunicat ipſam ſubſtantiam carnis, quam tamen in cœna communica-

Cyprianus de vnctione Chriſti. tam alterum extremorum in effectu demonſtrat. & Cyprianus dicit ab effectu in hoc ſacramento cauſam æſtimandam. Quin & illud proprietatem ſenſus verborum exigit, vt Chriſtus qui omnium præcedentium vmbrarum corpus erat, (nam ſic de ſeipſo loquitur: corpus aptaſti mihi) omnes de cibo carnis ſuæ figuras videretur impleſſe, & ipſam veritatem veris reuelaſſe, veris inquam non nouis rerum abſentium figuris, ne aliquid hic poſt Chriſtum præſen-

tiūs

tius expectemus. Denique in cœna Christus nos certos reddit voluntatis suæ,& nouum testamẽtum suo sanguine obsignauit, quod figura sanguinis nobis minus firmum & imbecillum redderet. Sed iniuriam facio catholicæ fidei qui verba suo sensu iam illustrata, & ad columnam veritatis defixa, trabali clauo vt moueri non posint, coner iis suppetiis tanquam tibicinibus fulcire, quasi ni quis manũ admouerit collapsura. Et tamen horum temporum improbitas hęc minus necessaria vel inuitò exprimit, quum alioqui ad dogmatis catholici cuiuscunque, vel sensus verborum veritatem confirmandam illud suffecerit, veteres & antiquitatem consulere, atque ex vniuersitate & perpetuitate eius quod per singulos ætatum gradus in deposito conseruatum reperiatur, quid verum, quid secus inde æstimare:nam secundum Apostolum vna est fides,quæ in imitatione morum, hominum & temporum,manet tamen ipsa immota & immutabilis.Ergo omissis coniecturis nostris consulamus veteres, & quo in loco, qua æstimatione habuerint illi hęc verba, Hoc est corpus meum: tum autem quo sensu illa intellexerint inspiciamus. Prolixior ero fortassis in citandis illorum verbis, sed in tanto strepitu aduersus veritatem murmurantiũ non erit insuaue legisse patres, vt quod ex errorum garrulitate tædij contractum sit, veritatis antidoto subleuetur. Prodeat igitur primum Iustinus martyr, qui sic scribit: Neque verò hæc pro pane potúve communi sumimus: Imò quemadmodum verbo dei Iesus Christus seruator noster incarnatus habuit pro salute nostra carnem & sanguinem:ita per orationem illius verbi consecratum hoc alimentũ(quo sanguis & carnes nostræ per immutationem enutriuntur)eiusdem incarnati Iesu carnem & sanguinem esse sumus edocti. Siquidem Apostoli in illis suis quæ vocantur Euangelia monumentis, ita sibi Iesum imperasse docuerũt,accepto nimirum pane, peractísque gratias dixisse: hoc facite in meam cõmemorationem,Hoc est corpus meũ.ad eundem modum accepto poculo postquam egisset gratias dixisse:Hic est sanguis meus, illísque solis ea tradidisse. Hæc Iustinus, qui quum fidẽ Christianorum ita aperiat, vt dicat alimentũ verbo cõsecratum carnem & sanguinẽ Christi esse, quomodo caro & sanguis dei verbo in vtero virginis à domino Iesu assumerentur, addit ita docuisse apostolos ex verbis illis, Hoc est corpus meum, quæ verba nisi pro-

Iustinus Apologia 2. ad Antoninum.

pria

pria ſignificatione intelligantur, nõ id docerent. Nã quomodo figuratores hodie volunt vt ex verbis intelligatur ſola figura, nõ teſtarẽtur carnẽ & ſanguinẽ in cœna verbo fieri, quemadmodũ in vtero virginis verbo ſumpta eſt caro, niſi etiã cũ Marcionitis illam Chriſti carnẽ in vtero ſumptam non veram, ſed figuratiuam & phantaſticam velint haberi. Illud præterea conſiderandum quibus ſcribit Iuſtinus, illis nimirum quibus rationem reddit fidei Chriſtianæ, ne quod à Chriſtianis fiat, imitatione aliqua aut humana adinuẽtione factum & obſeruatũ putetur, ſed authore deo Chriſto, qui quo miraculo & qua potentia & veritate carnem ſuſcepit ex virgine, pari potentia & veritate pari dat carnem in cœna, ad cuius probationẽ citat Iuſtinus hæc verba, Hoc eſt corpus meum, vt videant Ethnici ideo credere Chriſtianos ſe carnem & ſanguinem Chriſti ſumere illo alimento in cœna conſecrato, quia Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus: quæ verba per figurã, vt dixi, interpretata nihil afferrent probationis: & Iuſtinus quos placare & lenire ſimplicis veritatis confeſsione conaretur, ſi hæc aliter ſe haberent ac refert, temere ac ſine cauſa exaſperaſſet. Quid enim tum magis aduerſum & minus vtibile attigiſſe, quàm vt comedere Chriſtianos carnem & bibere ſanguinem fateretur Iuſtinus, quod auribus prophanis eſſet abſurdum auditu, niſi eum ſimplicitas explicãdæ & confitendæ veritatis adegiſſet? quam veritatem quoniam fortaſſe acceperant illi Ethnici, neceſsitas incũbebat Iuſtino eam fateri, id quod fecit, & iſtam eius cõfeſsionẽ de cœna iis probationibus communiuit, vt & incarnationis faceret mentionem, in qua Chriſti conſimilem monſtraret potentiam, & verba deinde cœnæ adderet, quæ in myſterio conficiendo docerent Chriſti voluntatem, dũ diceret. Hoc eſt corpus meum. Atque hæc niſi ita fuiſſent, commodius, vt dixi, Iuſtino fuiſſet narrare de ſolo pane & vino in cœna ſumptis, quam celebrabãt Chriſtiani, quo illi etiam Ethnici minus offenderentur, quorum ſæuitiam Iuſtinus illa apologia nitebatur mitigare, dum ita concludit: καὶ εἰ μὲν δοκεῖ ὑμῖν λόγου καὶ ἀληθείας ἔχεσθαι, τιμήσατε αὐτά· εἰ δὲ λῆρος ὑμῖν δοκεῖ, ὡς ληρωδῶν πραγμάτων καταφρονήσατε, καὶ μὴ ὡς κατ' ἐχθρῶν κατὰ τῶν μηδὲν ἀδικούντων θάνατον ὁρίζετε. Quæ peroratio oſtendit nõ amplificaſſe Iuſtinum myſteria, quò magis abſurda iſtis auribus redderet, ſed veritate coactum vt quod eſſet fateretur: cautiùs

tamen

tamen id & parciùs fecisse, libétiùs etiam per figuram quod in cœna ederetur si per veritatem licuisset confessurum, quàm in sensu proprio propalare mysterium quod infideliũ auribus insanissimũ iudicetur. Adeò constat verba illa Christi, Hoc est corpus meũ, vt erant à Christo dicta, ita proprio verborum sensu tum intellecta & credita fuisse, quod hic Iustini locus omniũ docet manifestissimè, vbi cauillo figuratorũ non potest esse vllus locus, quum dicant à Patribus rerum ipsarũ nomine ornari symbola, quando hîc nõ erat Iustino locus amplificandi sed minuendi potius & tegendi, vt illos minimè exasperaret quos oratione mitigare & lenire volebat. Sed de Iustino hactenus. Nunc videamus quid senserit Irenæus, cuius verba hæc sunt: Sed & suis discipulis dans consilium primitias deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit & gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter qui est ex ea creatura quæ est secundũ nos, suum sanguinẽ confessus est, & noui testamenti nouã docuit oblationem, quã ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert deo. Hæc Irenæus, qui quatenus de terrenis elementis loquens faciat creaturæ mẽtionem & secundum nos, insinuat verba Christi ex illis efficere quod non esset secũdum nos & creatura maius, quod nisi propriũ verborũ sensum accipiamus non esset, nã si illis verbis, Hoc est corpus, Hic est sanguis, nihil aliud quàm significaret Christus se dare figurã corporis, creaturam etiam daret secundum nos. Sed Irenæus in verbis, Hic est sanguis, Christum suum confessum sanguinem dicit, neque illa ponit Christi verba quemadmodum quum de consecrando corpore loqueretur, quo magis intelligeremus propriam se sequi verborum significationẽ, & quod in sanguine exposuit, de corpore Christi intelligendum. Vnde etiam dicit Christũ istis verbis, Hoc est corpus, hic est sanguis, nouam docuisse ecclesiæ oblationem. quæ verba nisi de vero corpore & vero Christi sanguine intelligerentur, haud ita esset. Nam obtulisse panem & vinum in veteri ecclesia Melchisedech dicitur, quam oblationem constat verę oblationis verè futuræ fuisse figurã, in qua vera oblatione verum Christi corpus & sanguis sub illis speciebus offerrentur: quod in Christo completum ex propria horum verborũ significatione, Hoc est corpus meum, vni-

Irenæus lib. 4. c. 32.

Origenes in Leui. ho. 9.

uersalis Christi ecclesia & credit & credidit. Cuius quæ fuerat illis temporibus fides ecclesiæ, habeo Origenis apertum testimoniũ qui sic scribit: Sed tu qui ad Christum venisti pontificem verum qui sanguine suo deum tibi propitium fecit, & reconciliauit te patri, non hæreas in sanguine carnis, sed disce potius sanguinem verbi, & audi ipsum tibi dicentem, quia hic sanguis meus est qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Nouit qui mysteriis imbutus est & carnem & sanguinem verbi dei. Hoc loco Origenes proprietatem verborũ Christi apertissimè tradit, & vt Christum non solùm hominem sed etiam deum agnoscamus hortatur, nec hæreamus in sanguine carnis (inquit) Christum hominem carneum confitentes: sed discamus sanguinem verbi, nam idem deus est qui de sanguine suo loquitur, Hic sanguis meus est, quia (vt Cyrillus ait) per exinanitionem verbi corpus propter vnionem ineffabilem factum est proprium verbi. Vnde Christum fateamur non solùm hominem in sanguine carnis, sed discamus potius eundem esse verum deum, quod est sanguinem verbi discere, & audire illum dicentem, Hic sanguis meus est. Nam vt ait Origenes, nouit qui mysteriis imbutus est carnem & sanguinem verbi dei, quod Christus qui esset deus & homo de suo corpore & sanguine locutus sit, & ideo vt ait Hieronymus, diuinam carnem & spiritualem manducamus. Sed vt quod proprium est huius loci tractem, nisi verus sanguis carnis daretur in calice, non esset cur diceret Origenes: Non hæreas in sanguine carnis: & si verba illa Christi propria significatione non intelligerentur, non prouocaret Origenes ad illa scripturæ verba, Hic est sanguis: quorum sensum quem conabatur persuadere cum sua emphasi exprimit, dum facit Christum ita loquentem, Hic sanguis meus est, vt de veritate sanguinis non dubitemus, imò illius esse intelligeremus qui verus esset deus & homo, & eum non nudi hominis sanguinem, sed diuinum dedisse sciamus. Atque hoc est quod Origenes agit iis Christi verbis, quæ nisi proprio sensu intellecta fuissent, quæ dicit Origenes non consisterent. Quid enim admoneret ne hæreant in sanguine carnis, vbi nullus est sanguis, sed sola figura vt figuratores volunt? Sed nunc quid dicat Cyprianus audiamus: Significata olim à tempore Melchisedech prodeunt sacramenta, & filiis Abrahę

Hiero. in episto. ad Ephes. lib. 1. cap. 1.

Cypria. de cœna domini.

facientibus opera eius, ſummus ſacerdos panem profert & vinum, Hoc eſt, inquit, corpus meum. Manducauerunt de eodem pane ſecundum formam viſibilem: ſed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à domino dictum eſt, Hoc facite in meam commemorationem, Hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus: quotienſcunque his verbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis & calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutémque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens. Hæc Cyprianus, ex cuius verbis patet illa Chriſti verba, Hoc eſt corpus, adeò proprio ſenſu intellecta fuiſſe, vt loco vocabuli corporis, ſit à Cypriano poſitum, Caro: ſub quo nomine pollicitatio in ſexto Ioannis facta eſſet, quum Chriſtus diceret, Panis quem ego dabo caro mea eſt: cui pollicitationi quoniam ſatisfecit quum diceret, Hoc eſt corpus, illo priori vocabulo carnis Cyprianus vti non dubitauit, oſtendens illis verbis ab ore Chriſti prolatis panem communem fieri panem ſubſtantialem, hoc eſt verum Chriſti corpus, in quo Chriſto ſubſiſtunt omnia, & hoc quotienſcunque iis verbis & hac fide actum eſſet. Hic arripiet verbum fidei Sectarius, & clamabit efficaciam fidei. Imò fidem exigit Cyprianus, ne quis putet incantatoria verba eſſe, quæ à quouis ſine deo dicta hæc efficerent, ſed credamus domino qui hæc iuſsit fieri, & eius mandatis obtemperantes, hæc quæ iuſsit fieri exequantur quibus dedit (vt inquit Chryſoſtomus) ſacerdotij gratiam, nec dubitemus dominum ſuis mandatis adeſſe, & verborum prolationi in conſecratione aſsiſtere, atque ita ſecũdum fidem eccleſiæ fiet hęc mirabilis verborũ operatio, quæ verba proprio ſenſu accepta & interpretata fuiſſe conſtat, quũ ad probandam iſtam mutationẽ mirabilẽ allegẽtur.

Extat de verborum horum proprietate Athanaſij teſtimonium iis verbis: Corpus eſt, ergo cui dicit, Sede à dextris meis, cuius etiam fuit inimicus diabolus cum malis poteſtatibus, & Iudæi & Græci, per quod corpus Pontifex & Apoſtolus & fuit & dictus eſt, per id quod nobis tradidit myſterium dicẽs: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur, & ſanguis noui teſtamenti non veteris, qui pro vobis effunditur. Diuinitas enim neque corpus habet neque ſan-

Athanaſi⁹ in orat. de fide vt citatur à Theodoreto dia. 2.

guinem, ſed homo quem ex Maria portauit. Hoc agit Athanaſius vt oſtenderet Chriſtum fuiſſe verum hominem quem ex Maria ſumpſit, ideóque nouæ legis Pontifex eſt & Apoſtolus, atque hunc Pontificatum & Apoſtolatum ait Chriſtum in eo demonſtraſſe nobis, quòd myſterium traderet dicens: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis. Adeò iis verbis propria humanitatis natura monſtratur, vt neceſſe habeamus de vero corpore ſuo locutum fuiſſe Chriſtum intelligere, & hominis corpore ex Maria ſumpto, vt ſecundum illud veritas apoſtolatus & Pontificatus conſtet, vt in vera carne miſſus deus & homo, & hinc Apoſtolus, veram etiam carnem immolaret deus & homo, vnde ſit etiam Pontifex. Et Chriſtum in cœna corpus ſuum & ſanguinem ſacrificaſſe ſcribit Heſychius: Tum autem Chriſtus in cœna voluntatis ſuæ nos certos reddidit verè corpus ſuum daturum crucifigendum manibus militũ, quod propriis manibus in myſterio dedit comedẽdum. Quare dicit Athanaſius per id quod tradidit myſterium, fuit & dictus eſt Põtifex & Apoſtolus, quod niſi proprium corpus illis verbis dediſſet, intelligi non poteſt, vt ſeipſum non ſui ipſius figuram immolaſſe diceretur. Sed poſtulat vt huc referatur Iuuencus presbyter, qui Chriſti paſsionẽ pio carmine cecinit, vbi hæc ſunt quæ ſequuntur:

Heſychius in leu. lib. 1 cap. 4.

Iuuẽcus in carmĩe paſſionis.

Hæc vbi dicta dedit, palmis ſibi tangere panem,
Diuiſúmque dehinc tradit, ſanctéque precatus
Diſcipulos docuit proprium ſe tradere corpus.
Hinc calicem ſumit dominus, vinóque repletum
Gratis ſanctificat verbis, potúmque miniſtrat,
Edocuítque ſuum ſe diuiſiſſe cruorem,
Atque ait, Hic ſanguis populi delicta remittet,
Hunc potate meum.

Hæc Iuuencus, qui nullam figuræ mentionem facit, imò verbis dilucidis proprietatem ſenſus ſignificari curauit, addito ad verbum corpus adiectiuo (proprium) docuit, inquit, ſe tradere proprium corpus. Quod niſi ille ſenſus proprius fuiſset, illis temporibus receptus, probatus, creditus, non commiſiſset tantus vir vt carmine ſuo daret occaſionem errori, quin ſuis verbis in carmine ſenſum ſi quis alius eſset expreſsiſſet, nec à ſenſu recepto deuiaſset, vt in re tam ſeria carmine laſciuiret. Nunc verò verba Chriſti ſanctiſsima

ctiſsima expreſſit ſuo ſenſu, ἐμφατικῶς, & catholicæ fidei reliquit apertum teſtimonium. Cui inconueniens eſt quod Emiſsenus ſcribit: Inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate cōuertit, ita dicēs. Accipite comedite, Hoc eſt corpus meum, &, ſanctificatione repetita: Accipite & bibite, Hic eſt ſanguis meus. Hìc mihi vide lector, niſi vocabulum corpus in verbis Chriſti ſignificet ſubſtantiam corporis quod proprietas verbi exigit, quomodo confirmaret quod dixerat Emiſsenus, in ſubſtantiam corporis fieri conuerſionem ex ijs verbis, Hoc eſt corpus meum? Nam ſi vocabulum (corpus) vt hodie figuratores volunt, non propriā ſubſtantiæ ſed figuræ ſignificationem referret, & eſſet illa modò quam fingunt ſacramentalis mutatio: dixiſſet Emiſſenus non quomodo nūc dicit in ſubſtātiam corporis, ſed in figuram corporis, vel ſacramentum corporis fieri cōuerſionem. At ille dicit in ſubſtantiam corporis, & audacter ad dicti ſui cōfirmationem verba Chriſti profert, de quorum ſenſu proprio erat illis temporibus certa doctrinæ traditio catholicæ fidei cōgrua, & ſummo credentium conſenſu cōfirmata. Nam & Baſilius quum interrogaretur quanto cum timore, qualíve cum animi perſuaſione affectionéve corpus & ſanguinem Chriſti communicemus, ita reſpondit: De timore quidem, inquit, habemus Apoſtolum, qui ait, qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Fidem autem faciunt verba domini qui dixit: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, Hoc facite in meā commemorationem. Ecce quomodo Baſilius hæc verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum, illa dixit quibus fides noſtra innitatur, & conſequenter ea vult fidē nobis facere corporis verè dati, vt intelligamus verum corpus comedendum dari, quod niſi in proprio ſenſu non faciunt, quorum ſenſus niſi etiam ſecundum literam accipiendus eſſet, illos de veritate conſulentes qua animi perſuaſione ad communionem accederent, addita verbis veri ſenſus interpretatione edocuiſſet Baſilius, ne quid à vero alienum in hoc myſterio ſaperent, nec ſineret taciturnitate ſua aliquid falſæ perſuaſionis illis obrepere, vt ex litera quam ille commendarat, verum corpus dari crederent, de quo ipſe humiliùs ſenſiſſet, nihil dari videlicet, præter figuram, quod quia nō ſenſerat verbis Chriſti in proprio ſenſu perſpicuis nihil addidit ſuæ in-

Emiſsenus in orat. de corpore. d.

Baſilius in regulis bre. inter. 172.

terpretationis, sed verba commendauit, quorum sensum proprium eo pacto cum ecclesia professus est. Et hanc fuisse de veritate Eucharistiæ persuasionem ab omnibus constanter receptã, quam proprius verborum Christi sensus suggereret, docet quod scribit Epiphanius, qui sic ait: Et quot sunt quæ similia sunt: Videmus enim quòd accepit saluator in manus suas veluti Euãgelium habet, quòd surrexit in cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egisset dixit, Hoc meum est, Hoc, & Hoc: & videmus quod non æquale est neque simile, non imagini, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim est rotundæ figuræ & insensibile quantum ad potentiam, & voluit per gratiam dicere, Hoc meum est, Hoc & Hoc, & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum verum sicut dicit is, excidit à gratia & salute. Quod autẽ audiuimus id credimus quòd est ipsius. Dominum nostrum nouimus, totum sensum, totum sensatiuum, totum deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum incomprehensibilem, sed qui cum gratia hæc nobis largitus est. Hæc Epiphanius, qui confirmat æquum esse vt credamus nos factos ad imaginem & similitudinem dei, propter authoritatem verborum scripturæ, etiamsi illam in nobis imaginem deprehendere non queamus. Nam & credimus, inquit verbis Christi dicentis, Hoc est corpus, quum nihil videamus simile nec deitati eius, nec imagini in carne, nec vlla denique extent lineamenta membrorum. Quæ Epiphanij excusio declarat illorum temporum fideles, verba Christi, dum diceret, Hoc est corpus meum, in sensu proprio dicta intellexisse, nec illa tamen in effectu operationis eorum verborum requirere quæ animalis homo desideraret, vt aliquid existeret sensibus comprehensibile quod verborum veritatem comprobaret, quemadmodum si per figuram Christus ea verba enunciasset, omnis illa Epiphanij argumẽtatio concideret sua sponte, & veluti inepta derideretur. Quis enim in figura corporis, non picta dico aut sculpta, sed alterius rei exhibitione notata, vlla exigeret lineamenta membrorum, qui non prorsus insaniret? Adeò hic locus ex Epiphanio manifestissimè aperit sensum proprium illorum verborum Christi, ita tum receptum ab omnibus, & sine controuersia certum fuisse, vt inde tanquam à principio noto & cõfesso ad decidẽdam cõtentionem duxerit Epipha-

Epiphani⁹ in lib. Ancoratus.

phanius argumentum, quod ridiculè à dubiis & incertis peteretur. Sed si cæteros authores consulimus, comperiemus hæc verba Christi, Hoc est corpus meum, certo sensu & proprio intellecta à Patribus, tanquam operatoria ipsius consecrationis organa citari. Vnde Ambrosius sic habet. Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborũ cœlestium alia species nominatur, post consecrationẽ corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post cõsecrationem sanguis nuncupatur. & tu dicis Amen, Hoc est verum. quod os loquitur mens interna fateatur, quod sermo sonat affectus sentiat. Hæc Ambrosius, qui ipsa sermonis vehementia, fidem proprij sensus verborum Christi à fidelibus exigit dum dicit: Ipse dominus Iesus clamat, Hoc est corpus. & deinde ipse dicit suum sanguinem, & postea tu dicis Amẽ. ergo inquit Ambrosius, quod sermo sonat, affectus sentiat. Annon obsecro vel iis verbis proprietatem sermonis indicat amplectendam mente & exprimendam affectu? Christus clamat corpus suum esse, nos fatemur respondentes Amen: ergo id monstret affectus, & nos ipsos probemus diiudicantes corpus Domini, ne pollutis labiis & cordibus immundis accedamus ad cõmunionem, quia verè est quod verba sonant, & ideo non est quod quisquam hîc cauilletur de verbis significare & nũcupare, quæ hoc in loco sunt ipsius veritatis expressiua, quoniã (vt Epiphanius tractat) licet nihil sit simile ei⁹ quod dicitur, tamẽ quod audiuimus, id inquit credimus, & hîc domini voci credim⁹, domini significatiõi credimus, domini nũcupationi credim⁹, & sonũ agnoscimus veritatis clamãtis & dicẽtis: Hoc est corpus meũ, Hic est sanguis. Et credimus domine auditui tuo, quod enim à te significatur esse etiã est, quod nũcupatur esse est, quod vocatur esse est, nã omnia facis & dicis in veritate. Vnde quod etiã tua sonãt, quib⁹ mea respõdẽdo Amẽ consonãt, mens interna fatebitur, & affectus sentiet. Atq; ne iis ego nunc imitor fidelium voces, qui Ambrosiũ hoc loco ita intelligerent. Nam alioqui ipse se Ambrosius aliis verbis luculẽter quid sentiat aperit, sic scribens: Vide omnia, illa verba Euãgelistæ sunt vsq; ad, Accipite, siue corpus siue sanguinem, inde verba sunt Christi: Accipite bibite ex eo omnes, Hic est enim sanguis meus. vide singula. Qui pridie quàm pateretur in sanctis manibus suis accepit panem,

Ambros. de iis qui initiantur. cap. 9.

Idẽ de Sacra. lib. 4. cap. 5.

nem, antequam consecretur panis est: Vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem, Accipite & edite ex eo omnes, Hoc est corpus meum. Et ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus, vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. Hactenus Ambrosius, qui tam clarè, tam distinctè, tam enucleatè quæ vult loquitur, vt nulla sit opus annotatione nostra. Quatenus enim hæc verba Christi, Hoc est corpus meum, dicit operatoria esse, & eius operationis effectum illiusmodi notat, vt quod ante consecrationem, id est prolationem illorum verborũ, esset panis, post illa prolata sit corpus Christi, propriam illorum verborum operatoriorũ esse significationem euidẽtissimè probat, quibus verum corpus & sanguinẽ qui nos redemit, dicit consecrata. Citabitur etiam huc Theophili Alexandrini testimonium, cuius fidem vel ex eo licebit æstimare, quod scribitur Cyrillum maxima illum veneratione prosecutum, tãtum illi detulisse, vt quicquid Cyrillus diceret, ab illo accepisse videretur. Hic Theophilus in libro Paschali sic scribit: Consequẽs enim est vt qui priora susceperit, suscipiat & quę sequũtur, & qui pro dæmonibus Christum dixerit crucifigi, ad ipsos quoque dicẽdum esse suscipiat, Hoc est corpus, &, Accipite & bibite, Hic est sãguis meus. Si enim & pro dæmonibus crucifigitur vt nouorum dogmatum assertor affirmat, quod erit priuilegiũ, aut quæ ratio vt soli homines corpori eius sanguiníque cõmunicent, & non dęmones quoque pro quibus in passione sanguinem fuderit? Hæc Theophilus, qui quoniam sanguinẽ in sacramento sumptum æquat sanguini in cruce fuso, & ad probandum sanguinem in sacramento dari citat illa Christi verba, Hic est sanguis: apparet propriam illorum verborum significationem, tum receptam & creditam fuisse. Theophilus autem ita mysterium eucharistiæ institutum intelligit quasi Christi passioni consequens, vt qui beneficium pasionis agnouerint, corpori & sanguini Christi etiam communicẽt in eucharistia, vt sanguinem bibant pro quibus fusus est, & qua veritate fusus sit, eadem veritate bibatur. Vnde etiã illa scripsit Chrysostomus: Credamus itaque vbique deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit. Superet & sensum & rationem nostram quæso ipsius, quod in omnibus & præcipuè mysteriis faciamus: Non illa

Theophilus in lib. Paschali. 2

Chryso. in Mat. hom. 83.

quæ

quæ ante nos iacent solũmodo aspiciẽtes, sed verba quoque eius tenentes. Nã verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facillimus est: illa falsa esse non possunt, hîc sæpius atq; sæpius fallitur. Quoniã ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Hæc sunt quæ Chrysostomus docuit populum, quem admonet diligenter sensibus vt ne fidant suis, sed adhæreant verbo, etiamsi sensus eius absurdus videatur. Quod ita demum fit quum proprio sensu verba Christi intelliguntur, qui homini animali videtur absurdissimus: quum interim ea verba ita interpretari, vt diluerit istorum siue metaphora siue tropus, vnde solam corporis figuram datam intelligamus: cum carnali hominũ iudicio bene cõgruit, vt aliud alio significetur, & vt figurã sui ipsius quis alteri det siue edendam siue conseruandam. At verò Chrysostomus vt fides Christi verbis adhibeatur exigit, & nulla ambiguitate teneamur, sed oculis intellectus eius quod Christus dixit veritatem inspiciamus. Nam vt alio in loco idem Chrysostomus habet, Dixit & simul rem confecit. Dixit autem: Hoc est corpus meum. quo verbo vt alibi dicit, proposita consecrantur. Ergo ad veritatem corporis & sanguinis Christi cõfirmandam, illa verba, vt dixi, à patribus quasi proprio sensu certa & recepta citantur. Vnde & Hieronymus sic scribit: Nos autem audiamus panem quem fregit dominus dedítq; discipulis suis, esse corpus domini saluatoris, ipso dicente ad eos: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. & calicem illum esse de quo item locutus est, Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus noui testamenti qui pro multis effundetur &c. Iste est calix de quo in propheta legimus: Calicem salutaris accipiã. & alibi, Calix tuus inebrians quam præclarus est. Quis dubitet Hieronymum de veritate carnis & sanguinis sentire quum dicat, Nos audiamus, videlicet à reliquis sensibus prouocans ad auditum? nam fideles quod audiunt de domino credunt. Vnde Epiphanius dixit: quod autem audiuimus id credimus. ergo audiamus inquit Hieronymus panẽ quem dedit dominus, esse corpus suum. Quod cęteri sensus negãt, fidelis confirmat auditus, qui adhæret verbo: & verbum citat Hieronymus quod reliqui patres, Hoc est corpus meum, tam certa erat de proprio illorum verborum sensu apud fideles persuasio, quibus

Idem in Mat. ho. 51

Idem hom. de prodit. Iudæ.

Hiero. ad Hedibiam quæst. 2.

dominus modum manducandæ suæ carnis aperire dignatur, quod illis verbis in cœna fecit, vt Cyrillo videtur, qui ita scribit: Oportebat igitur fidei primùm radices in animo iácere, deinde illa quærere quæ homini quærenda sunt. Illi verò antequam crederent importunè quærebāt. Hac igitur de causa dominus quomodo id fieri possit non enodauit, sed fide id quærendum hortatur. Sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite manducate, Hoc est corpus meum. Calicem etiam similiter circuntulit dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur in remisionem peccatorum. Perspicis quia sine fide quærentibus mysterij modum nequaquam explanauit, credentibus autem etiam non quærentibus exposuit. Hæc Cyrillus, qui quoniā interpretatur Christum modum manducationis carnis suæ in cœna tradidisse, sequitur intellexisse eum verba Christi dicentis, Hoc est corpus meū, proprio sensu intelligenda de carne verè data ad manducādum. Nam & idē Cyrillus dicit nos per mysticam benedictionē suscipere dominum Iesum, & in mystica cōmunione tangere Christum, vt ex eius verbis huc citatis apparebit, qui sic inquit: Quod autem mysticè benedictionis communio resurrectionis Christi quędam confesio est, verbis ipsius probatur. Fractum enim panem distribuebat, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur in remisionem peccatorū. Hoc facite in meam commemorationē. Participatio igitur mysterij vera quædā confesio & commemoratio est, quòd propter nos & pro nobis dominus & mortuus sit & reuixerit, & diuina nos benedictione propter hoc replet. Fugiamus igitur incredulitatē post tactum Christi, & firmi atq; stabiles ab omni longè ambiguitate inueniamur. Hactenus Cyrillus, qui tā certā & veram Christi præsentiā in sacramento docet, vt illum qui cōmunicant ibi à resurrectione tetigisse dicamur, qui tactus quēadmodū in diuo Thoma, sic etiā à nobis omnē de Christi resurrectione hæsitationē expellat. Et hāc præsentiā probat Cyrillus à verbis Christi, Hoc est corpus meū, quæ in solo sensu proprio id cōfirment, & sensum vtique propriū quum in aliis plerisq;, tum in duobus præcipuè locis quæ subiiciā, extulit Augustinus: Et ferebatur, inquit, manibus suis. Hoc verò, fratres, quomodo posset fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur manibus suis? manibus aliorū potest portari

Cyrillus in Ioan. lib. 4. cap. 14.

Eodē cap.

Idem lib. 12. ca. 18.

August. in Psal. 33.

portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundū literā non inuenimus, in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis quādo cōmendans ipsum corpus suū ait, Hoc est corpus meū: ferebat enim illud corpus in manib' suis. Ipsa est humilitas domini nostri Iesu Christi, ipsa multū cōmēdatur hominibus. Hoc in loco Augustinus intelligit Christū secundū literā portasse se manibus suis, quod nisi verba illa Christi, Hoc est corpus meū, proprio sensu accipiatur, ex illis nō probauit. Sed Augustinus Christū dedisse carnē suam māducandā alibi apertè scribit, adeóq; verba Christi sensu proprio putauit intelligenda, vt nō dubitauerit aliis Christi verbis quæ carnē dandā pollicitētur, ipsæ cenę verba quasi paraphrasi explicare in eo qui sequitur loco: Mensa spōsi tui panē habet integrū & calicē sanctū, quem panem etsi fractū cōminutúmque vidimus in passione, integer tamen māsit in illa sua cū patre indiuidua vnitate. De isto pane & de isto calice dicebat ipse dominus: Panis quem ego dedero caro mea est pro seculi vita. &, calix quē sanctificauero sanguis meus est, qui pro vobis fundetur in remissionē peccatorū. Hîc patet Augustinū sentire verba illa Christi, panis quē ego dabo, ad cœnā pertinere, & verba Christi in cœna illorū verborum sensum referre, vt quū Christus diceret, hoc est corpus &c. carnē senserit, nō corporis figuram. Adeò Christi verba proprio sensu intellecta fuisse certissimè cōstat. Quod & Euthymius tradit iis verbis: Itaq; sicut vetus testamentū hostias & sanguinē habebat, ita sanè & nouū, corpus videlicet & sanguinē domini. Nō dixit autē: Hæc sunt signa corporis & sanguinis mei: sed, hæc sunt corpus meū & sanguis meus. Oportet ergo nō ad naturā eorum quæ proponūtur aspicere, sed ad virtutē eorū. Quēadmodū enī supernaturaliter assumptā carnē deificauit, si ita loqui liceat: ita & hæc ineffabiliter transmutat in ipsum viuificum corpus suum, & in ipsum pretiosum sanguinem suū, & in gratia ipsorum. Hîc Euthymius non solùm confirmat sensum verborum propriū, sed verbis apertis excludit tropum, dū dicit, Non sunt signa. Testimoniū Oecumenij huc citabitur, quo proprietatē sermonis in verbis Christi persuasam ab ipsius calicis specie, è quo bibitur, putauit confirmandā, sic scribens: Ad eūdem modū & poculū. Erant enim in veteri quoq; testamēto pocula in quibus libabāt: vbi etiā postquā

In psal. 98.

Idē ser. de 4. feria. c. 6.

Euthymius in Mat. ca. 64.

Oecumeni⁹ in epist. 1. Cor. 11.

victimas immolassent sanguinem irrationalium excipientes, poculis libabant. Pro sanguine igitur irrationalium dominus proprium dat sanguinem, & bene in poculo, vt ostendat vetus testamentum antea hoc deliniasse, propterea dixit, nouum testamentum est per meum sanguinem, non per irrationalium sanguinem vt in veteri testamento. Breuiter hoc vult Oecumenius tam certo & tam verè nos bibere in cœna sanguinem Christi, quàm libabant in suis sacrificiis veteres sanguinem irrationalium. Tam propriè intellexit verba Christi Oecumenius, dum de suo quem in poculo dabat sanguine loqueretur, vt quum ad instar veterum poculum habeamus, sanguinem etiam longè preciosiorem & infinitis partibus meliorem, inde porrigente Christo hauriamus. Sed quid istis immoror diutius quæ sunt tam aperta? Damascenus celebris author sic scribit: Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi, Absit enim hoc: sed est ipsum corpus domini deificatum, ipso domino dicente, Hoc est meum, non figura corporis, sed corpus, & non figura sanguinis, sed sanguis. & ante hoc ipsis Iudæis: quoniam nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam æternam. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Hæc ab istis patribus scripta sunt quasi iam in spiritu præuidissent exorituros figuratores, quibus iugulandis tela suis scriptis pararent catholicis, quoniam, quod in Euthymio dixi, non solũ asseritur hic & firmatur sensus verborum Christi proprius, sed etiã excluditur tropicus, ad quam etiam formam Theophilactus scribit. Porrò dicens, Hoc est corpus meum, ostendit quod ipsum corpus domini est panis qui sanctificatur altario, & non respondens figura. Non enim dixit, Hoc est figura: sed, hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transmutatur, etiam si nobis videatur panis, quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem: & ideo panis quidem apparet, sed caro est. Et deinde alio in loco quum benedixisset, hoc est gratias egisset, fregit panem. id quod etiam nos facimus preces adiungendo, Hoc est corpus meum: hoc inquam quod nunc sumitis, non enim figura & exemplar dominici corporis panis est, sed in illud ipsum conuertitur corpus Christi. Dominus enim dicit: Panis quem ego dabo caro mea est, non dixit figura carnis meæ, sed caro mea est. & iterum:

Damascenus lib. 4. cap. 14.

Theophila. in Mat. ca. 26.

Idem in Mat. c. 14.

Nisi

Niſi ederitis carnem meam. Hæc tam clara, tam certa, & tam perſpicua ſunt, vt de tua lector æquitate diffidere videar ſi illa coner annotationibus tractare. Ergo vt hunc locum abſoluam, Produxi ex patribus Iuſtinũ, Irenæum, Originem, Cyprianũ, Athanaſium, Iuuencum, Emiſſenũ, Baſilium, Epiphaniũ, Ambroſium, Theophilũ Alexandrinum, Chryſoſtomũ, Hieronymũ, Cyrillum, Auguſtinũ, Euthymium, Oecumenium, Damaſcenum, Theophilactum: qui omnes ſuperiorum ſeculorum fuerunt ante annos ſeptingentos. Quòd ſi in citandis nominibus ambitioſus eſsem, quantũ eiuſdem ſententiæ conficerem catalogum, hoc eſt eorum qui proprium verborum Chriſti ſenſum, Hoc eſt corpus meum, vno ore confirmarent, maximam illorum verborum dignitatem aſerentes, ſummo ſemper honore certam & inuiolatam atque omni controuerſia & contentione ſuperiorem? Et audiendi ſunt poſtea qui iis poſterioribus temporibus exorti ſunt tenebricoſi quidam pauciſſimi illi, & ſuo ſcelere clari vel infames potius, Berengariũ dico, VVitclefum, Oecolampadiũ, Zuinglium, Ioachimum Vadianum. Nam reliqui ſi qui fuerint minorum gentium Dij, teſtes falſi illi quoq;, ſed cum iſtis qui aliquid videbãtur, haud connumerandi, quoniam ſuum ferè nihil habent, ſed quod ab illis acceperunt mangonizant, deinde & popello vendunt. Sed vt finiam, ſi teſtium numerus, & illibata authoritas, ſi dictorum pondus, ſi ætatis veneratio, conſenſus denique maximus meritò præponderent: quod æquum eſt fieri, faceſsat omnis de ſenſu verborum Chriſti controuerſia, iaceat lis, extinguatur contentio, querelæ ceſsent, & verborum Chriſti authoritas agnoſcatur, quæ ſenſu ſuo proprio catholicam de euchariſtia fidem & veteribus prodiderunt, & firmarunt nobis.

OBIICITVR 14.

QVICVNQVE IMPONIT FIDEI SCRIPTV*ræ aliquem ſenſum extraneum quem ſpiritus ſanctus nõ ſic flagitat, eſt hæreticus. Sed quod horum verborum (Hoc eſt corpus meum) ſit hic ſenſus, Subſtantia latẽs realiter, ſub hoc accidente ſine ſubiecto eſt corpus Chriſti: vel quòd per prolationem horũ verborũ ſubſtantia panis tranſeat in corpus Chriſti, iſti ſenſus, inquam, nec ex fide ſcripturæ, nec ex literali ſenſu verborũ, nec ex reuelatione vel ratione oſtendi poſsũt: ergo qui hunc ſenſum defendunt ſunt hæretici.*

RESPONDET CATHO.

MAior propoſitio valet in iſtos figuratores qui ſenſum extraneum & nouum quem ſpiritus non flagitat ingerunt, vt Chriſtum dediſse dicant ſolam coporis figuram, quum in verbis Chriſti nulla ſit figuræ mentio. Quippe enim vis verborum Chriſti ſententiam illam nobis eruit quam docet eccleſia, quam negat iſte argutator, Chriſtus videlicet accepit panem in manibus, vnde vnam tantummodo ſubſtantiam habuiſſe Chriſtum in manibus conſtat. Deinde vnum illud ens in ſubſtãtia quod habebat in manibus demonſtratione (Hoc) ſignificans, definiuit eſſe corpus ſuũ, dicẽs: Hoc eſt corpus meum. quod & definiendo effecit, quum verba ſint quę Chriſti ſunt operatoria, de quo dicitur: dixi & facta ſunt. Nũc ipſa expendamus verba ſingula. Illud (Hoc) quoniã eſt ſingularis numeri, vnũ tantũmodo ens in ſubſtantia indicat, veluti indiuiduũ illud in genere, hoc eſt, ſine explicatione quænã ſit ſubſtãtia, nam illud relinquitur prędicato explicandum. Prædicatũ verò quoniã ex nomine (corpus) cõſiſtit, aperit illam ſubſtantiã quæ in ſubiecto pronomine illo (Hoc) obſcurè notabatur eſſe ſubſtantiã corporis Chriſti, vt appareat vnũ ſolummodo eſſe ſubſtantiã propter ſubiectũ (Hoc,) & illã eſſe corporis Chriſti propter prędicatũ corpus. Iam verò quod ad illud (Latere) attinet, ſubſtantiã corporis latere cõſtat duplici nomine, vel quia omnis ſubſtantia latet, vel quia Chriſtũ corpus ſuũ nõ ſpecie viſibili dediſſe res ipſa docuit, quũ illud vnũ pronomine demonſtratum corpus Chriſti diceretur, quod corporis ſpeciem non habebat, tum autem quia de veritate verborum Chriſti non ſit nobis ambigendum, nec de poteſtate dubitandum nobis ab illius authoritate conſtat, quòd dixit ita eſſe vt dixit. Quoniam autem illud vnum quod Chriſtus in manibus tenebat, erat antea per naturam ſubſtantia panis, nunc autem ab eo qui id efficere poſsit dicitur ſubſtantia corporis, ſcilicet quia corpus quod eſt nomen ſubſtantiæ, illam vnam ſubſtantiam determinat: excluditur illa vnitate binarium, atque vt ne bina ſit ſubſtantia non poſsit dici conſiſtere illa ſubſtantia panis, cuius tamen accidentia ſenſibus manent, quemadmodum ſpecies corporis Chriſti ſenſibus non exhibetur, quoniam vnum illud in ſubſtantia (Hoc) indicat quod ſub accidentibus pa-

nis omnino lateret. Quæ singula si consideres, reperies hũc sensum ex verbis constare, substantiam latentẽ corporis Christi sub panis accidẽtibus, verè reipsa exhibitam esse, quod tantundẽ valeat quasi dicas realiter: & quia panis substantia abest quæ illorũ accidentium panis subiectum erat, dicũtur accidentia manere sine subiecto. nam dicere illa accidere corpori Christi quod nec augetur nec minuitur, est absurdum. Vnde liquet ex verbis Christi hũc sensum colligi, videlicet, substantia latens realiter sub hoc accidente sine subiecto est corpus Christi. Superest de transitione dicere quam alij mutationem, alij conuersionem, alij transelementationem dicunt, sed simplicissimè qui transubstantiationem: nam hocverbi nihil altiùs ingreditur mysterium, quàm quasi dicas: alia substantia fuit in manibus Christi quæ modò non est, alia porrò modò est quæ antea nõ erat. Ergo dicet carnalis: Illa quæ fuit periit. Respõdeo, quia in manibus Christi nihil perit. Fugio illa absurda dicere, & quia melior substantia succedit, non est adnihilatio. Sed desinere illam dico in meliorem, quæ verba summa veritate nituntur, atque hanc desinentiam, alij conuersionem dicebant, alij mutationem: quæ verba quoniam calumniandi materiam dabant hæreticis, ex naturalibus conuersionibus & mutationibus argumenta ducentibus, simplex catholicæ veritatis sensus verbo transubstantiationis expressus est, vt omissis verborum argutiis, intelligamus esse quod dixit Ambrosius, panem ante consecrationem, corpus Christi post consecrationem. Fuit videlicet substãtia panis, nunc certè est substãtia corporis Christi, quoniã substantia illa panis manentibus accidentibus trãsitione mutata est in substantiam corporis, quod verbo (transire) ne aliũ mutationis modũ exigas, significatur: videlicet fuit illa substantia, nũc est ista, vt quũ factum sit quomodo præterea fiat cõtra istorũ argutias nescire sit tutissimũ, & illorũ curiosis quæstionibus ita respõdere, vt Christũ ipsum lacessant potius, qui vt pro se respõdeat ętatẽ habet. Illud nobis fuerit satius cũ Ambrosio & ecclesia illud fateri, ꝙ vim trãsubstãtiationis exprimit, Christũ accepisse panẽ quod natura formauit, dedisse corpus quod benedictio consecrauit. Vnde patet manifestè transubstantiatio, quum diceret vt Theophilactus habet: Hoc quod sumitis est corpus meum. Quæ stupenda & admiranda quum sint, secreta tamen inuisibilis sacerdotis potestate

Ambros. de sacramen. li. 4. cap. 4.

Ambrosi⁹ de iis qui initiantur. cap. 9.

Theophilactus ĩ Marcum 14.

ita fieri

ita fieri non dubitant fideles: quam potestatem quoniam solet exerere verbis qui omnia virtutis suæ verbo portat, ea vis verbis piè attributa est, non quatenus verba sunt, quasi virtutem inhærentem habeant, ne incantatoria putes, sed propter authoritatẽ Christi qui illis sua virtute adest, qui est ipsa veritas, à quo quin quæ dicit facta sint, haud sit fas hæsitare. Et patres in huius sacramenti vsu dum fidem nostram exigunt, ad illa Christi verba nos relegant, Hoc est corpus meum: quibus verbis Christi virtute efficacibus, si non efficiatur cõsecratio, certè consecrationis effectæ nos reddunt certos & persuasos. Vt verba consecrationis meritò appellentur.

OBIICITVR 15.

NESCIVNT QVID DEMONSTRETVR *per (hoc) in verbis Christi. nam quidam dicunt demonstrari id quod antea fuit, & tũc sequitur, quòd panis materialis est corpus Christi. Alij dicunt demonstrari corpus, & tum valet propositio, corpus meum est corpus meum. Alij dicunt demonstrari, nec panem, nec corpus, sed indiuiduum vagum, & indiuiduum in genere, vel nescio quam mathematicam quidditatem. Vide in quæ proruant, & quibus angustiis teneantur, dum hanc monstrosam præsentiam fingunt.*

RESPONDET CATHOLICVS.

HIC dum arguit aliorũ ignorantiam, prodit planè suã, qui nescit hanc consecutionis vim si obtineret, ad omnem scripturæ in ecclesiæ scientiam infirmandam pertinere: quæ scriptura maxima varietate etiam à catholicis ad illustrandam veritatem sit interpretata, & ex iisdem verbis, alij hunc, alij illum sensum eruunt qui non abhorreat à scopo veritatis, in quem summa conspiratione colliniant omnes, de quibus quum sint passim obuia, non erit necesse exẽpla proferre. Quod si Ethnicus sic obiiciat Christianis: Nescitis prorsus scripturas vestras, quoniam quidam quos dicitis hæreticos contendunt Christum in cœna dedisse panem pro figura corporis, quum tamen diceret, Hoc est corpus meum. Quidam verò alij qui estis catholici affirmatis Christum quod ipsa verba sonant, dedisse verum corpus. An videbitur Ethnicus hac distributiõe quę est verissima, confir-

confirmasse quod intendebat scripturas nescire Christianos? Et aliquorũ peruersa ignorãtia pertinebit ad vniuersos? Atque hæc eò dico vt ostendam ineptiã confirmationis huius, quæ ex particularibus fit, quum alioqui inter eos quos hic argutator dicit aliter atq; aliter demonstrationem interpretari, sit summus consensus in veritatem. Nunc ostendam huius calumniatoris ignorantiam summam, qui quid dicant isti quos nescire dicit, prorsus nõ intelligit. Nam ex interpretatione eorum qui dicunt demonstrari quod antè fuit, non sequitur necessariò panem esse corpus, sed ex pane qui antè fuit iam factum corpus, conuersione videlicet, quod non secundum naturæ modum tanquam ex materia fiat in aliud mutata, sed mirabili modo quem operatur sua virtute deus, quẽadmodum Cyprianus scribit: Panis omnipotentia verbi factus est caro, quia secundum hanc interpretationem vocauit deus quod non erat vt esset. Vnde sequitur ex eo quod fuit panis, iam factum esse corpus, quemadmodum Euangelista scribit gustasse Architriclinum aquam vinum factũ. Illi verò qui demonstrari dicũt corpus, aliis verbis idẽ dicunt quod tertij, sed crassiùs. Isti enim subtiliori rerum distinctione demonstrari dicunt indiuiduum vagum, videlicet indiuiduum in genere notantes, vim demonstrationis propriam & quatenus indicat circunscribunt. Demonstratio enim (Hoc) integram rei naturam nõ penetrat, sed quatenus ibi indiuiduum sit, illud vnum notat, nec tamen aliquas illius indiuidui notas exprimit, quibus mens nostra à vagabunda de re cogitatione ad certos cognitionis terminos reducatur: ideóque demonstrat pronomen (Hoc) indiuiduum quidem, vt dixi, sed vagum illud non rei proprietati affixum, tantum in genere enunciatiuum, hoc est, nihil aliud quàm indiuiduum, quod animi nostri cõceptione generalius ipso indiuiduo integro est, quod est quasi dicas indiuiduum indiuidui. Itaque (Hoc) à grammaticis pronomen dicitur, quasi nominis vice vsurpatum, sed minus quiddam à nomine indicans, quoniam nomen quod quidem sit propriũ & rem verè afficiat, rei ipsius naturam cum speciali insigni refert, & efficit indiuiduum insignitum, quum pronomen nihil aliud indicet quàm indiuiduum illud vagum & in genere. Et ideo dicente te, Hoc meum est, & cõgruè quærat aliquis quídnam hoc sit, (si nesciat) quoniam non naturã demonstrasti, sed indiuiduum in genere,

Cyprianus de cœna domini.

Ioan. 2.

& rursum fieri potest vt huic quæstioni rectè respondeas nescio, si nescias, quia de re cuius naturam ignoras potes demonstrare indiuiduum vagum & in genere, quoniam licet naturam ignores certè scis esse vnum & indiuiduum, vt illud iudices demonstratione (hoc,) & quum hæc annotaueris lector, animaduertes locutionem quã sermo familiaris & quotidianus recipit dum dicimus, Hoc est vinũ, Hoc est mel, non nugatoriam esse, quasi diceretur, Hoc vinũ est vinum, hoc mel est mel, sed conuenienter dici, vbi subiecto quod fit ex demonstratione, quoniam explicatione egeat adiungitur, tanquam illustrius prædicatum ex ipso nomine rei explicandæ, quod indiuiduo in genere & vago notam addat qua cognoscatur. Vt enim fatua & nugatoria est connexio, vinum est vinum: vel, mel est mel: ita elegans est illa & vsitata, Hoc est vinum, Hoc est mel: quia crescit propositio, & subiectum continet indiuiduum vagum per demõstrationem pronominis (Hoc) prædicatum naturam rei subiungit adiectione nominis. Vnde constat (vt ad id quod agitur accedam) istos secundos & tertios quos tanquam dissentientes notat per inscitiam hic argutator, sensu reuera concordare quod vtrique corpus demonstrari intelligant. Sed secundi crassius animi sui sensa in apertum proferunt, tertij subtiliùs & minutiùs rem expendẽtes, quod in corpore demonstratur propriè explicant, vbi natura corporis demonstratione non indicatur, sed quatenus sit indiuiduum eatenus porrigitur demonstrationis vis. Vnde citra nugationem constat propositio, Hoc est corpus meum, quum corpus est corpus, sit fatuum & insulsum, & ideo doctis auribus absonum & nugatorium. Quæ quum hic argutator nõ intelligat, nihil aliud quàm deridet quod non assequitur, & tandem exit in maledicum, vt præsentiam Christi in sacramẽto lingua petulanti & blasphema dicat esse monstrosam, qui si monstrum sentit quicquid legibus naturæ nõ respondeat, quatenus carnalis & animalis est se digna loquitur, sed opus dei piis non dicitur monstrosum: sin verbo illo aliquid horroris contra naturam notari vellet, adeò non est monstrosa illa in mysterio præsentia, vt non sit dubitandum, siquidem illam deus detegere vellet, & ab arcano mysterio in manifestum producere, lætissima sit fidelibus & iucundissima futura, vtpote cui secundũ Chrysostomũ assistunt angeli, & venerabundi, vt ille scribit, & lætabũdi.

Chrysosto de sacerdotio. lib. 6.

Si

OBIICITVR 16.

SI MANDVCARE CORPVS CHRISTI EST *figurata locutio, vt est iuxta Augustinum, ergo etiam, Accipite, manducate, Hoc est corpus meum, est figurata locutio.*

RESPONDET CATHOLICVS.

MAnducare corpus Christi carnalibus & infidelibus, qui non secundum spiritum iudicant, figurata est locutio: quæ eadem propria est fidelibus, vt in sacramẽto manducetur secundum institutionem Christi, qui (vt Cyrillus ait) modum manducationis suis aperiẽs dixit quum daret: Accipite & manducate, propriè exigens corporis officium, non quidem vt in corpus Christi similiter atque in reliquos cibos comminuendos ageret manducando, sed vt ab illo in manducatione sanctificaretur, & anima de deo saginetur, siquidem fuerit digna manducatio. Tum autem & illud dicendum est: verba illa (manducare corpus Christi) quoniam multa nobis mysteria & arcana exhibent, verba nimirum quæ Christus spiritum esse & vitam pronunciauit, quatenus quidem ea non omnes statim percipiunt, figuratam esse locutionem Augustinus rectè dicit, vt ne quis fidelium vna sacramenti perceptione se defungi putet. Significat enim mãducare, credere, significat Christo compati: quod etiam ipsa sacramenti perceptio & totum hoc Eucharistiæ mysterium significat, vt Bernardus ait. Significat præterea Christo incorporari, & in eo manere, atque vt Basilius ait, omnem Christi vitam imitari, quæ ista tam multa propriam illam manducandi actionem suo modo in sacramento suscipiendo peragendam non tollunt: nam & de illa etiam sæpius interpretatur Augustinus, adeò nihil prohibet eãdem locutionem simul & figuratam esse, & propriam.

Cyrillus in Ioan. lib. 4 cap. 14.

Bernar. in Psal. Qui habitat. serm. 3.

Basilius in Epist. 141.

Aug. cõtra Cresconiũ. lib. 4. cap. 26. & contra aduersariũ legis. lib. 1. c. 24. et epi. 106

OBIICITVR 17.

QVVM CHRISTVS DIXIT, HOC EST CORpus meum, *dixit non ad panem & vinum, sed ad corpus sedens in cœna. Hinc apparet per illa verba non esse conuersionem panis.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Hoc argumentum & ſtultum eſt & infame, vtpote à quo authores eo nomine exploſi & irriſi dicebantur Germanis Toutiſtæ, quòd tam inſanè abuterentur ſenſu illius demonſtrationis. Sed quemadmodum Paulus ſtultam Corinthiorum ſuperſtitionem dum pro mortuis baptizarentur, in argumentum produxit creditæ reſurrectionis: Sic & iſtorum inepta demonſtrationis accommodatio illud argumenti habet, vidiſſe illos verba illa Chriſti, Hoc eſt corpus meum, propriam ſignificationem exigere, vt de vero corpore non de figura intelligerentur: & tamen ne veram corporis in myſterio præſentiam confiterentur, in hunc tam fatuum & bliteum errorem prolapſi ſunt, vt à myſterio ad corpus viſibile Chriſti verbum corporis detorquerẽt, quod nec cum præcedentibus cohæret, atque ſic intellectum & eo relatum à communi ſenſu eſt alienum, vt quiſquam intuentibus eũ aliis veluti oſtentans dicat, hoc eſt corpus meum, quaſi illi dubitarent num eſſet alterius. Et quemadmodum illud pronomen (meũ) de corpore viſibili non aptè prædicetur, ita ad explicandum myſterium magnam habet emphaſim, quò magis corporis dati veritas intelligatur.

OBIICITVR 18.

IN SACRAMENTO EST PANIS MATErialis: *Nã Chriſtus accepit panẽ, fregit panẽ, dedit panẽ diſcipulis. Et Paulus quinquies meminit panis. Hæc quoniam clara ſunt & aperta, debent ſimpliciter accipi: & ideo ſi Angelus de cœlo euangelizauerit ſecùs, eſto Anathema.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ADhibetur ſacramẽto cõficiendo panis materialis, quẽ Chriſtus in ſacras manus accipiens vocauit quod non erat vt eſſet, cuius operationis ſi nullus eſſet effectus, iam verum ſit dediſſe quod acceperat panem. Sed ſi quod dixit effecit, dicens, Hoc eſt corpus meum, non panem quem acceperat, ſed corpus quod effecerat, dediſſe dicendũ eſt, ne nihil egiſſe videretur. Meminiſſe panis Paulo neceſſe fuit tã-

quam

quam materiæ adhibitæ, vnde mysterium conficeretur, deinde vt tectiùs de tanto mysterio loqueretur, vtitur aliquando appellatione veteri, sed de substantia mysterij agitur non appellatione, quę appellatio quatenus in panis nomine post cõsecrationẽ maneat, pręteritũ respicit, vt quũ cæcos videre & claudos ambulare Iesu sanante Euangelista narrat. *Matth.11* Breuiter accepit Christus panem, benedixit panẽ, fregit deinde & dedit quod ex pane benedicendo confecerat, quod illud quale quid esset extulit iis verbis, Hoc est corpus meũ: quibus verbis an verum prædicauerit ipsa veritas qui addubitauerit, Anathema sit: nam vt Epiphanius dicit, ab omni excidit gratia & salute. *Epiphani⁹ in Ancoratu.*

OBIICITVR 19.

CHRISTVS ACCEPIT PANEM, BE*nedixit panem, fregit panem, dedit panem: illa quatuor verba non regunt nisi vnum accusatiuum, panem. Igitur sicut verus est dum accipitur & benedicitur, non minus verus est panis dum frangitur & datur. Vnde sequitur Christum dedisse panem, alioqui dixisset Euangelista Christum fregisse corpus, dedisse corpus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

SI grammaticam consulimus, omnis accusatiuus actionem in se recipit verbi cui subiicitur, & ideo ex accusatiuo fit nominatiuus eiusdem verbi passiuo congruens. Et vt à Christi verbis non recedamus, Christus accipiebat panem, quod est mutato verbo, panis accipiebatur à Christo, & panem quem accepit Christus, post acceptionẽ dicimus panem acceptum, tanquam ipsa actione affectum. Vnde post verbum benedixit vt plenus accusatiuus sit, oportebit repetere panem acceptum, & post verbum fregit, panem acceptum benedictũ, & post verbum dedit, panem acceptum benedictum fractum. Atque hæc dico vt ostendam non vnum esse accusatiuũ, etiam si verbis istis præter simplicem significationem nihil inesset altioris mysterij. Et illud omnino obseruandum, vt secundum modum actionis alicuius verbi præcedentis aptetur in vltimo verbo accusatiuus, adeò si quod verbum præcesserat quod substantiæ mutationem designet, in vltimo accusatiuo continebitur. Verbi gratia: Accepit quis vinum &

mel, miſcuit porrò & dedit bibere. Si quæratur quid dedit bibere, non repetam pro accuſatiuo vinum & mel, quæ (vt ait Iuriſconſultus) propter mixtionẽ in ſua ſubſtantia non durant, Sed aliam conſtituunt ſpeciem, videlicet mulſum: itaque actio verbi (miſcuit) nõ eſt diſsimulanda in vltimo accuſatiuo, nec quia dico, accepit vinum & mel, deinde miſcuit vinum & mel, non dicam tamen dediſſe bibere vinum & mel, ſed accuſatiuus verbi dare, erit mulſum, ad exprimendam actionem verbi (miſcuit) præcedentis, quæ ex communi ſenſu & regulis grammatices non poteſt ſileri. Quare vt ad verba Chriſti redeam, quoniam credimus Chriſtum ita benedixiſſe panem quem in manus acceperat, vt verè efficeret quod verbis profeſſus eſt, dicens: Hoc eſt corpus meum, cuius verbis magis credit fidelis de effecta vera præſentia corporis & mutatione panis, quàm ſenſibus renuntiantibus de confecto per mixtionem mulſo: accuſatiuus verbi (dedit) ex ore Chriſti non erat panem, quem acceperat, ſed corpus quod præſens eſſe confecerat, & quomodo Theophilactus interpretatur dixiſſe Chriſtum, Hoc quod ſumitis eſt corpus meum, vt vnam corporis ſubſtantiam (quod tranſubſtãtiatio exprimit) dediſſe intelligatur. Quod ſi quis hîc obgannierit: ergo conſecrauit Chriſtus benedicendo, & tunc ſequitur fregiſſe corpus: reſpondeo, fregit quidem in myſterio, ſed expedita eſt fractio inuiſibili ſigno, & dedit demum quod dare promiſerat, quódque egit vt daret, corpus ſuum: atque huc ſpectaſſe benedictionẽ verbis ſuis operatoriis exponit, dicens, Hoc eſt corpus meum. At replicabitur: Illa verba tanquam poſtea dicta narrat Euangeliſta, & præceſsiſſe illa, Accipite & manducate, quaſi verò rei geſtæ veritas ex ordine narrationis ſit omnino æſtimanda, ſecundum quẽ ne corporis quidem figuram iuſſerit manducari Chriſtus. Nam narratur dixiſſe eum, Accipite & manducate, nondum explicato quid eſſent manducaturi. Sed iſti in re ſeria nihil aliud quàm nugantur, ad quem modum ſi quis in ſermone quotidiano cauilletur, non conſiſteret.

Theophilactus ĩ Marci 14.

OBIICITVR 20.

HOC POCVLVM EST NOVVM TE*ſtamentum in meo ſanguine: ſed hîc eſt tropus, ergo in aliis verbis: Hoc eſt corpus meum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

HIC tropus quoniam apud alios Euangeliſtas propria locutione explicatur, cedit ſenſui ſecundum literam, quæ in Matthæo ſic habet: Hic eſt ſanguis. Quod autem ad illa Chriſti verba attinet, Hoc eſt corpus meum, ſua forma loquẽdi tropum reiiciunt, nedum admittunt, quum ſi ſermonem noſtrum familiarem quem ſenſus communis peperit conſulamus, illud (Hoc) in ſubiecto poſitum quoniam nullam alicuius naturæ propriam notam indicat, ſed entis ſingulare quid & vnum, vel in ſubſtantia vel in accidenti eius quod demonſtratur in prædicato, vnde quid ipſum (Hoc) indicaret in ſubiecto colligẽdum eſt: exigit in prædicato ſubiici quod ipſum explicet atque aperiat, quo loco qui tropum ſubdit, tenebras addit vt nihil intelligatur. Adeò quum audimus (Hoc) ſuſpenſo animo explicationẽ expectamus quò pertineat, & ſi quis dicat, Hoc eſt panis, intelligimus ex prædicato fuiſſe in ſubiecto demõſtratam ſubſtantiam: ſin ita dicat, Hoc eſt dulce, demonſtrauit in ſubiecto ens in qualitate, quum ſubſtantiam forſan ignoraret. Si quis verò de ſtatua dicat, Hoc eſt homo, ſenſus communis intelligit illum non demonſtraſſe ſubſtantiam hominis aut ſtatuæ, ſed quod eſt accidens in homine, cum eo quod eſt in ſtatua accidens, comparaſſe ſimilitudine: ac ſi dixiſſet, figura huius ſtatuæ eſt figura hominis, quod & in omnibus his locutionibus obtinet, vbi non ſubſtantias rerum, ſed qualitates explicamus, quando eorum quæ in prædicato dicuntur ſimilitudo aliqua relucet in iis quæ hoc modo loquendi quaſi conferuntur. Qui de pictura loquens dicit, Hic eſt rex, accidens regis demõſtrauit in accidenti picturæ, cuius ſimilitudo quædam in pictura relucet oculis, nec quicquam ſit præterea ſimile regis. Et illud mecum conſidera quod dico demonſtrari prædicatum, vt illud aliquatenus noſcas in hoc quod ſubiicitur oculis, & vna etiam eatenus illud quod ſub aſpectum ponitur, atque ideo eatenus dico, quia de ſtatua loquens & dicens, Hoc eſt homo, neſciat fortaſſe interim lapis ſit an lignum, vel alterius materiæ ſtatua, ſed videt eſſe in ſtatua figuram. In quibus locutionibus euicit ipſa loquendi conſuetudine ſenſus communis non eſſe in iis formulis tropum, ſed ipſorum accidentium collationem, quum nemo ſit tam ſtupidus vt

altero de ſtatua propoſita dicente, Hoc eſt rex, in eo contenderit nō eſſe quia ex lapide ſit, quum rex ſit carneus, Sed tantum ſi fortè male expreſsis lineamentis regis effigiem neget referre. Quòd ſi de lapide rudi diceret quiſpiam, Hoc eſt rex, lapide opinor illi diminueret caput, qui regium nomen ſanctum haberet, educatus in regno, nec expectaret ænigmatis explicationem. Quum verò Chriſtus acciperet in manus panem, non aliquid pictum, aut ſculptum accepit in quo corporis ſui effigiem demonſtraret, vt illud hoc in corporis ſui accidente explicaret. Nam vt Epiphanius ait, nihil eſt ſimile corporis in pane, non effigies, non lineamēta membrorum. nam eſt, inquit, rotundæ figuræ. Hæc quum ita ſint, apparet illis verbis, Hoc eſt corpus, ſubſtantiam ſignificari corporis, nec de pane cui nihil erat ſimile, quicquam intelligi, quando corpus de ſubſtantia ſua non aliena prædicetur. Et quæ verba ab alterius ore eſſent propter rerū magnitudinem vel ridicula vel ænigmatica, ſunt ex Chriſti ore qui omnia poteſt ſuſpicienda: & quoniam nec illudere nobis vult, nec fallere obſcuritate, eo ſenſu proprio & aperto intelligenda quæ tanta maieſtate & authoritate digna videantur: & perinde habeantur ac ſi dixiſſet, Quod vos ex ſenſuum indicio æſtimaretis panē quem in manus accepi, effeci ſecreta poteſtate vt ſit corpus meum, & ideo ne fidite ſenſibus, ſed verbo meo qui dico vobis, Hoc eſt corpus meum. Quòd ſi Chriſtus de figura ſola ſui corporis danda ſenſiſſet, vel dixiſſet, Hic panis eſt corpus, vt in verbo, eſt, intelligeremus tropum, vel apertè dixiſſet, Hoc eſt figura corporis mei, quod nō dixiſſe Chriſtum Theophilactus notauit: & licet Tertullianus quaſi cauſæ ſubſeruiens id dicere voluit, addidit tamen Chriſtum feciſſe panem corpus ſuum, ne quid illa interpretatione officeret veritati, ſecundum quam colligi poteſt viſibilem ſpeciem elementi pro figura eſſe, quum verè ſimul adſit ipſa ſubſtātia corporis, propter vim horum verborum, Hoc eſt corpus, quæ tropum reiiciunt, niſi violenter adhibeamus, vt ſacramentum noſtro ingenio cōfictum, non verbi omnipotentia confectum habeamus.

Epiphani⁹ in Ancorato.

Theophi. in Ioan. 6.

Si Chriſtus

OBIICITVR 21.

SI CHRISTVS ESSET CORPORALITER *in sacramento, pateretur quotidie, & sanguis eius funderetur. Nã scriptura dicit, Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, Hic est sanguis meus qui pro vobis effunditur. Sed corpus eius non quotidie patitur, nec sanguis funditur: ergo Christus non est corparaliter in sacramento.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Si Christus in suprema cœna quã visibiliter præsens celebrauit cum suis, nihil est passus, in qua tamen corpus & sanguinem verè dedit in mysterio, eadem elocutus verba quæ nos proferimus de corporis traditione & fusione sanguinis: quæ tandem ratio esset vt quũ eadem à nobis cœna quasi repetita celebretur, aliud nunc fieret quàm tunc est factũ, & eorundem verborum tanta sit hodie vis, vt paßionem verè præsentem exigant, quæ in prima cœna illis ipsis verbis prolatis non erat? Christus illis verbis traditur & funditur, veritatem rei gerendæ expreßit, nos rei gestæ agnoscimus veritatem, à forma verborũ Christi non recedẽtes, quæ summa semper veritate nituntur. Quãta bone deus se prodit istorum ignorantia, qui non vident si verba hæc (traditur & funditur) ita vrgeantur, probaremus paßionem Christi vt minimum geminam, vnam à Iudæis in cruce, alteram ab ipso Christo in cœna. Nam siue dedit verè corpus vt rectè credunt Catholici, siue solam figuram vt isti figuratores volunt, de sanguine certè dixit funditur, quod in corpore naturali nõ fit sine paßione, & mortis adeò si à corpore separetur quod verba sonant.

OBIICITVR 22.

SI VERBA, TRADITVR ET FVNDITVR, *accipiantur à nobis vt sonant dum ea proferimus in consecratione, tum corpus Christi significabitur modò tradi in crucem, & sanguis eius modò effundi, aut mox effundendus. Quòd si volunt conuerti hæc in præteritum, vt intelligamus corpus traditum & sanguinem effusum, id esset tropicè agere, quando tempus pro tempore accipitur, quod in nobis non ferunt.*

RESPONDET CATHOLICVS.

VErba in oratione & sermone familiari nõ semper actionis aut passionis tempus notant, sed certam illius actionis passionísve veritatem, vel præteritam vel futuram, sed tamen indiscreto tempore maximè quum in præsenti enunciatur. Vnde quum Ioannes de se diceret, Ego baptizo in aqua, non significabat se illo ipso tẽpore baptizare, sed de actione quę præterierat & quam esset repetiturus, præsentis temporis verbo elocutus est, quasi id iam faceret, quæ propria est locutio exprimentis sine tempore actionẽ. Vnde quum Paulus ad Romanos scribẽs sic dicat, Qui prædicas non furandum furaris, non significat illos simul eodem momento prædicare & furari, sed vtrunque agere suo tempore. Et Christus vt futuræ suæ præsentiæ certitudinem significaret, Ego vobiscum sum, inquit, vsque ad consummationem seculi: non dixit ero, nec tropo est vsus, sed vim expresit quotidiani sermonis, & ipsa grammatica tradit inflecti præterita & futura passiua præsentis temporis substantiuo verbo, vnde perpessus sum, & passurus sum dicitur, & in sermone familiari nihil frequentius quàm vt rerum vel præteritarum vel futurarum certitudinem & securitatẽ exprimentes, illam verbo præsentis tẽporis efferamus. Christus ergo rei certò gerendæ iis verbis, funditur & traditur, veritatem expresit, quam nos iisdem verbis certò gestam agnoscimus, vt nullo hîc tropo sit opus ad sermonis explicationem, quam ipsa consuetudo loquendi fecit propriam.

Ioan.1. *Roma.2.* *Mat.28.*

OBIICITVR 23.

HIC ETIAM HABEMVS CORPVS CHRI*sti hactenus passum, non quòd nunc tradatur in crucem, aut eius sanguis nunc effundatur. At si vellent isti sermones Christi rigidè interpretari, quum inquit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, oporteret eos dicere panem fuisse crucifigẽdum, aut saltem Christum velatum accidentibus in sacramẽto. Nam Christus ostendens id quod habebat in manibus, illud dicebat pro eis tradi & fundi, quod si dicant id fuisse corpus & sanguinem, sed non eodem modo aut ea forma, iam quærunt interpretationes & suffugia, & non simpliciter propositionem accipiunt.*

Rigida

RESPONDET CATHOLICVS.

RIgida interpretatio de qua hîc frigidè sine sensu loquitur, stulta prorsus & insana foret, quando verbum, traditur, de corpore Christi dicitur non de pane, neque rursus de pane corpus dicitur, sed de indiuiduo illo vno, cuius naturam demonstratio (Hoc) non explicat quid sit, sed est nuda modò indicatio vnius, quod quale quid sit prædicatio aperit. Illud verò stultius quod modum & formam ita annectat substantiæ corporis, vt quod de corporis substantia dicitur, de modo & forma vna intelligatur. An non credimus eundem Christum natũ ex virgine & in cruce passum? neque tamen iisdem modo & forma natus est quibus passus est. Puer videlicet natus est, infans, staturæ modicæ, creuit postea & ętate auctus, in alio modo corporis pilis iam vestiti, & capite & mente pro decoro, qui recens iam nato non aderant, forma denique virili & habitu non pueri sed hominis passus est. Et ex iis corporis modo & forma variatis dicemus scilicet non id corpus passum quod natũ est? neque vera erit vox angeli de iam cõcepto in vtero & adhuc latẽti, quod is saluum faceret populum suum à peccatis eorum, quia vterum egressus, & in terra visibilis non latenter quomodo erat in vtero, sed visibiliter in cruce perpessus esset? Quin & illud quæro, num de Christo transfigurato verum erat illum ipsum moriturum, cùm tamen illis modo & forma esset immortalis? Quòd si modus & forma existẽtiæ tantum habeant momenti, cur graue exemplũ affert Paulus, in quo resurrectionem nostrã adumbret, vt idem videatur crescere quod seminatur, quum eodem modo & forma non crescat quo seminatum est? Ergo ipsa intelligẽdi simplicitas à nobis exigit, vt suum cuique functioni modũ relinquamus, nec à modo & forma quæ diuersam causam habẽt, substantiæ varietatẽ inducamus, vt non idem sit corpus sub specie panis inuisibiliter datũ, quo in forma visibili in cruce passum est, quasi substãtia eadẽ diuersos non admittat modos, quod affirmare sit insanũ.

Mat.1.

1.Cor.15.

OBIICITVR 24.

BIBITE EX HOC OMNES, ET BIBERVNT *ex eo omnes, quæro quid iußit Christus discipulos bibere? non sanguinẽ, nã verba hæc sunt ante cõsecrationẽ: ergo non poteſt eſſe aliud quã vinũ.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Si quid roboris haberet hæc collectio quæ ex ordine sumitur narrationis: non solùm adimeret ecclesiæ veritatem præsentiæ, sed illis ipsis figuratoribus veritatis aduersariis suam figuram. Quomodo enim id vel vt figura demonstretur indicatione præsenti quod sit ipso vsu in bibendo consumptum? Imò ad huius argumenti rationem de vino epoto dixisset potius Christus, nō (hoc) sed (illud,) tū (fuit) adderet non (est,) figuram corporis si sensisset vt illi volunt, quum esse quicquam quod non iam sit, verum esse non potest. Itaq; *Ioan.2.* sacratissima virgo admonuit Christum in nuptiis quum omne vinum epotum esset, iis verbis: vinū, inquit, non habent. & tamen antea habuisse constat ex verbis Architriclini, quum præfert vinum *Mar.14.* ex aqua factum priori. Quin verba Christi apud Marcum indicant de poculo aliquid præsens in illo (τοῦτο) nō quod iam abierat in præteritum trāsmissum per guttura, & quod hic sine ratione ratiocina- *Mat.26.* tor vult, in viscera traiectū. Apud Matthæū autem vbi eadem narratur historia, verba Christi de poculo coniunctione causali mandato bibendi annectuntur, τοῦτο γὰρ inquit Christus, quod est quasi diceret, ideo dico bibite, quia hoc est &c. Quod si intelligeremus propter succinctam apud Marcum rei gestæ narrationem, apostolos omnes ante verba ipsa cōsecrationis prolata bibisse: vide quæso quot absurditates, vbi omnia εὐσχημόνως haud dubiè agebantur. Primum quàm inconsiderata properatio bibentium, non expectare causam ab eius ore qui imperat, quam cōtinentia sermonis pergebat subiicere! Deinde duodecim fuisse apostolos constat, quos omnes si ante verba illa consecrationis prolata obstinatè affirmes bibisse, quàm incredibili celeritate vsos dicas vt Christum ex ore non duodecim verba consecrationis proferentem, duodecim illi in ora sua singuli vinum è calice haurientes anteuerterent! Hoc genus argumenti in prophanis ridiculum, ad impugnationem verò tanti mysterij prolatum grauiori nota cēseatur. Ne in iis nugis longiùs immorer, quod tanta cum simplicitate apud Euangelistas narratur, ex consonantia intellectus qui verbis collatis subsit, explicandum est piè, nō ex ordine verborum distorquendū ad calumniam. Breuiter in hoc nar-

rationis

rationis ordine apud Marcum notauit eruditorum pietas ὕστερον πρότερον, figuram in narrationibus frequentissimam. Quare quod in Marco narratur bibisse omnes, verũ est: Sed eo ordine rei gestę, quæ cum reliquis circunstantiis consentiat, vt quæ mandato bibendi connexa essent, intelligantur suo loco prolata fuisse.

OBIICITVR 25.

COMEDERE ET BIBERE SAEPE IN *scripturis accipiuntur spiritualiter pro Credere, vt in hoc loco quũ Christus iubet comedere & bibere, intelligit nos debere credere, & considerare, & mente reuoluere, quòd Christus mortuus est pro nobis, vt incorporet nos suo mystico corpori.*

RESPONDET CATHOLICVS.

HOC argumenti genus à sępe ad semper, non modò sępe sed semper est insanum, quo morbi genere laborant qui hoc sacramentum impetunt, dum eiusmodi nobis edunt argumenta. De re autem argumenti ita dicendum: Eucharistiæ sacramentum etsi fidem manducantium exigat vt dignè sumatur, tum autem corpus Christi adesse, quamuis sola percipiatur, id est, intelligatur fide: non sola tamen fide, sed etiam corporis officio accedente sumitur, vt ore (secundum Leonẽ) percipiatur quod fide creditur, præsertim quum id Christus exigeret dicens, Accipite, manducate. Nihil quidem sine fide rectè fit, sed non fiunt sola fide rectè omnia.

Leo ser. 6. de ieiunio septimi mẽsis.

OBIICITVR 26.

CHRISTVS DIXIT, DIVIDITE INTER VOS. *Sed sanguis Christi non diuiditur in sacramento, & verba etiam dicebantur ante consecrationem: ergo iussit eos vinum diuidere.*

RESPONDET CATHOLICVS.

LOcus ex Luca profertur ambiguus, vt quod ipsum incertum est, certũ statuat, quũ dubia certis firmentur, non contrà. Vt liberè dicam quod sentio: Hic argutator nimium largiter opinor diuiserat vinũ quum hoc cõficeret argumentum. Nam si cum illis sentit hic argutator qui arbitrantur Lu-

cam quòd fusiùs narret historiã quàm cæteri, etiam moris illius solennis meminisse, secundum quem in ingressu omnis cõuiuij solebat fieri prælibatio, atque ideo illud poculum ad Eucharistiam non pertinere: quid ergo argumẽtatur extra causam? Dixerit sanè Christus, Diuidite de vino non consecrato, quid hoc ad Eucharistiam? Quòd si illum locum Lucæ, quomodo Euthymius & Augustinus intelligunt, accipiat argutator, vt vnum poculum sit & quod ante cœnam & post cœnam porrigeretur, vel præoccupatione narrantis, vel quia acceptum in ingressu cœnæ poculum in finem reponeretur: vtcunque horum sit, demiror quî veniat huic argutatori in mentem ab hoc verbo, diuidere, potius quàm ab illo (bibere) ducere argumentum. Quum enim Christus diceret, Bibite ex eo omnes, ánnon diuidi poculum iussit ne, vnus semel exhauriat vniuersum, quominus omnes biberent? Ergo ne vereamur dicere diuidi Christũ in mysterio sine diuisione, dum singulis integer distribuitur, manducari item sine consumptione, quod est magnum in Eucharistia mysterium, nulla nostra ratione explicabile.

OBIICITVR 27.

CHRISTVS DIXIT, NON BIBAM AMO- *do ex hoc genimine vitis, & etiã post consecrationem. Sed sanguis Christi non est fructus vitis, nec accidentia sola vini, sed ipsa vini substãtia.*

RESPONDET CATHOLICVS.

HAEC verba Christi, Non bibam amodo ex hoc genimine vitis, mystica sunt, nec vno sensu à catholicis intellecta, sed semper pio & veritati catholicæ cõsentaneo. Origines enim (vt ab eo ordiar) exponit genimẽ vitis, id est vinũ, quod gaudium animæ significare dicit, & lætitiã mentis, quod bibet nobiscũ in cœlo. Hilarius eodem modo intelligit fructũ vitis, quem Christus pollicetur secum bibituros sanctos in regno gloriæ. Gregorius Nazianzenus sic interpretatur vt nouum id videatur significare eam doctrinã quam à Christo per visionẽ docebimur. nã hoc est, inquit, Christo bibere, docere, nobis verò discere, & nouum dici vult pro ratione tẽporis quo cognoscitur. Chrysostomus verò vinũ quo Christum vsum dicit in nuda mysterij mensa post resurrectio-

Orig. in Leuit. Ho. 7.

Hilarius in Mat. ca. 30

Nazianze. in Pascha.

Chrysost. in Mat. Hom. 83.

rectionẽ,& ex genimine vitis, dicit quæ vinũ non aquam producit. Vnde ex eo loco extinguatur Aquariorũ hæresis, qui aquam solam mysterio conficiendo adhibebant. Hieronymus intelligit sanguinẽ Christi vitis veræ, quem Christus nobiscum bibit in regno ecclesię. Augustinus horũ verborum meminit de ecclesiasticis dogmatibus, sic scribens: In Eucharistia non debet pura aqua offerri, vt quidam sobrietatis falluntur imagine, sed vinũ cum aqua mixtum: quia & vinum fuit in redemptionis mysterio quũ dixit, Non bibam amodo de hoc genimine vitis, & aqua mixtũ, nõ quod post cœnã dabatur, sed quod de latere eius lancea perfosso aqua cum sanguine expressa vinũ de vera eius carnis vite cũ aqua expressum ostenditur. Eucherius sic scribit: Regnũ Dei ecclesia est, in quo quotidie bibit sanguinem suum Christus per sanctos suos, tanquã caput in membris suis. Euthymius in horũ verborũ intellectu adstipulatur Nazianzeno. Theophilactus sic scribit, quòd Christus sumpto poculo renunciat corporali potioni, & cætera ferè cum Chrysostomo cõsentit. Quin & illud considerãdum, si Christus hæc verba protulit exhausto calice, non mysteriũ significabat iam absumptũ, sed generaliter locutus est, significans illis verbis omni se corporali potioni renuntiasse, quod Theophilactus dicit, & ideo vinũ quod supererat in amphoris demonstrasse. Dixerit aliquis, hoc non est respondere argumento, sed quæ obiiciũtur ipsa perplexitate obscurare, nam alioqui quid attinet tam varias patrũ interpretationes proferre? Imò inquam quod patres ferè omnes hæc verba allegoriis explicant, sensus autem literæ tenuior sit quàm vt tum Christo conuenire videretur, non est ab eo sensu literæ ducendum argumentum, vnde dogma aliquod aut statuatur aut refellatur. Et mihi videtur notandum maximè quòd Christus ita loqueretur, de hoc genimine vitis: nam vt illud genimen sentiret quod erat in amphoris, quomodo biberet illud nouum quod ipso tempore inueterasceret? Sin generaliter vinum intelligeret, quur hoc genimen diceret quum vitis vnum sit genimen nempe vinum? Ergo necesse est illius pronominis (Hoc) aliquam esse emphasim, vt significet secundum Hieronymum, genimen vitis veræ, nempe suum sanguinem, cuius vim ac virtutem illo Christo bibente nobiscũ, id est, docente nos secundum Nazianzenum, nouo modo cognoscemus, id est bibemus in regno patris.

Hieron. ad Hedibiam.

August. de ecclesiastic. dog. ca. 75.

Eucherius in quæst. in Mat.

Euthymius in Mat. ca. 64.

Theophila. in Matth. cap. 26.

Nam

Nam hoc ſignificat etiam noſtrum bibere, eodem Nazianzeno authore. Poſtremò vt ad ipſum veniam argumentum, quid prohibet Chriſtum appellare accidentia vini in ſacramento genimen vitis, quum ex ipſa vite orta ſint? Dices non ſola, fateor. nam quod eſt de toto verum, etiam de parte verum eſſe neceſſum eſt, vt mihi videatur ſtupidum de parte negare quod ad ortum & originem ſpectat, quod de toto conceſſeras. Si enim totus homo agnoſcit Deum conditorem, ergo & corpus à Deo eſt, vt geniminis appellatio nihil amplius probationis habeat quàm vini, quod de calice poſt conſecrationem prædicari non eſt abſurdum, imò ſcripturæ phraſi maximè conſentaneum, vt formæ externæ vnde adhibita fuerat natura ſignificetur.

OBIICITVR 28.

IVBET DOMINVS HOC FIERI IN *ſui memoriam, & annuntiari mortem eius donec veniat: ſed hæc corporis Chriſti abſentiam indicant.*

RESPONDET CATHO.

Mortis memoria agitur in hoc ſacramento, quam mortem ipſo ſacrificij nomine fatetur eccleſia abeſſe, quum ſacrificium eccleſiæ appellet ſacrificium incruentum, id eſt ſine omni ſanguinis effuſione celebratum. Siſtitur tamen paſsionis figura in myſterio corporis & ſanguinis verè exhibiti, quod efficaciſsimè & quomodo hominum captus non aſſequitur, ipſius veri corporis & ſanguinis certiſsima repræſentatione celebratur. Quæ ipſa ni verè adeſſent, & panis triticeus tantùm ſignificaret corpus, & vinum ſanguinem: quàm diluta mortis & tenuis foret annuntiatio dum figura figuram inſinuaret, videlicet dum panis ſit figura corporis, tũ corporis figura abſentis annuntiatio mortis? Ergo agitur, vt dixi, in ſacra cœna non ſola Chriſti memoria, ſed mortis eius memoria, deinde ſubſtãtiæ Chriſti communicatio, qua nos re in vnam maſſam redigere conatur, nos carne ſua glorioſa fouens & nutriens, quod Paulus ait magnum eſſe ſacramentum in Chriſto & eccleſia. Itaque ait Chriſtus, Accipite, manducate, Hoc eſt corpus meum. Atque hæc vt fierent realis Chriſti præſentia ex

tia ex verbis Christi verè persuasa est nobis, consensu ecclesiæ recepta & confirmata.

OBIICITVR 29.

PAVLVS SCRIBIT, QVI MANDVCAVErit hunc panem indignè, neque dicit qui manducat corpus Christi indignè.

RESPONDET CATHOLICVS.

QVoniam indignus non diiudicat corpus domini, sed sacra illa tanquam prophana tractet, rectè non quod sit, sed quod illi indigno videatur esse, à Paulo appellatur. Et tamen Paulus vt insinuet veritatem non dicit simpliciter panem, sed panem hunc quem ille indignus indignè pro pane triticeo habet, quũ sit reuera corpus Christi: Atque hoc sensisse Paulum illud arguit quod subdit Paulus, non diiudicans corpus domini. Si enim, vt habent græca scholia, corpus domini diiudicasset, non seipsum quum esset indignus ingessisset, vnde reus fit corporis & sanguinis domini. Hoc argumentum suspitione constat quam pectus incredulum Pauli verbis affinxit, qui de tanto mysterio loquitur tectius, sed ita tamẽ vt certa veritatis vestigia relinquat quibus insistat credulus, ne à veritate aberret. Erasmus certè ex hoc isto loco Pauli colligit veram & realem præsentiã, quòd dicatur indignè manducantem reum esse corporis & sanguinis domini. Quod ad appellationem attinet, Panis est eucharisticus, quem Iustinus fatetur se ex euangeliis didicisse esse carnem domini, quam Iudæ dedisse Christum scribit Augustinus, vt non sit dubium indignos manducare corpus domini, nõ tamen ad vitã, sed, vt inquit Paulus, ad iudicium & condemnationem. Quin & illud in vniuersum dicendum est, quãdo (Panis) vocabulum latinis, & quæ similiter Græcis & Hebræis vsurpantur eius vocabuli loco, ipsorũ lingua omne quicquid alendi vim habeat, significare sit compertũ: mirum est quòd ab hac appellatione aliquid firmi argumẽti se proferre putent isti, vnde colligant panem triticeum significari magis, nisi quatenus aliæ id circunstantiæ confirment, quàm à voce generis probent certam speciem. In oratione dominica docemur petere panem, quo verbo quicquid ad corporis & animæ alimoniam per-

Iustinus in Apologia 2

Mat. 6.

tinet, quis dubitet contineri non solùm cibum ne fame, sed potum etiam ne siti pereat? imò vestem adeò ne nos frigus enecet, nam & alimenti nomine secundum iurisconsultum qui proprietatem verborum sequitur, etiam vestis continetur. Et quum Christus se dicat panem qui de cœlo descendit, quis non videat pistorium panem non significari, sed cibum & escam spiritualem? & item in illo, panem ego dabo, panis vocabulum non solùm escam carnis gloriosam, sed & pretiosum sanguinis potũ significat, quum vtranque speciem daturus esset Christus in sacramẽto. Adeò in hoc loco Pauli à panis appellatione sit tenuissimum argumentum, quum verisimilius sit Paulum eam vocem (panis) ad cibum significandũ vsurpasse, quod similiter & in scriptis patrum licebit obseruare.

Ioan.6.

OBIICITVR 30.

PANIS QVEM FRANGIMVS &c. PAVLVS *hoc dixit vel de pane non consecrato, vel sacrato. Sed panis non consecratus non est corpus Christi: ergo dictum est de pane consecrato. Ex hoc sequitur quòd post consecrationem talis manet panis qui frangi potest, qui non est corpus Christi, sed necesse est esse panem materialem.*

RESPONDET CATHOLICVS.

HAEC verba Pauli non eandem apud omnes catholicos interpretationem habent, quum tamen vnum veritatis scopum omnes spectent cum pietate. Prætermittam hîc quod dicit Chrysostomus, & huius argutatoris occurram dilemmati, atque ita occurram vt vtraque me sperem præcisurum cornua. Si panem inquit non consecratum intelligis, non est illa certè corporis Christi communicatio. Rectè sanè, siquidem nihil aliud quàm frangitur panis communis. Sed si per frangendi verbum tota mysterij celebratio intelligatur, vt non raro fit, totum à parte intelligi, sensus erit veritati consentiens, vt panis non consecratus sed communis, adhibitus tamen vt frangatur, hoc est peracta tota mysterij actione consecretur, & factus ex prophano eucharisticus, hoc est (vt Iustinus scribit) caro Christi, idem deinde quia verè factus est corpus, communicat nobis corpus domini. Quòd si de pane

Iustinus in apologia 2.

ne iam conſecrato intelligamus, qui ideo frangitur vt ſinguli communicent, etiam ſi ſecundum veram myſterij rationem abſente per miraculũ ſubſtantia, panis propriè materialis non ſit, qui in myſterio pro ſigno manet, quod frangi tamen poteſt: quid amplius deſideret hic argutator non video, quando corpus propriè ad ſenſum carnis non frangatur, etiamſi ad exprimendam mortis & paſsionis memoriam corpus etiã in miniſterio ſanctis eccleſiæ Patribus frangi dicatur. Frangitur propriè quod manet ex accidentibus panis. Vnde panem frangi non inconuenienter dicitur, vt totius appellationem obtineant quæ ex pane ſuperſunt.

OBIICITVR 31.

HIC EST PANIS QVI DESCENDIT DE *cœlo. Sed corpus Chriſti non deſcendit de cœlo: ergo hic panis non eſt corpus Chriſti.*

RESPONDET CATHOLICVS.

HAEC eſt mera fallacia, notham habens concluſionem, non ex prioribus in maiori & minori extenſis terminis confectam, ſed quarto ſuppoſititio adulteratã. Nam panis in maiori ſignificat cœleſtem cibum diuinitatis Chriſti qua viuunt omnia, quum panis in concluſione ſignificet creaturam ad corporis alimentum ex tritico factam & aqua. Quod ad rem argumenti attinet, ſpiritus eſt qui viuificat, qui eſt verè panis qui de cœlo deſcẽdit. Corpus autem Chriſti quod de terra ſumptum eſt, videlicet in vtero virginis, propter ineffabilem cum ſpiritu vnionem etiam ſanctificandi & viuificandi vim habet, quo fit vt corpus Chriſti etiam dicatur panis qui de cœlo deſcẽdit, propter naturarum in Chriſto vnionem. quod quiſquis negat, profitetur ſe ſentire cum Neſtorio, cuius impiam hæreſim Epheſinum concilium anathematizauit.

OBIICITVR 32.

QVAE CITANTVR EX SEXTO IOANNIS, *vel pertinent ad hoc sacramentum, vel non pertinent, si non pertinent quorsum ea citant quum sint aliena à proposito? sin pertinent quum ibi sit manducatio tantum spiritualis, qua suscipitur corpus Christi per fidem, quid oportet nouam inducere manducationem carnalem vt idẽ rursus accipiatur?*

RESPONDET CATHOLICVS.

CAtholici censent Christi doctrinam in sexto Ioannis ad esum sacramentalem pertinere, propter illa Christi verba: Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Cyrillus verò scribit Christũ in sexto Ioannis doctrinam manducationis sui corporis tradidisse, at modum quo fieret, credentibus discipulis aperuisse in cœna quũ fragmenta panis daret, dicens: Hoc est corpus meum. Ecclesia catholica nouitates respuit, & constanti traditione vetera retinet, iuxta illud Naziãzeni, ἐν καιροῖς τρεπτοῖς ἄτρεπτος μένων περὶ ἀτρέπτου πράγματος: ne fides ad temporum & hominum ingenium mutata, non iam vna iuxta Apostolum, sed multiplex esset, quod est absurdum. Cæterùm quũ Christus multiphariam variísq; modis dignetur nos respicere: nũc spiritualiter nos refouens vt deus, quod spirituali mãducatione fit, nunc corporaliter per mysticam benedictionem, vt nos sua humanitate sibi coniungeret vnione carnis: prorsus ineptũ est huius argutatoris (rursus) dum quærit quid id oporteat?

Cyrillus in Ioan. lib. 4 cap. 14.

OBIICITVR 33.

CHRISTVS DIXIT, EGO SVM PANIS VIuus *qui de cœlo descendi: sed Papistæ aiunt hoc nõ sufficere nisi credamus etiam Christum esse insensibilem illum panem qui à pistore venit.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NEmo catholicus dicit Christum esse illum insensibilem panem quem cõficit pistor, sed panem viuum supersubstantialem quem dari quotidianum orare docemur ab ipso Christo, qui ipse corpus suum & sanguinẽ sub specię creaturarum panis & vini exhibere dignatus est. Sanè verò insensa-

tus videtur qui hoc cõfecit argumentum,dignus eo nomine qui in pistrinum detur,ea lege vt qui inde eum exemerit,pro eo molat.

OBIICITVR 34.

EODEM VERSANTVR ERRORE PAPIstæ cũ Caparnaitis. *Nam illi dicunt se manducare Christum carnaliter & corporaliter. Caparnaitæ itẽ mente volitebant nescio quã corporalem carnis Christi manducationem. Sed ab his carnalibus cogitationibus reuocat Christus, dicens verba sua spiritum esse & vitam, & carnem nihil prodesse: & obiecit illis mentionem ascensionis in cœlum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NON est hoc argumentum dialecticum, sed Rhetorica rerũ in verbis deprauatio. Primùm fides ab hoc catholica erroris appellatione infamatur. Catholici fideles cum infidelibus Caparnaitis in communis erroris ratione æquantur. Porrò autem amborum cogitationibus non ad veritatem, sed calumniandi libidinem excussis, fideliũ cogitatio quantum potest ad absurditatem falsò extenditur. Infidelium contrà Caparnaitarum insana mentis imaginatio, vt quàm minimum absurdi pateat, ipsa loquendi forma extenuatur: adeò iustificat hic argutator Carparnaitas à catholicis, quum reuera infideles illi supra carnem nihil cogitabant toti carnales. Catholici verò fideles omnia diiudicant secundum spiritum, qui licet veram Christi carnem in mysterio datam sub panis accidentibus verè præsentem se in os admittere communicantes intelligunt, corporis in hoc officium ex domini præcepto exhibentes: non cogitant tamen se carnali modo sacrosanctam illam escam vt reliquos cibos vel dentibus commolere, vel deglutire faucibus: sed præsentem dominum ex eius authoritate, modo quem ipse instituit, tanquã hospitio excipiũt, ab eodem sanctificandi, non velut in illum acturi quicquam (quod absit) quo patiatur. Iudaicum denique quomodo? non quærunt Catholici, sed fidei simplicitati innixi ad mysterij arcanum cum veneratione obstupescunt. Immane quantum discrepat Caparnaitarũ cogitatio, qui quum de Christi diuinitate nihil intelligerẽt, carnem communem communis hominis more reliquarum carnium datam

iri somniabant, vel crudam vel coctam, quomodo à patribus est annotatum, omnino de carne carnali modo cogitantes, tum paranda, tum ipsa manducatione prorsus consumenda. Et quomodo, inquit Athanasius, vnum vnius hominis corpus vniuerso mundo alendo sufficeret? quod tanquam in illorum carnalibus cogitationibus versatum commemorat, à quibus vt eos auocaret Christus quemadmodum paulò antè sui è cœlis descensus, sic nunc sui in cœlos reditus mẽtionem facit, & de repetendo vnde descenderat cœlo apertè loquitur, videlicet vt carne in cibũ danda altius quiddam & sublimius cogitent, quàm de carne nudi hominis posset sentiri, denique Dei carnem intelligant quam dixit filij hominis, vnde carnẽ nihil prodesse, spiritum viuificare addidit, cuius carnis si nihil aliud quàm filij hominis esset, inutilis foret alimonia, quoniã spiritus est qui viuificat. Nunc verò quum idem filius hominis Deus sit qui de cœlo descendit, eò iterum ascensurus: fit propter carnis & spiritus ineffabilem vnionem, vt caro quæ sola iuxta suæ naturę modum nihil prodesset, ipsa spiritus virtute dotata sanctificet, & sit viuifica, quod vt insinuaret Christus Cyrillus ait eum hæc subiecisse, Verba mea spiritus & vita sunt, de carne, inquit, sentiens, non in spiritũ versa, sed quia propter vnionẽ cum spiritu à sanctificatione quam peragit, spiritus dici posit. Quare vt finiam, Christus infidelium Caparnaitarum cogitationes prorsus carnales corrigere illis verbis nitebatur: fidelibus autem catholicis de mysterio suæ carnis manducandæ salutarẽ doctrinam edidit, ne communem & nudi hominis, sed hominis simul & Dei, & verbi propriam factam credant, quam illis in sacramento porrigit manducandam, iuxta illud, Panis quem ego dabo caro mea est: &, Caro mea verè est cibus, quum alioqui caro quatenus est hominis, communis caro nihil prosit.

Athanasius de peccato in spiritũ sanctum.

Cyrillus in Ioan. li. 4. cap. 24.

OBIICITVR 35.

QVOD SI DICANT ADVERSARII *se manducare totum Christum indiuisum, Caparnaitas autem cogitasse carnes Christi in frusta dissecandas, quid refert quum vterque carnalem & corporalem manducationem somniet? quid enim interest siue per partes accipias, siue totum simul deglutias?*

RES-

RESPONDET CATHO.

MAnducatio veræ carnis Christi in mysterio verè exhibitæ fidelibus expeditur secundum mysterij modum, vt corporis nostri officium institutioni obsequatur, & animus fide persuasus, à veritate doctrinæ traditæ ipsa corporis nostri actione non abstrahatur. Adeò fideles dum de carnis Christi manducatione cogitant, nihil habent simile cum Caparnaitis. Fideles etenim norunt spiritualem se carnem in mysterio accipere, sed veram Caparnaitæ carnales quicquid est spiritus ignorabant, & tamen ab hoc argutatore ex solo verborum sono eadem vtrisque impudenter affingitur cogitatio. Caparnaitæ carnalem manducationem cogitabant, quæ & re & modo carnalis esset secundum sensum communem, fideles quidem manducationem veræ carnis in re agnoscunt, at non in modo carnali, cum officio quidem corporis, at non vt in reliquos cibos secundum sensum communem agente corpore, sed secundum sensum fidei. Quia verò corpus Christi verum in mysterio inuisibiliter exhibitum, visibili corporis nostri officio excipitur, vtroq; nomine corporalis dicitur manducatio quũ sacramentũ percipitur. Sed persuademur corpus Christi in nos sanctificandos agere, à nobis cõtrà illa manducatione non posse pati, quum Caparnaitæ corporalem communi more peragendam somniarent. Sed peracutũ videtur huic argutatori quod subdit scommatis, tanquã vnũ de dictis melioribus. Quid interest, inquit, per partes accipias, an deglutias totum? quasi iam euicisset hoc vno distare Catholicos à Caparnaitis, vt quasi deuictis hostibus triumpharet, sed canit ante victoriam triumphum. Non enim deglutiunt Christum fideles secundum indicium carnis, sed in os reuerenter excipiunt secundum Christi institutionem, quam ratio in Caparnaitis carnea haud potuit intelligere.

OBIICITVR 36.

SED ADVERSARII FINGVNT SVB SAcramento panis *& sanguinem contineri per cõcomitantiam, & isto suo cõmento fenestram aperiunt multis dogmatibus suppositititiis: quia nullum est dogma cui non poßint infinita annectere per concomitantiam hanc: & sequeretur omnes sanctos adesse per concomitantiam, quum semper concomitentur Christum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVI veritates rerum verbis quoad eius fieri potest conantur exprimere, immeritò notantur illi fictionis, quippe qui quod credunt loquuntur, vt aliis annuntient fratribus, & prophetiæ donum proferant ad ecclesiæ ædificationem. Sed vt de re loquamur. Si Christus in corpore glorificato totus & integer regnat omni paßione superior, de quo sit absurdum vllam diuisionem fateri, An non rectè dicunt & docent Catholici vbicunque sit Christi viuum corpus, ibi comitari sanguinē? vbicūque rursus sit sanguis, ibi comitari corpus? Vt autem quod re ipsa sit verum, verbo exprimatur significantiùs, num concomitantiæ vocabulum tam ineptum videatur? Ne sapiat sanè Latinam elegantiam, catholicam certè veritatem dilucidè explicat. Sed ægrè ferunt hæretici veritatem, quam vt trucidēt, in obscuro quæstionibus & cauillis data opera obtenebrant, adhibita verborum luce distingui & illustrari. Et interim clamant, cauete à doctrinis suppositititiis. Hactenus hæc. Ad id verò quod additur de comitantia sanctorum, illud dixisse sufficiat, quoniam & alibi à nobis huic cauillo responsum est: Sancti comitātur Christum in gloria, id est regno patris, vt vbi sit Christus ibi sint sancti. Vnde non sequitur adesse in humilitate dispensationis, qua cœptam ecclesiæ ædificationem in aduentus sui diem perficit atque absoluit: & quanquam ibi sint, non tamen illorum est mysteriū, sed vnius Christi, qui dixit se dare corpus quod traderetur, quod erat corpus non mysticum, sed naturale.

OBIICITVR 37.

CHRISTVS DIXIT: VOLO VT VBI EGO *sim, ibi sit & minister meus. Ergo si Christus sit in sacramēto, illic sunt etiam omnes sancti & ministri Dei, & in omnes sanctos ponenda est transubstantiatio quemadmodum in corpus Christi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

DE statu gloriæ sentit Christus, quod regnum est patris æternum duraturum: non de œconomia & dispensatione corporis isto modo exhibēdi, quod est temporale donec veniat. Sed ab isto argutatore quæsierim, an iis voluerit

luerit verbis Christus, vt etiam in cruce quum mortem obiret, omnes vnà adessent ministri vbi ille esset? Imò vniuersam dispensationem solus in persona obit suorum ministrorum causa, quibus comitatus vult regnare in cœlis, vt vbi ille sit, ibi sint & ministri gloriæ participes futuri, quanquam etiam tametsi Christum comitentur in sacramento, non sequitur in illos fieri transubstantiationem, quādoquidem de solo corpore suo naturali dixit Christus, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.

OBIICITVR 38.

NVLLA SCRIPTVRA, NEC VLLVS DO-*ctor catholicæ fidei vnquam docuit Christum honorari deberi hîc in terris cum candelis & genuflexione. ergo si non sit taliter adorandus, non est hîc realiter præsens.*

RESPONDET CATHOLICVS.

SCriptura docet adorandum deum. Christus autem deus & homo quum in terris ageret, exhibitam adorationem non repudiauit. De adoratione Christi in sacramento quid doctores catholici tradiderint, mox subiiciam. Vnde tu lector intelligas, quod hîc addit de candelis & genuflexione, vafriciem esse callidè mentientis, vt istis si arguatur, se posset tueri ne conuincatur. Genuflexio symbolum est adorationis secundum Paulum. Accendi in sacris candelas ab ipsis ecclesiæ primordiis est receptum. At enim inquiet hic cauillator, adorari dico cum candelis. quid postea? si taliter inquit non sit honorandus, non est præsens. Quasi verò adorationis vis in modo sit adorationis, & solis candelis agnoscatur adoratio. Illud tenēdum est, Doctores catholicos qui adorationem exhibendam censent, Christum cui adoratio debetur, verè præsentem sentire, de qua quomodo patres suis scriptis prodiderunt, nō grauabor adscribere. Ordiar autem à Nazianzeno, qui sic scribit: Quid igitur magna & maximis digna faciebat anima, & quódnam aduersus infirmitatem remedium habebat? Iam enim occultum proditur, quū iam de omnibus aliis desperasset, ad omnium confugit medicum, noctísque captata solitudine, quum illi morbus paruas concesit inducias, ante

Nazianzenus in epitaphio Gorgoniæ sororis.

altare cum fide procubuit, ac illum quem ſuper altare venerabatur magna voce ac omni inuocauit conamine, eiq; miracula cũcta quæ olim fecerat, in memoriam reduxit. Hæc Gregorius, ex cuius verbis liquet obſeruatum tum fuiſſe vt Chriſtus ſuper altare coleretur, cuius altaris expreſsio iſtis occurrit, qui dicũt ſenſiſſe patres de Chriſto in cœlo adorando. Imò Gregorius ſuper altare dicit. Et de Chriſti cultu in myſterio ſic loquitur Emiſſenus. Et ideo quia corpus aſſumptũ ablaturus eſt ex oculis noſtris, & ſyderibus allaturus, neceſſariũ erat vt nobis in hac die ſacramẽtum corporis & ſanguinis ſui conſecraret, vt coleretur iugiter per myſterium quod ſemel offerebatur in pretium, vt quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominis ſalute redemptio, perpetua eſſet etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia. Hæc Emiſſenus, qui loquitur de cultu iugi per myſterium quod ſacramentum altaris appellat Auguſtinus, & Emiſſenus dicit Chriſtum inſtituiſſe vt coleretur: quare idẽ Emiſſenus eodem in loco accedẽtes ad altare hortatur vt reſpiciant corpus dei ſui, honorẽt & mirentur. At enim inquiet hic ſectarius, non audio verbũ adorationis, at enim, inquam, iſte rem dicit, & ex Ambroſio audiemus adorationis verbum, qui ſic ſcribit. Itaq; per ſcabellum terra intelligatur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoq; in myſteriis adoramus, & quam apoſtoli in domino Ieſu, vt ſuprà diximus, adorarũt, neque enim diuiſus Chriſtus ſed vnus. Hæc Ambroſius, qui de adoratione loquitur diſertis verbis, addit in myſteriis, ne de Chriſti in cœlo adoratione locutum quis cauilletur. Ambroſium imitatur Auguſtinus, eundem Dauidis locum explicãs, qui ſic ſcribit: Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem manducat niſi prius adorauerit. Inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum domini, & non ſolùm nõ peccemus adorando, ſed peccemus nõ adorando. His verbis Auguſtinus oſtendit ad orationem carnis Chriſti in ſacramẽto tum à fidelibus obſeruatam, lucem illi dediſſe, qua perſpiceret reconditum ſenſum illorũ verborum Dauidis, adorare ſcabellum pedum eius, tam erat illis temporibus certa adorationis traditio. Vnde & alibi idem Auguſtinus

Emiſſenus ſer. de corpore & ſangui. domini

Ambro. de ſpiritu ſancto. lib. 3. cap. 12.

Auguſt. in Pſal. 98.

gustinus sic scribit: Neque enim frustra ita distincti sunt, vt de pauperibus suprà diceretur: Edent pauperes & saturabuntur. Hîc verò manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Et ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius, sed adorant tantùm, non etiam saturantur, quoniam nō imitantur. Manducantes enim pauperem dedignantur esse pauperes, quia Christus pro nobis passus, relinquens nobis exemplum vt sequamur vestigia eius. Et in iis verbis manifesta est mentio adorationis Christi in sacramento, & verè præsentiæ, quum fateatur Augustinus manducari pauperem, significans Christum: quemadmodum aliis etiam eiusdem verbis constat: Manducauerunt, inquit, & adorauerunt omnes diuites terræ. Manducauerunt corpus humilitatis domini sui etiā diuites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt vsque ad imitationem, sed tamen adorauerunt. Hæc Augustinus, qui de adoratione loquitur quomodo à maioribus acceperat. Nam Chrysostomus de adoratione loquitur tam clarè, vt nullum relinquat cauillationi locum: vt ex eius testimoniis licebit animaduertere. Sic enim scribit: Hoc corpus in præsepi reueriti sunt Magi, & viri impij & barbari, longo itinere confecto cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur barbaros saltem nos qui cœlorum ciues sumus. Hęc Chrysostomus, & sentire eū, dū dicit (Hoc corpus) illud Christi corpus esse sequens eiusdem testimonium declarabit: Magi, inquit, quum id præsepe & tugurium tantùm, neq; enim eorum quicquam quæ tu nunc intueris viderunt, summa accesserunt reuerentia & horrore: tu verò non in præsepi id, sed in altari, non mulierem quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem & spiritum perabūde super proposito diffusum sacrificio vides, nec simplex vt illi corpus intueris, sed & eius potentiā & omnē cognoscis administrationē, & nihil eorum quæ per ipsum facta sunt ignoras, & diligenter initiatus es in omnibus, excitemur horrescamúsq;, & maiorem quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem. Hæc Chrysostomus, qui confert præsentiam corporis Christi in mysterio, cum præsentia corporis Christi in præsepi: atque ita docuit populum vt Magorum barbarorū exemplo eos excitet ad adorationē. Et quisquam quum hæc legerit vel de adoratione, vel de Christi in mysterio pręsentia sit realis nec ne sit, audebit ambigere? De adora-

August. ad Honoratū epist. 120.

August. in Psalm. 21.

Chryso. in epistolā 1. Cor. 10. homil. 24.

Ibidem.

Chryso.in Liturgia.

tione idem Chrysostomus in Liturgia tradit, & quid ore etiã dicãt adorãtes. sic enim scribit: Qui suprà vnà cum patre sedes, & hîc vnà nobiscum inuisibiliter versaris, dignare potẽti manu tua nobis impertiri impollutum corpus tuum & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo. Deinde sacerdos adorat & diaconus in eo in quo est loco ter secretò dicentes: Deus propitius esto mihi peccatori, & populus similiter omnes cum pietate & reuerentia adorant. Hæc Chrysostomus, quem solum produxisse fuisset satis, ne putem necesse ex posterioribus Damascenum proferre aut Theophilactum, ipsúmve Bernardum, qui de adoratione scribit luculentissimè: sed vt hos posteriores ita priores prætermisi Dionysium & Cyprianum. Adeò nunc candelas suas accendere iubeo Sectarium istum, vt doctores catholicos propius adhibita luce intueatur, num quæ refero scripserint de adoratione, qui quoniam ita tradiderunt, sentiat se victum argumento suo, vt qui à negatione adorationis consequi putauit corporis Christi absentiam, nunc ab eiusdem adorationis certa confessione quæ ex doctoribus catholicis liquet, confiteatur cum ecclesia corporis Christi præsentiam.

Damascenus lib. 4. cap. 14. Theophila. in epist. ad Heb. 10. Diony. eccle. Hierar. spec. ca. 3.

OBIICITVR 39.

PAPISTAE SVNT VERI ANTICHRISTI, *qui deceperunt populum simplicem, inducentes eos ad horrendam idolatriã, vt adorent res visibiles, suis manibus factas, persuadentes creaturas esse creatorem, alioqui quare homines relinquunt sedes suas, & ab vno altari ad aliud currunt, leuantes manus, nisi crederent se adorare quod vident oculis corporeis? & quare eleuant sacerdotes sacramẽtum, nisi vt populus adoret quod vident? Et quorsum hæc verba populi, Hodie vidi factorem meum, nisi adorarent rem visibilem? Quòd si dicant se non adorare externa sacramenta, sed quod sub illis credunt esse realiter præsens, quare currunt à loco in locum vt aspiciant res visibiles quas non adorant? hinc occasionem dantes simplicibus adorare quod vident, cur non quieti sedeant in sedibus, adorantes deum in spiritu & veritate?*

RESPONDET CATHOLICVS.

VEhemens est hæc asseueratio & inuidiosa, quam non argumentis, sed quæstionibus ab ignorantia natis conatur cōfirmare. Quid ego audio? An facit ille obsecro, creaturam creatorem, qui Christum in sacramento præsentem, exigit adorari? Quò (inquit) alioqui, quare relinquunt sedes, aut quare eleuat sacerdos, nisi vt videatur quod est visibile? Audi lector, quid refero, Hic si ea de quibus quærit, nescit: cur pugnat in tenebris, & quod ignorat reprehendit? Sin scit, cur quęrendo exaggerat tractandi forma, vt faciat ex musca elephantem? Nam quæ hic quæruntur, facile est expedire. Qui sedes videlicet relinquunt, & ab altari ad altare currunt, leuantes manus: magnam ij certè fidem exprimunt, quæ corpori alacritatem in hæc officia addit, quando iis nimirum officiis, quod de Eucharistia verè creditur, ad reliquos extimulandos, hoc gestu corporis, quasi quodam sermone, fides profertur in confessionem, quam de loco in locum currentes, apud omnia altaria, vbi mysterium celebretur, iterum atque iterum gestiunt repetere, vbi non adorant quod vident, sed quod credunt, nec sacerdos eleuat, vt ab omnibus videatur quod est visibile: sed vt sacramentum, quod in vsum futuræ communionis omnibus paratum est, ab omnibus item adoratione agnoscatur, quod illud (Amen) tacitè insonat, quod Amen, quum populus rarior esset, ore solitum erat responderi. Sed aliqui, inquit, dicunt se vidisse factorem suum, sensus videlicet redegerunt in obsequium fidei, & quod est corporis, transferunt ad animum, quomodo contrà carnales, quod est animi, transferunt ad corpus, deflexione iniqua. Quin illa locutione nihil frequentius, vt regem (verbi gratia) se vidisse quis iactet, qui quod sit regis, præter vestem nihil vidit. Sed quibus id agitur, vt sacramenti maiestatem minuant: ij veritatem prædicari tam ægrè ferunt, vt in formas loquendi cauillentur. Cæterùm (vt finiam) Confessio veritatis, quæ vel oris vel corporis sermone editur: nō detrahit adorationi in spiritu & veritate. Denique qūū omnes ita doceantur Catholici, ne in sacramento Eucharistico æstimando sensibus fidant, sed Christum verè præsentē, quod sensus nesciunt, credant, quomodo consistit, quod hic in Catholicos obiicitur, eos videlicet doceri adorare, quod oculi corporei vident?

OBIICITVR 40.

HONORIVS DECREVIT, HOSTIAM *quum eleuatur & circunfertur, adorandam, vnde apparet hanc adorationem fuisse incognitam veteribus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ADorationem Eucharistiæ fuisse veteribus cognitam, ex patrum scriptis satis constat. Dionysius enim adorauit, qui ex primis fuit. Chrysostomus, Ambrosius & Augustinus, adorationis meminerũt. Emissenus vult accedentẽ ad altare, respicere corpus Dei sui, honorare & mirari. Quid dici potest apertius? At replicabit hic argutator, ignorabant hãc adorationem. Mirum ni scirent, quum essent mortui, tempora autem & circunstãtiæ eiusmodi sint, de quibus liceat vnicuique suo sensu abundare, dum tamen omnia εὐσχημόνως fiant. Cum (vnicuique) dico, nõ significo singulos, sed ecclesias singulas, dum tamen ab vniuerso corpore, sine causa non discrepent. Sed vt ad argumentum propius accedam, non sunt ita connexa, decernere lege, & de suo inducere, de nouo inuenire, & firmare lege, vt valeat argumentum: Hic primus firmauit lege: ergo primus inuenit. Primus decreuit, ergo primus induxit. Quando enim quod antea vel natura vel more iustum erat, lege præcipitur: populi morbus notatur in officio cessantis, & per legem fit cognitio peccati. Quod olim sua sponte faciebat populus, legum sanctiones grauissimas (quoniam sic ferebant tempora) interdum exigebat. Est quum decretum admonitionis vicem obtinet, veluti quod de fornicatione decreuerant Apostoli, quam non effecerunt decreto criminosam, sed semper illicitam, tum fugiendam docuerunt. Et hæc quum ita sint, nihil tamen est ineptis sectariis hoc argumento in ore crebrius. Ille aut ille primus statuit: ergo illorum fuit inuentum, ergo erat veteribus ignotum. Quod quàm friuolè sit dictum, tu lector facilè æstimabis.

OBIICITVR 41.

DICVNT, QVOD HOSTIA EX HOC *præcipuè debet adorari, non quòd ipsa sit corpus Christi, sed quòd continet in se absconditè corpus Christi. Ergo quum in qualibet creatura sit magis realiter trinitas increata, quæ est longè perfectior quàm hoc corpus, sequitur quòd propter contentum absconditum, quælibet creatura sit amplius adoranda, & sic omnis creatura erit Idolum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

MVlta est in iis verbis calumnia, & sensus deprauatio. Nam verbum (hostia) quum de Sacramento Eucharistiæ prædicatur, non significat quod est visibile in Eucharistia, sed corpus Christi inuisibile, sub visibili specie latens, manna videlicet absconditum, quod vera fuit & est hostia pro peccatis, sed & nostra Eucharistiæ adoratio, ad Christum penetrat, nec potest hærere, quod isti calumniantur in visibili creatura. Quare si quis ita fortè loquatur, adorari visibile propter id quod continetur, quomodo hic citat: sentit quidem quod reliqui, creatori videlicet, qui in mysterio adest, deberi adorationē, sed tamen quoniam sua specie non existit, dirigitur ipsius adorantis gestus & externus habitus in illa visibilia, propter id quod continetur in mysterio, nō vt in illis visibilibus hæreat adoratio: sed vt per illorum significationem, in diuinam substantiam tendat, sub illis præsentem, quæ significatur à visibilibus in mysterio cōtineri. Non ergo quod est hostiæ visibile adoratur, sed quia indicat contentum rectè dirigit adorationem, vt id quod adoratione dignū est, adoretur. Atque hæc quum ita sint, inanis est collectio istius à modis cōtinēdi. Quin & illud falsum est, quod argutator ait magis realiter trinitatē in quouis mortaliū esse, quàm corpus Christi in Sacramēto, aut vt ille sentit, visibili elemēto contineri, & tamen nomen hostiæ, excludit quod est visibile, vt dixi. Ergo vt modus sit loquēdi, visibile adorari propter contentum: nunquā tamen verū est visibile adorari, sed in vnum illū quem visibilia indicant, Christum, adorationē dirigi. Quod autem affingitur, trinitatem magis realiter contineri in creatura homine, quā corpus Christi contineatur sub visibili ele-

mento,

mento,ſi veritatem ſpectes præſentiæ,falſum eſt, ſin modum continentiæ, non eſt improbandum,quia corpus Chriſti nõ vnitur quomodo homo per gratiam vnitur Deo. Et tamen in homine non eſt plenitudo diuinitatis, quæ in vno Chriſto habitat corporaliter, & ideo vera Chriſti præſentia in Euchariſtia adorationem exigit,quũ in nullo alio homine, præterquam Chriſto,homine Deo, inſit plenitudo,non quia Deus non ſit ſemper in ſe plenus,ſed quoniam homines non ſint eius capaces,quemadmodum Iuſtinus in expoſitione fidei eleganter tractet, quæ ratio diſciminis eſt, vt Deus ſub ſpecie panis,in Chriſti corpore præſens, ſit plenè præſens, & ideo adorandus, in hominibus autem quia plenitudo non ineſt, id eſt, quia non ſunt vt Chriſtus Deus, non ſit in diuinitatem in illis præſentem adoratio dirigenda.

OBIICITVR 42.

HOC ETIAM ERRORE IMPEDITVR *frequentia communionis. Nam perſuaſo quòd Chriſtus ibi ſit realiter, ſatis putant ſi eant ſaltem ad templum, videant,adorent,inuocent, candelas accendant. At ſi crederent tantum illic eſſe ſacramentum corporis,intelligerent nullum habituros ſe commodum,niſi communicaſſent, quod eſt verè ſatisfacere inſtitutioni Chriſti.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NON eſt error, ſed catholica veritas, quam explicat tranſubſtantiatio,quam qui credunt, non illi quidem ſatis eſſe putant,ſi eant ſaltem ad templum,videant,adorent,inuocent, ſed quum ſeipſos probantes (quod Paulus admonuit) ab ipſa ſacramentali communione per reuerentiam abſtineãt,aliquid eſſe putant quod faciunt,eundo,videndo,adorãdo,inuocando,etiamſi id ſummũ non eſſe ſciant, quod vnum ſit ſatis,reſtare faſtigium ſciunt ſacramentalis communionis,ad quod ſuſpirãt.Sed ab hoc argutatore quæſierim,num qui in ſpiritu & veritate adorat & inuocat,contemplans Chriſtum fide, quem credit præſentem,num is,inquam ſpiritu Chriſto communicat? Age verò,ſi conferendæ doctrinæ ſunt,vera videlicet Catholicorum,quæ Chriſtum verè præſentem in Euchariſtia docet,& iſto-

rum

rum erronea, quæ exclusa veritate præsentiæ inducit figuram: hæc erronea figuratorũ, potius est illa, quæ frequentiã impedit, si quàm sæpe fiat, non quàm bene fiat, æstimemus, quæ illorũ doctrina erronea, ita vim extenuat Sacramenti, vt fideles non minus verborũ organo, quàm signorum vsu, corpus Christi accipere, nitantur persuadere, quod ipsum minuat necesse est frequentiam communicandi ore, quãdo maiore vtilitate, aut certè pari, nulla cèremonia, quæ istis odiosa est auribus valeant communicare. Sed Paulus in hoc mysterio celebrando, non tam frequentiam exigit, quàm sumentium dignitatem, quæ quum minus adsit, morbos & mortem, pro vltione succedere memorat, deterrens ne veniant qui sint indigni, non diiudicantes corpus domini, quod proprium est eorum, qui solam in Sacramento docent figuram.

OBIICITVR 43.

SI CORPVS CHRISTI SIT REALITER *præsens, vel recipitur anima vel corpore nostro, at in animam nil carnaliter & corporaliter intrat, accipitur, si in corpus recipiatur: tũ quæro, quamobrem? Si dicant, vt homo sanctificetur: præpostere fit, nam sanctificatio incipit ab animo, non à corpore, & Eucharistia est cibus spiritualis, institutus vt pascat mentem, non ventrem.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVanta est sophistica à veritate rei præsentis, ad modum præsentiæ, deflexis vocabulis? Illud est certum, sic dari Christum in Sacramento, vt totum sanctificet hominem, pignore dato immortalitatis & gloriæ integri hominis, olim futuræ. Itaque Christus in sacramento, & fidelis animæ & reuerentis corporis officio excipitur. At hic argutator quærit, quomodo scilicet intret animam carnaliter & corporaliter? Respondeo, Non sic loquitur Catholicus, qui quum scit corpus Christi propter ineffabilem spiritus vnionẽ sanctificare, & vt adest spirituali modo ac diuino in mysterio: ita modo suo intrare spirituali, id est, diuino, persuasum habet, siquidem dignè suscipiatur, non præposterè, sed recta, quibus nouit viis dominus, totũ quantus quãtus est hominẽ, ad maiorẽ in spiritu & corpo-

re vigorem alere, tum mente tum corpore modo suo, nam de vẽtre ad carnalẽ sensum hac alimonia alendo, haud cogitant fideles quando (vt sanctum Nicenum concilium loquitur) non ad saturitatẽ sumatur, sed sanctimoniã. Cæterùm, vtrũ anima per carnẽ (quod hic argutator negat) sanctificationem assequatur: ex verbis Tertulliani æstimetur, qui sic scribit: Videamus nunc de propria etiã Christiani nominis forma, quãta huic substantiæ friuolæ ac sordidæ apud Deũ prærogatiua sit, & si sufficeret illi quod nulla omnino anima salutẽ possit adipisci, nisi dũ est in carne crediderit, adeò caro, salutis est cardo. De qua cũ anima Deo alligitur, ipsa est quę efficit, vt anima alligi possit. Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima cõsecretur: caro signatur, vt & anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur: caro corpore & sanguine Christi vestitur, vt & anima de deo saginetur. Nõ ergo separari possunt in mercede, quas opera coniungit.

Nicenũ Cõcil. cap. de diuina mẽsa.

Tertullian⁹ de resurrectione carnis.

OBIICITVR 44.

SI CHRISTVS SIT PRAESENS CORPOraliter in Sacramento, *tunc sacrificium illorum cessabit. Nam Paulus ait, Mortẽ domini annuntiabitis donec veniat. Annũtiatio mortis Domini, est sacrificium illorum, & si Christus sit corporaliter in Sacramento, iam venit, si venit, cessat annuntiatio mortis eius. Ergo si sit præsens corporaliter, cessat sacrificium.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ANnuntiatur mors domini, donec veniat cum maiestate iudicaturus mundum, in Sacramento verò adest, sanctificaturus suos. Ad iudicium veniet visibilis, nam quemadmodũ vidistis ascendentẽ, ita veniet, inquit Lucas. In Sacramẽto adest etiamnũ à dextris sedens, quare quod in Sacramento est, nec inde venit, nec visibilis venit, nec cũ gloria maiestatis venit, nec iudicaturus venit, sed nos aliturus. Imò non venit, si propriè loquamur, vt in sacramento sit: sed adest in sacramẽto in terra, sedẽs ad dexterã in excelsis, quod est mysteriũ nullis verbis explicabile. Atq; hæc, vt huius ostendã ineptiã, qui de verbo (venit) argutatur. Cæterùm Catholici dicũt, nisi Christi corpus præsens in sacramẽto esset: ecclesiæ sacrificiũ tanquã sua substantia defectũ verè cessaret.

Luc. act. 1.

Nam

Nam hoc demũ est sacrificium incruentũ & viuificũ, & illa munda oblatio, de qua Malachias prædixit, iugiter in ecclesia offerenda. *Malach. 1.*

OBIICITVR 45.

MISSA CARET VERBO DEI, PRAETEREA *inhonorat & destruit institutionem Christi: Ergo corpus Christi non potest esse in Missa.*

RESPONDET CATHO.

QVatenus Missæ vocabulo, sacrosanctæ cœnæ iuxta Christi institutum celebratio intelligitur, additis ex Pauli admonitione, deprecationibus, postulationibus, intercessionibus, & gratiarũ actionibus: quomodo potest dici, destitui verbo Dei, non video, nisi quia vocabuli Missę sonum scriptura non habet, rem etiã quæ significatur negetur habere. Imò (inquit) inhonorat Christũ, at quomodo, nõ dicit. Addit destrui institutum Christi, nec explicat: ergo maledictum est hoc, non argumentum.

OBIICITVR 46.

IN CELEBRATIONE COENAE DIXErunt *veteres, Sursum corda, volentes mentes hominum in cœlum ferri, & non esse affixas signis & elementis Sacramenti. Vnde sequitur, eos nunquam cogitasse de corporali præsentia in terris.*

RESPONDET CATHOLICVS.

HOc argumentũ diuinatione constat, in quo fictio conuenienter parit fictionẽ. Quid veteres significabãt iis verbis (Sursum corda) coniicit esse hic argutator, quod esse vult, vnde nobis eruat veterum cogitationes de sacramẽto. At verò de significatione verborũ (Sursum corda) quàm non sit probabile, quod hic affert, ex eius quod agitur circunstantiis facilè erit animaduertere. In celebratione cœnæ, si ordinẽ consideremus, præcedit Symbolorũ consecrationem, gratiarũ actio, gratiarũ verò actionem antecedunt hæc verba, (Sursum corda) vt mentes deorsum fixas, & carnalibus cogitationibus demersas, iã sursum erigamus ad dominũ, & corda in fruendis domini beneficiis occupata, ad ipsorum beneficiorũ authorem & dominũ contemplandũ subleuẽtur, vt quod in referẽdis gratiis agẽdum sit, tota intendant. Nam

ſequitur,(Gratias agamus domino deo noſtro) quæ verba cauſam exprimunt attẽtionis,illis verbis(Surſum corda) excitatæ. Porrò autẽ quum corda inuitentur ad dominũ accedere,quod explicant quæ reſpondentur, (Habemus ad dominũ:) apparet ea corda appellari, quæ humi iaceant,quaſi à domino diſtracta & peregrinantia, vnde vt ad dominũ migrent,iis verbis(Surſum corda)inclamãtur,& tanquam ex alto ſomno vt vigilent, excitantur. Et quid hæc ad ſymbola,ſigna & elementa,cum quibus adhuc in illa celebratione nihil agitur? Tum illud vide,tradunt iſti figuratores,ſymbola illa eſſe, veluti viſibilia verba,quæ interim quaſi fingas concionari. Et vult hic argutator iis verbis(Surſum corda)veluti præmoneri qui adſunt,vt caueant à ſymbolis,ne auſcultent, ne aures cordis arrigant, & licet oculis corporis illa videant,tamen corde negligant, tanquã à domino aliena,quæ nihilominus(quomodo ipſi tradunt) vt domini ſpiritualem manducationẽ & mortem annũtient,adhibẽtur. Concionantur ergo ſymbola,ſecundũ illos,ſed audientiæ ſurdæ, cuius corda,ne quid intelligant, præmonitione auocantur ad dominum, qui huic conuentui non dignetur adeſſe, videlicet quòd adſint ſymbola,cum quibus(vt videtur)nihil habet cõmercij. Nunquam audiui quicquam fingi ſtultius. Deinde, ſi ea erat de Euchariſtia illis temporibus doctrina, quam iſti volunt, vt ſymbola in ſuis naturis manẽtia,nihil aliud eſſent quàm ſigna & figuræ rei abſentis,ſi tam negligenter tractarentur,vt paſsim darentur pueris in manus, ligneis & vitreis vaſis exhiberentur, nihil deniq; adorationis ſolitum eſſet adhiberi:quid opus tam ſolicita cautione, ne mentes haberent fixas ſymbolis,quod aliter accidere non poſſet,niſi quatenus animũ in patinis dicerentur habere, vbi intelligerẽt nihil appoſitum præter panem & potum? Adeò hæc interpretatio, cum iſtorum doctrina non conſiſtit. At verò cum catholica doctrina quæ docet Chriſtum ſub elementorum ſpecie verè præſentẽ,ne quis deorſum in terrena ſymbolorum natura hæreat,ſed ad cœleſtem quæ de ſurſum eſt ſubſtantiam præſentẽ,oculos fidelis cordis intendat & eleuet: congrua fuerit admonitio,ſed ante conſecrationem intempeſtiua & aliena, tum quomodo nunc præponitur gratiis agendis, non ſuo loco poſita, vt non videatur mihi cogitaſſe(qui à verbis iſtis,Surſum corda, ſic ratiocinatur) aliis quicquam cordis ſupereſſe, quò hæc excuterent.

Quòd

Quòd si hoc argumentum ab authoritate refellere voluissem, citassem Chrysostomum, qui longè aliter quàm isti, interpretatur, & in eundem quem nos antea explicauimus sensum.

OBIICITVR 47.

CHRISTVS PORTAVIT SE QVODAMMOdo *manibus suis, vt Augustinus, ergo non verè.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Modus actionis nihil minuit de veritate rei gestæ quam verè credimus gestam esse, quod addo propter ęnigmatica, quæ quum fuerint explicata, exeunt in ridiculum, veluti si quis iactasset se decem boues, & oues totidem, humeris simul impositos gestasse, & denuò id se facturum polliceretur, deinde expectantibus miraculum, proferret boues in charta pictos, cum totidem ouibus. Vel qui ostentans crumenam, diceret ibi esse præsentia talenta decem, quæ tam paruula crumena contineri, omnes mirabantur, & tamen propter hominis authoritatem, haud auderent prorsus & ruditer negare. Rogatus monstrare, protulit syngrapham debitoris non mali, sed qui abesset longiùs, tum qui pecuniam certis conditionibus, & in diem deberet. Ista ab hoc iactabundo dicta quodammodo vera erant, sed post modi explicationẽ, non serio illo sed ioculari modo. Augustinus quod de Christo dixit, vt maximè serium, vt mirandum extulit, quomodo alium præter Christum legitur fecisse neminem, Christum se gestasse manibus suis. De modo quod addit Augustinus, eius dicti expositio est, cuius expositionis natura sit, propositionem sua luce illustrare, non destruere, vt quod dictum erat fuisse, verum non vanum aut illusorium demonstraret. Quòd si per modum gestationis sui, intelligeremus Christum gestasse suiipsius figuram, quæ figura reuera aliud à Christo sit: huiusmodi expositio per adiectionem modi auferret propositionis veritatem, & Christum nullo modo se gestasse: sed tãtum suiipsius gestasse figurã, declararet. Deinde Augustinus notat, verum esse secundum literam, Christum se gestasse manibus, quod illam in figura gestationẽ excludit. Ergo quod Augustinus de modo addit, ad veritatis rei gestæ imminutionem, aut extenua-

tionem non pertinet, ſed ad humanam rationem comprimendam valet, ne de geminatione corporis Chriſti, quē noſter modus ex illa geſtatione mentibus ingerit, cogitemus, ſed ſuum Chriſto modum permittentes, quodammodo fieri, & verè fieri, quoniā veritas fieri dixit, cui credidit cū eccleſia Auguſtinus, fideles quotquot ſumus, non dubitemus. Manifeſtum incredulitatis ſignum eſt (vt Iuſtinus ait) illud in diuinis curioſum πῶς.

OBIICITVR 48.

CORPVS CHRISTI EST IN COELO, CORpus *Chriſti eſt in ſacramento: ergo ſacramentum eſt in cœlo.*

RESPONDET CATHOLICVS.

REdundat peccatis hæc argumētatio. Adhibētur (quod eſt vitioſiſsimum) quatuor termini, dictionum ſenſus variatur, quū ab vno exiſtēdi modo, ad alium migretur, veluti ſi quis ita colligat, Manus eſt in chirotheca, manus eſt in homine: ergo homo eſt in chirotheca. Et quemadmodum manus eſt in chirotheca, vt in loco, in corpore verò vt in toto, alio atque alio exiſtendi modo: ſic corpus Chriſti alio exiſtendi modo in cœlo eſt, quod quaſi loci rationem obtinet, aliter in ſacramento, qui eſt modus prorſus ſpiritualis. Quòd ſi nobis permitteremus ad iſtum modum in tam ſeriis nugari, ita colligeremus ad eandem formam, Chriſtus eſt nobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi, Chriſtus eſt in cœlo: ergo cœlum eſt nobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi, quæ cōſequentia ſua forma ſic concipietur, ergo qui eſt nobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi, eſt in cœlo, quomodo & hic concluderet, ergo quod eſt in ſacramento, eſt in cœlo. Sed habet aliquid conſtantiæ, eſſe per omnia ſui ſimile, id eſt, nulla non ſui parte vitioſum.

OBIICITVR 49.

CHRISTVS INSTITVIT HOC SACRAmentum *duarum partiū ſeorſum, id eſt, corporis & ſanguinis. Sed hæc duo in corpore Chriſti reali & carnali non poſſunt diuidi: Ergo hæc duo non poſſunt accipi realiter in hoc ſacramento, vt Chriſtus inſtituit.*

Chriſtus

RESPONDET CATHOLICVS.

CHriſtus qui in hoc myſterio non patitur vllo modo ex varia exhibitionis ſui ſpecie, corporis videlicet & ſanguinis, non eſt dicendus diuidi, ſed cum corpore ſanguis, & cum ſanguine corpus, totus vbique Chriſtus intelligendus eſt. Ipſa autem corporis & ſanguinis variata exhibitionis ſpecies, ad Chriſti mortis repræſentationem fit, cuius in hoc myſterio iugis annuntiatio, ex domini inſtitutione celebratur, & fit ἐναργῶς. Illa verò eſt non infrequens iſtis calumniatoribus ſophiſtica, à veritate rei præſentis in hoc myſterio, ad modum deflectere præſentiæ, & contrà, quòd ſit illis bonum atq; commodum ad calumniam, qua occaſione arrepta, quicquid de modo præſentiæ dici per abſurditatem non poteſt, protinus de re verè præſenti negent, & quod alterius ſit proprium, in alterum cauillatione detorquēt, vt in cæteris cauillis licebit animaduertere. Quod verò ad hoc cauillum attinet, illud dicendum. Corpus & ſanguis Chriſti, reipſa reuera adſunt in myſterio, exhibitione quidem varia, non tamen per diuiſionem repręſentata, ſed concomitantia integra, quæ in viuente corpore, cuiuſmodi Chriſti eſt, ipſo naturæ ordine, eſt neceſſaria. Sub variis autem ſpeciebus, ſe Chriſtus in myſterio exhibuit, non ad diuiſionem, ſed ſignificationem, quod non videtur hic argutator intellexiſſe.

OBIICITVR 50.

PAPISTAE DICVNT, VI VERBORVM *Chriſti effici, vt ibi ſit reale corpus. Sed ſi tanta eſſet vis horum verborum, hoc efficerent à quocunque ſint pronuntiata, ſiue à laico, ſiue à muliere, & in quolibet loco, ſiue in foro, ſiue ad altare, nam eadem ſunt verba, ergo eadem vim haberent.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVanuis eccleſia tantum tribuat verbis Chriſti, quibus nihil poteſt nimium tribui: tamen à verbis non diſiungit Chriſti mandatum, quod certos nos faciat, eccleſiæ miniſterio adeſſe Chriſtum, vt adſit cooperans inuiſibilis ſacerdos, qui ſuam eccleſiam varietate ornauit, vt non omnes

omnia,

omnia, ſine ordine faciant, vt non omnes Apoſtoli, omnes prophetæ, & omnes item miniſtri, ſed corpus ſuum myſticum membris cõmodis & conuenientibus aptè diſtinxit. Proinde quum diceret in cœna, hoc facite in meam commemorationem, non omnibus promiſcuè videtur mandaſſe, vt eius in paranda cœna vices obeant, ne non diſtinguatur qui parat & diſtribuit, ab iis quibus diſtribuatur. At verò huic confuſioni quam molitur hic argutator, repugnant Epiſcoporum & presbyterorum apud Paulum ordinatio, & hactenus ab ipſo Chriſto ſucceſsio perpetua, à quo, quotquot ſunt, habemus hodie ſacerdotes, non quaſi Chriſtus ſacerdotium nõ retineat ſuum, tãquam nos per eius abitionem iure ſucceſsionis id obtineamus quod ille eſt: ſed ſacerdotum in eccleſia ſucceſsio à Chriſto id muneris delegante, non à ſe abdicante, ducit originem, vt quod viſibilibus ſacramentis agendum ſit, viſibili miniſterio peragatur, & quoniam in iis pro Chriſto legatione fungimur, perſuaſum habemus, Chriſtum ſuis mandatis exequendis adeſſe, vt qui author eſt muneris, idem largiatur & præſtet facultatem. Hæretici ſecundum Ioannem ſoluunt Chriſtum, & quæ ab illo coniuncta ſunt, diuiſione attenuant, verba Chriſti ab eiuſdem mandato ſeparant, fidem ab operibus diuidunt, iuſtificationem à ſacramentis ſeorſim ſpectant, à verbis ſententiam malè diuellunt. Singula volunt ipſi ſingulares, eadem ſingulis licere volunt, vt omnis rerum omnium facies confundatur, quò maximè ſpectat hoc argumẽtum ſola aſſeueratione communitum.

OBIICITVR 51.

CORPVS CHRISTI QVOD FRANGEBA*tur in cruce, eſt ſatisfactio pro peccatis totius mundi, ſed ſacramentum non eſt ſatisfactio pro peccatis totius mundi: Ergo ſacramentum non eſt corpus Chriſti.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CVM res quę verè continetur ſacramento, ſit idem corpus quod pependit in cruce: eadem certè ſemper fuit, eſt, & erit ſatisfactio pro peccatis totius mundi. Et licet nemo ſic dicit, Sacramentũ eſt ſatisfactio: tamen in ſacramẽto

fatemur

fatemur corpus verè præſens eſſe, quod ſatisfecit pro peccatis mundi. At enim diſsimulatur ab hoc argutatore quòd continetur in ſacramento, & luditur in nomine (ſacramentum,) quod quanuis per dicendi figuram dicimus eſſe corpus Chriſti: in argumentis tamen, quæ proprietatem verborum exigant, (ne fallamur) ea appellatio tanquam terminus proprius quum non ſit, non adhibeatur.

OBIICITVR 52.

REALIS HAEC PRAESENTIA CHRISTI, *nihil affert vtilitatis, quod ex illa ſpirituali præſentia non habemus. Nam Ioan. 6. promiſit dominus edentibus ſe vitam æternam, & quòd maneret in eis, & illi in ipſo, Sed vltra hoc nihil requiritur: Ergo realis præſentia eſt inutilis & non ponenda.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVIN omnia poſsit ſpiritus, nemo dubitet, & tamen ſecundum ſcripturas annotauit Cyrillus ſanctificationē carnis Chriſti, quam ipſa in myſtica benedictione propter vnionem efficit, & eſt verè caro viuifica. Ego illud addo, non verè edere Chriſtum ſpiritualiter illum, qui non omnia eius inſtituta libenter agnoſcit, & citra omnem hæſitationem profitetur vtiliſsima. Si Chriſtus hanc realem præſentiam inſtituit, quod eſt certiſsimum: impium ſit de vtilitate diſputare. Si non inſtituit, fruſtrà eius quod non ſit tractetur vtilitas, vt hæc de vtilitate quęſtio, vel ſuperuacua ſit prorſus, vel omnino impia. Fidelibus verò, & quibus ex fide catholica ſit verè perſuaſum, Chriſtum in ſacramento præſentem eſſe: multæ magnæque ſe offerunt vtilitates, quas & ſenſerunt pij, & docti ſuis ſcriptis copioſè explicuerunt. Sed hæc forma ratiocinandi etiam baptiſmum impetit, de quo ſimiliter liceret argutari, ſi quod Chriſtus dixit, verum eſt: (Qui credit in me, habet vitam æternam,) nō eſt igitur vlla vtilitas baptiſmi, quod fidei ſacramentum appellatur. Sed qui ſimpliciter credit, non ad hūc modum excutit inſtituta Chriſti, ſed colit & fruitur cum pietate.

Cyrillus in Ioan. lib. 4 cap. 14.

OBIICITVR 53.

CORPVS CHRISTI PRODEST MVLTIS, *etiam ante institutionem huius sacramenti. Sed sacramentum prodest solùm recipienti: Ergo sacramentum non est corpus Christi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NON dicunt catholici sacramẽtum propria appellatione esse corpus Christi, sed sacramẽto cõtineri corpus Christi, & rem sacramenti Eucharistici contentam, esse verum corpus Christi. Sed expendamus materiã argumenti, nam hoc genus hominum, formas negligit, ordines non fert, non curat consequentias. Euangelista scribit, *Ioan. 1.* Quotquot eum receperũt, dedit eis potestatem filios dei fieri. Adeò suis, qui non receperant, nihil profuerat venisse Christum, secundũ quæ Christus non prosit nisi recipienti, etiam extra sacramentum, vt non sit ea propria nota sacramenti, soli recipienti prodesse. Sed quomodo probabit hic nobis sacramentum tantum prodesse recipienti, cõtra fidei articulum, quo credimus sanctorum communionem, vt vniuscuiusque membri augmentum, cæteris in eadem corporis compage constructis, prosit ad ædificationem?

OBIICITVR 54.

VETERES HABVERVNT CALICES EX *ligno & vitro. Lignum facilè imbiberet sanguinẽ, vitrum fragile est. Ergo si calices hi continuissent preciosum sanguinem Christi, nunquã vterentur veteres eo sanguine, tam temerè & negligenter.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NON est temeritatis aut negligentię, quę temporum & locorum ratio dederit, illis quum alia desint, per necessitatem vti: & nescit hic argutator, ligna quædam tam solida, vt nihil imbibant. Vitra etiam ea spissitudine confici, vt non facilè frangantur, & propter leuorem commodissima. Quod si huius argutatoris suspitioso pectori, tam valeat à vasorũ qualitate argumentatio, vnde colligat quid vasis contineretur: quid fuerit apud veteres, ex veteribus intelligemus. De calicibus sic scribit

bit Optatus: Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores, quorum species reuocastis in massas, mercedē nefariis nundinis prouocātes, ad quam nec emptores eligere voluistis sacrilegi, dum inconsideratè vendidistis. Hæc Optatus, qui licet materiam calicum non exprimat, docet tamen non ex ligno aut vitro fuisse, sed vel auro, vel certè argento, materia preciosa, quæ in massam redacta, aliquid venditione illa & nundinatione conficeret. Interim etiam illud exprimit Optatus, calices illos sanguinis Christi portatores fuisse. Sed & aureæ calicum materię Ambrosius meminit iis verbis: Huic muneri proficere debet aurum redemptoris, vt redimeret periclitantes. Agnosco infusum auro sanguinem Christi, non solùm irrutilasse, verùm etiam diuinæ operationis impresisse virtutem, redemptionis munere. Hæc Ambrosius, cuius de materia calicis testimonium, non modo ad calicis materiam, sed ad mysterij pertinet veritatem, quam quantum idem Ambrosius vase prætulerit ipso, ex eiusdem Ambrosij verbis licebit cognoscere, dum sic scribit: Ornatus sacramentorum, redemptio captiuorū est, & verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est domini, qui operatus quod sanguis eius operatus est, tunc vas dominici sanguinis agnosco, quum in vtroque videro redemptionem, vt calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Ista Ambrosius, dū ex calicum materia subueniendum putaret iis qui tenerentur captiui ab hostibus, in quem vsum semper visum est licitum sacra vendere. Illud etiā obiter annotandum, sensisse Ambrosium, sanguinem quo redempti sumus, calice contineri, quod nostros coarguit figuratores. Sed & materiæ calicū meminit Chrysostomus iis verbis: Animārum ergo munditia opus est, propter quas etiam vasa hæc deus recipit, & certè non erat ex argēto illa mensa, nec ex auro ille calix, quo Christus discipulis sanguinem præbuit suū: pretiosa tamen erant omnia, & venerationis plena, quia spiritu abundabant. Hæc Chrysostomus, illorum hominum mores notans, qui cum vasa deseruientia mysteriis tam pretiosa curauerint, animas interim mundare negligerēt, quarum primam esse curam oporteret. Vnde alibi scribit: Non est opus vasis, sed animis aureis. Hæc dico, nō quia vetare velim talium vasorum oblationem, sed quia dignum putem,

Optatus aduersus Permenianum. lib. 6.

Ambros. lib. 2. Officio. ca. 28.

Ibidem.

Chryso. in Mat. ho. 51.

Ibidem.

ante omnia misericordiæ ac benignitati esse incumbendum: nam & vasa deus suscipit, sed illa multo magis sibi gratiosa sunt, & vasa quidem danti solùm profuerunt, benignitas verò etiam accipienti. Hactenus Chrysostomus, qui ea moderatione benignitatẽ in pauperes putauit excitandam, ne ab hoc ornatu deterreret, quem mysteriorum magnitudo exposcere videbatur. Vnde Theophilactus, quod suæ ætatis mores videbantur exigere, grauiter eos increpat, qui pauperum prætextu, aurea vasa detraherent sacrificio. Sic enim scribit: Audiant igitur quomodo Christus præferat sui curam pauperibus, Christi autem corpus propriè quod in disco aureo, & sanguis qui in poculo. Qui igitur abstulerit discum pretiosum, & cogit vt corpus Christi in viliori ponatur, prætexens scilicet pauperes, sciat cuius partis sit. Hæc Theophilactus. Ex quibus testimoniis videre est, veteribus etiam fuisse vasa aurea, huic ministerio ornando adhibita, etiamsi fuisse alicubi & lignea & vitrea, Concilium Triburiense notat, vbi prohibitum est, ne in ligneis vasculis de cætero cõsecrent, ne vnde (inquit conciliũ) placetur deus, inde irascatur. Sed longè ante ea tempora aurea fuisse vasa, apertè monstrauimus, ne quis tum obseruari cœptum calumnietur. Quin & in concilio illo Triburiensi inseritur memorabilis illa Bonifacij martyris sententia, qui interrogatus, an liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit, Quoniam sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur, nunc econtrà, lignei sacerdotes, aureis vtuntur calicibus. Ex qua sententia apparet, aureos calices ante illud concilium in vsu fuisse sacrificij consecrandi, & qui lignea vasa adhiberent, non temeritate aut negligentia, (vt hic vult argutator) nedum cõtemptu, sed quod temporis ferebat conditio, secuti & consultum rati, ne abriperẽtur Ethnicorum manu, ex materia viliori habere, quominus essent obnoxia prædæ. Sed huius argumenti occasione, accesit veritati locupletius testimonium: nam ostendi in calicibus, cuiuscunque fuerint materiæ, verum Christi corpus, & sanguinem verum, fide quæ tum vigebat, credita contineri: & aurea etiam vasa atque argentea tum fuisse, licet aliquando etiam lignea & vitrea fuerant.

Theophila. in Marcũ cap. 14.

Triburiẽse conci. c. 18.

Bonifacius martyr.

VETE-

OBIICITVR 55.

VETERES DABANT SACRAMENTA *pueris in manus, vt domum portent, ergo vel nimis negligenter tractabant, vel non fuit corpus Christi reale.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Deest huic conclusioni tertium membrũ, quod ego adiiciam, hoc est, vel hic argutator de veteribus fingit & mentitur impudentissimè. Quod enim semel vrgente tum necessitate, ecclesiastica historia narrat factum: hîc refertur quasi pro consuetudine. Neque habet historia, in manus datum, quod affingit iste: & quamuis puer appelletur, cui dabatur sacramentum deferendum, apparet tamẽ ex circũstantiis, fuisse grandiusculum. Nam refert historia abiisse cursu puerum ad presbyterum, rogatum quantum potest, maturet accedere. Presbyter autem impeditus infirmitate quominus adiret, puero dedit perferendum viaticum. Nec refert historia, puero in manus datum, quomodo pueris dant crustula blandi doctores, & verisimilius est sacrificium diligenter composuisse, ne inter deferendum periret: quin eiusmodi puer erat, quem presbyter instruxit præcepto, vt infusum quod dederat, iusserat seni præberi. Et ex eo quod semel vrgente necessitate per occasionem est factum, confecit hic argutator propositionem indefinitam, vnde dilemma maneret ad calumniam commodum, hoc est, vel negligenter tractabant: vel non fuit corpus Christi. Quis istiusmodi credat de verbis Dei, quos tam nihil pudet mentiri de verbis hominum?

Euseb. hist. Eccles. lib. 6. cap. 33.

OBIICITVR 56.

NATVRA SACRAMENTI EST, VT RES *Sacramenti significata sit absens, & tamen signum accipiat nomen significati, vt fit in omnibus Sacramentis, & noui & veteris testamenti. Ergo in Eucharistia, res, id est corpus Christi, est absens.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Novae legis sacramenta res præsentes exhibent, quo vno nomine sacramentis veterum sunt vberiores, & corpus Christi omnino abesse ab Eucharistia, tanquã absurdum fatentur subtiliores sacramentarij, ideóque vera præsen-

tia, quæ re consistat negata, quandam fingunt quæ nõ re, sed nostræ fidei efficacia subsistat, præsentiam, quasi dicas, præsentem absentiã. Nam quod hic argutator rudius & crassius illorum euulgans mysteria, corpus Christi absens dicit: illi quidem verbis (vt dixi) defenderent præsens, at non vt transubstantiatores inquiunt, sunt videlicet figuratores illi, qui vt panis substantia maneat, solam corporis figuram (quod est corporis Christi, per relationem quasi accidens) conantur inducere. Adeò malint totum panem cum accidente corporis, quàm verum corpus cum accidentibus panis, constituere Eucharistiam. Sed figuræ scilicet addunt præsentiam, quam efficit vis fidei, & partes omnipotentiæ dei fides arroget, vt quod non sit, tanquam sit credens, quod verè absit, constituat præsens, quomodo vehemens cogitatio amicos absentes quasi sistit coràm. Sed nihil hæc ad argumentũ, at istorum meminisse facit huius ruditas (qui ex illis est) sed tardior, itaque defendit abesse corpus Christi apertis & simplicibus verbis, hactenus profectò minus malus quàm cæteri. Sed & errat apertè, antecedenti erroneo erroneã annectens consequentiam. Neque enim naturam sacramenti rectè accipit, quam vna concludit significatione, quæ rem significatã, absentem denotet, quam descriptionem naturæ sacramenti ex sacris scripturis, è quibus omnes se probationes & confirmationes petere iactat, non hausit, sed suorum more, ex antecedente fortiter asseuerato, infert quidlibet. Ego contrà dico, quoniam natura huius Eucharistici sacramenti ex verbis Christi instituentis, quænam ea sit constet, vnde verum Christi corpus cõstat adesse: sequeretur rectius à natura huius sacramenti rectè intellecta illud, Ergo corpus Christi est præsens.

OBIICITVR 57.

IN HOC SACRAMENTO NON SVNT *tanta miracula ponenda. Nam Gregorius Nazianzenus, complexus omnia miracula Christi, nullam fecit mentionem de transubstantiatione, nec Augustinus de mirabilibus sacræ scripturæ, quod fecissent, si si fuisset miraculum: ergo non sunt hîc ponenda miracula.*

RESPONDET CATHOLICVS.

MAgna cura egisse videtur patres catholici, ne religionis nostræ mysteria euulgarentur, ea præsertim quæ Ethnici veluti carnali iudicio stulta deriderent. Augustinus de hoc mysterio loquēs, solebat hoc verborum symbolo tantum arcanū attingere: Norunt (inquit) fideles quæ verba altissimorum miraculorum dant significationem. Sed nec Augustinus, nec Nazianzenus, omnia Christi miracula vel recensuerunt, vel illud potuerunt, & quanquam illud conarentur fecisse & possent, maxima est causa cur hoc taceatur. Sed quæ vis est huius consecutionis, Nominatim non recensetur: ergo non est, quando quod alicubi tacetur verbis, alibi exprimitur sententia, & Eucharistiæ doctrinam catholicam, eiúsque miraculum, certū est tum scripturis probari, tum patrum sentētiis comprobari. Chrysostomus exclamat, O miraculum. Emissenus dicit, honorare, mirari, dum in altari respicimus corpus dei nostri. Ambrosius confert cū summis veteris testamenti miraculis. Cyrillus (vt hoc mysterium credatur) citat dei in vetere lege patribus exhibita miracula, sentiēs hoc item magnum miraculum esse. Et prodit nobis hic argutator, qui negat scilicet tanta miracula, & in conclusione conatur probare esse nulla, videlicet quia qui quædam notarunt, non recensuerunt omnia, quod nec facere potuissent, si maximè voluissent.

August. in Ioan. tract. 26.

Chrisost. de sacerd. li. 3.

Emissenus orat. de corpore et san.

Ambro. de iis qui initiantur.

OBIICITVR 58.

VT STATVAMVS CORPVS CHRISTI *comprehendi in pane realiter, corporaliter & naturaliter, scriptura sancta non adigit expressè: & multiplicare tot miracula absque illius testimonio, non est theologicum. Ergo talis præsentia non est ponenda.*

RESPONDET CATHOLICVS.

EXplicare veritates secundum scripturas, nō est multiplicare miracula, at verò ipsas veritates per calumniam verbis alienis & inuidiosis (quod hic argutator facit) efferre, id demum est sine omni pudore multiplicare mendacia. Quis enim sic loquitur Catholicus? corpus Christi comprehendi in

di in pane realiter, corporaliter, & naturaliter, quæ verba præsentiæ modum insinuent, qualem ecclesia non docet, tum autem comprehendi (quomodo verbum sonat) pane corpus Christi, catholicus nõ dicit, adesse sub visibilibus dicunt, & contineri sacramento, qui exactè loquũtur, vt verba sic citare ad calumniam, sit planè sycophanticum. Catholici verò maximè theologicum arbitrantur, suam cuique veritati scripturis proditæ, lucem addere, & quæ sunt Cæsaris, reddentes Cæsari, notantes videlicet, & tribuentes naturæ, quæ sunt legibus illis communibus à Deo tributa. Dei item virtuti asignemus miranda, & quoties verè fiant agnoscamus, quare talis præsentia Christi in Eucharistia, qualem verborum eiusdem vis asserit, ponenda item nobis, credenda & prædicanda sit, vtcunque videatur vel Iudæis scandalum, vel Ethnicis stultitia.

OBIICITVR 59.

OMNE MIRACVLVM SENTITVR VEL *ratione, vel experiẽtia, vel scripturæ apertis verbis probari potest, vt Maria sensit se concepisse ex spiritu sancto. Et sancti sentiunt animũ suum immutari à pristina conuersatione. At hîc nihil horum miraculorum, quæ confingunt, sentitur: Ergo frustrà à miraculis opem implorant.*

RESPONDET CATHOLICVS.

SI Christi verbis in scriptura expresßis fidimus, mox videlicet fieri verbi potentia omnipotentis, quæ (qui non fallit, dixit fieri: quid cunctamur hoc agnoscere miraculum, verbis tam apertis testatum? quũ de vno illo quod tenebat Christus in manibus, quod panem reuera fuisse, quum acciperet in manus constat, & etiamnum esse ratio indicet, sic loquitur, Hoc est corpus meum. Non dixit (vt in luce creanda) fiat corpus, quare adderetur, Et factum est corpus: sed miraculum absolutum edidit, dicens, Hoc est corpus. Quid desideretur amplius? an vt existeret mox sua specie corpus, in quod internã panis substantiam antehac non visam, corporeis oculis desinere cernerent? Qui nunc non credunt, quum hæc fieri cernerẽt, exclamarent præstigias & incantationes. Nam quod dixit pater Abraham diuiti, etiam ad istos pertinet: Mosen habent & prophetas, quibus si

Luc.16.

ncn

non credant, nec si quis à mortuis resurgat, credent. Qui fidit authori, non moratur experientiam, & qui matris ecclesiæ admonitionem sequuntur, ea securitate quomodo in nuptiis ministri, dum à Christi matre admonerentur, quæ iusserit Christus exequi, in mandatis exequendis occupati, in fidem mandantis non inquirerent. Ministri qui hydrias implessent aqua Christo iubēte, audebant inde Architriclino dare bibere, nihil dubitantes iam esse vinum, quod ipsi intulerant aquam. dices, videbant. Ergo solo colore iudicatur vinum. Nam prægustasse ante Architriclinum quenquam, non legitur. At nullus est (inquit) huius in sacramento miraculi sensus. Fateor carnalibus nullum esse, quibus nihil est spiritus quo sentiatur. Qui verò Christi verbis fidem habent, & quæ ipse dixit, vera & effecta credant, quum neque quo fiant modo sensibus intelligant, neque ipsa re subsistere experientia sciant: non possunt tamen non fateri, rei gestæ miracula, effectorum veritati cohærentia, quæ ratiocinatione colligimus, interuenisse. Nam alioqui quod dicat hic argutator ratione sentiri miraculum, non equidem video quomodo expediat, quum ratio quatenus carnalis sit, omnia ferè detorquet ad calumniam.

Ioan.2.

OBIICITVR 60.

PRAESENTIA REALIS ET CORPORAlis *non est necessaria ad salutem, ad quam nullum habet momentum: Ergo non est approbanda.*

RESPONDET CATHOLICVS.

VAnissimum est quod assumitur, præsentiam realem nullum habere momentum ad salutem, quando eam à salutis authore credimus institutam. Quin aliter statuere potuisset, nefas sit dubitare, nūc autem quod illi erat liberum facere, nobis effecit necessarium credere, in verbis eius diffidere non curemus. Diuinæ facultati nihil annectitur necessarij, quæ velle & posse ex æquo continet, nullis astricta legibus, nullis alligata sacramētis. Nostro verò obsequio necessitas imperat, vt si volumus ad vitam ingredi, mandata seruemus, &

m

Hebræ. 11. veritates diuinitus proditas amplectamur fide, sine qua imposibile est placere Deo. Non frui sacramento, quum casus impediat, lethale non est, contemnere quum frui posis, omnino exitiale. Ipsum verò frui, si copia detur, tam salutiferum, vt illo calice inebriari, & somnum à vitiis liberum assequi, summam duxerūt pij fœlicitatem, & ad æternam requiem adipiscendam momentum maximum.

OBIICITVR 61.

IN TOTA SCRIPTVRA NIHIL REPERI-*tur credēdum, ita contrarium sensibus, vt experientia sensuum affirmet aliquid eße cuius contrarium doceat fides. Sed si sit transubstantiatio, aliquid affirmāt sensus, cuius contrarium doceat fides. Ergo transubstantiatio est contra scripturam, vel saltem nullum tale miraculum, reperitur in tota scriptura, quod non est credibile.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Hebræ. 13. PAulus vt Hebræis hospitalitatem suaderet, refert aliquos inscios excepisse hospitio angelos, quod si verum est (vt est verisimum,) oculis planè capti sunt illi, aliud pro alio renuntiantibus, angelos videlicet qui reuera erant, fuisse homines. Sentit fortasse Paulus de Loth: sed & simile quid Abraham accidisse legitur, quum tres vidit, & vnum adorauit. An non in iis quæ veluti disparata opponuntur, quum aliud sint homines, aliud angeli: & quod est angelus non est homo: tamen aliud credere de illis oportuit, quàm sensus manifestè iudicabant, si quod potest esse sensuum iudicium manifestum?

OBIICITVR 62.

IN MYSTERIO INCARNATIONIS *Christi valde mirabatur beata virgo, & interrogabat, Quomodo fieret? Sed hæc transmutatio panis in corpus Christi, nō est minor mysterio incarnationis: mirum est ergo, quomodo in scripturis sacris ea de re, nulla inueniatur vel admiratio, vel interrogatio.*

Quan-

RESPONDET CATHO.

QVandoquidem apud ſcriptores Catholicos receptum eſt, Chriſtum in ſexto Ioannis, doctrinam de Euchariſtia tradidiſſe: quicquid ibi admirationis accidebat, certum eſt ad iſtam in Euchariſtia mutationem pertinere. De quo myſterio Caparnaitæ admirati ſunt, quaſi cum indignabunda irriſione dicentes: Quomodo poteſt hic nobis dare carnē ſuam ad manducandum? Diſcipuli verò qui audierant (Panis quem ego dabo, caro mea eſt) murmurantem diffidentiam cum ſtupore expreſſerunt, dicentes: durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum ferre? Petrus myſterium tacitè agnoſcens, ſed cuius explicationem non audebat vrgere, ſatis putauit verba Chriſti confeſsione profiteri. Domine (inquit) ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, in quam ſententiam etiam Chriſtus dixerat, Verba quæ loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. Atqui in tanto & vario admirantium ſtrepitu, miratur hic argutator, nullam nullibi de hoc myſterio factam admirationem. Quòd ſi replicet, de panis mutatione loqui ſe, quam mutationē nemo diſertis verbis admiratus eſt: Ergo nec genus valebit ad ſingula, vbi in eius explicatione ſe prodat tanta miraculorum fœcunditas? Et num legimus aliquando dictum, non auſos in omnibus diſcipulos Chriſtum interrogare? Scribitur autem ideo in cœna nihil fuiſſe admirationis, quòd eſſent ipſum myſterium iam antea edocti Apoſtoli. Denique Chryſoſtomus ait Chriſtum prægustaſſe, quò ſuos induceret ad manducādum, ne myſterij magnitudine deterriti abſtinerent. Quæ licet piis & bonis generatiuè dixiſſe ſufficiat: voluit tamen ex Patribus aliqua huc afferre teſtimonia, vt quantam potentiam Dei, quantam vim, quàm admirabilem efficientiam in hoc myſterio conficiendo notauerint, non meis, ſed illorum verbis cognoſcas, vnde quàm mirificè de myſterio iudicarunt, facilè poteris æſtimare, quanquam occurrent obiter etiam illa, quæ clarum de Euchariſtiæ veritate præbebunt teſtimonium. Incipiam ab Irenæo, qui ſic ſcribit: Quomodo autem conſtabit eis eum panem in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe domini ſui, & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant? id eſt, verbum eius, per quod lignum fructificat, de-

Chryſoſt. in Matth. homil. 83.

Ibidem.

Irenæus li. 4. cap. 34.

fluunt fontes, dat primùm quidem fœnum, poſt deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica. Iſta ſunt verba Irenęi, quæ tibi Lector videri debeant magnam de ſacramento admirationem ſignificare, cuius veritatis probabilitas Deum exigit authorem, verbum eius per quod lignum fructificat, &c. An corporis figura, vt fiat, eam exigat poteſtatem, qua creata ſunt omnia? Quòd ſi magnitudo myſterij Chriſto diuinitatem aſſerat, ſecundum Irenæum, videant iſti qui imminuunt verbis, & ad figuram redigunt, num aditum commodum præſtent redituris Arianis, aut ſi quid ſit Arianis in Chriſti æſtimatione deiectius? Sed agam quod agitur. Cyprianus ſic ſcribit: Panis iſte, quem dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro. An vllis longis periodis & verborũ ambitu, maior excogitari admiratio poſsit quàm his paucis verbis cõtineatur? An aliquid eſt maius omnipotentia? & non poſſe illa comprehendere animalem hominem, ita tradit idem Cyprianus: Inter dominicæ menſæ conuiuas animalis homo non admittitur, quicquid caro & ſanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur, nihil ſapit, nihil prodeſt, quicquid humani ſenſus molitur ſubtilitas, omne quicquid à ſuis rationibus deuium videtur, ſapientes huius ſeculi ad dementiam referunt, & à veritate reputant alienum. Sed veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit. Hæc Cyprianus, illud ego: ſi quæ ſupra nos nihil ad nos, verè dicitur, quid maioris poteſt admirationis prædicari, quàm homines nihil intelligere eorum quæ agantur? Et ſunt poſtea qui hodie conquerantur doceri in Euchariſtia quæ ſunt ſupra ſenſus, &(vt Cyprianus dicit) carnem hîc & ſanguinem nihil ſapere, quibus paucis verbis omnia illa cauilla iugulantur, quæ à communibus naturæ legibus, à ſenſibus, ab experimentis, contra Euchariſtiæ veritatem ab iſtis confinguntur. Quin & illa de figura doctrina reprobatur, quæ nihil habet altioris ac reconditioris myſterij, quàm vt eorum quæ iam verbo audibili vera didiceramus, ſymbolorũ verbo viſibili, memoria refricaretur, nã fides ex auditu fuit, quæ nũc etiam per oculos ſibi aditum parat, vt meditemur iam cognita & intellecta. Cyprianus aliter æſtimat, & veritatẽ eiuſmodi cenſet, quam animalis homo haberet pro dementia, quũ ſolam figuram cõſtitui in pane & vino, à ratione carnali non videtur alienum.

Cyprianus ſer. de cœna.

Cyprianus ſer. in cœna domini.

At enimuerò corpus dari manducandum, carnales Caparnaitæ dementiam iudicarunt, nec hoc mysterium capiat animalis ratio, sed spiritualis intelligit, qui diiudicat omnia. Et Athanasius annotauit illa verba Christi, quum diceret, (Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt) idem valere ac si diceret: quod quidē ostenditur oculis, ac datur pro mundo, dabitur alimonia, vt spiritualiter hæc in vnoquoq; digeratur, fiátq; omnibus conseruatoriū ad resurrectionē vitæ æternæ. Quæ verba (obsecro) nū sunt admirationis plena? Emissenus autē mysterij huius constitutionē & admiratur ipse, & accedentes ad altare vult mirari. Verba eius hęc sunt: Verè vnica & perfecta hostia, fide æstimanda, nō specie, nec exterioris censenda est visu hominis, sed interioris affectu. Vnde meritò cœlestis confirmat authoritas, quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidē qui author est muneris, ipse etiā testis est veritatis. Et paulò pòst idem. Vt ad nutum pręcipientis domini repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: ita parem potestatem in spiritualibus sacramentis, verbi præbet virtus, & rei seruit effectus. Deinde apud eundem: Sicut ergo sine corporali sensu, præterita vilitate deposita, subitò nouam indutus es dignitatem, & sicut hæc quæ in te deus læsa curauit, infecta diluit, maculata detersit, nō oculis nec sensibus sunt credita: ita & quum reuerendum altare cibis satiandus ascendis, sacrum dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiori assume. En quod antea dixi, miratus est Emissenus, & nos vult mirari, ea videlicet admiratione quæ Christianis conuenit, vt mirabilia domini prædicantes, firma & indubitata fide credamus vera, nam in admiratione qui deficiat, ita subleuetur aliis Emisseni verbis, Quid mirū est (inquit) si ea quę verbo potuit creare, verbo possit creata conuertere? imò non minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur, iam conditū in melius valeat cōmutare. Hæc Emissenus de conuersione panis & vini, quas creaturas tamen contendunt figuratores reipsa in sua natura manere, quum hic Emissenus in conuersione notet miraculum, quod hic meus argutator desiderat, imò eiusmodi miraculum notat Emissenus, quod cum mundi creatione sit conferendum. Et hæc (inquā)

Athanasi° de peccato in spiritum sanctum.

Emissenus orat. de corpore domini.

Epiphani⁹ in lib. Ancoratus.

in ipſius myſterij conſtitutione. Magnitudinem etiam miraculi Epiphanius veluti certò ab omnibus illis temporibus creditam, ducit in argumentum, vt aliam dei in nobis mirabilem operationem inde credamus, ſic ſcribens: Et quot ſunt quę ſimilia ſunt? videmus enim quòd accepit ſaluator in manus ſuas, veluti Euangeliũ habet, quòd ſurrexit in cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egiſſet, dixit, Hoc meum eſt, hoc & hoc. Et videmus quòd nõ æquale eſt, neque ſimile, non imagini in carne, non inuiſibili deitati, non lineamentis mẽbrorum, hoc enim eſt rotundæ figurę, & inſenſibile quantum ad potentiam, & voluit per gratiam dicere, hoc meum eſt, hoc & hoc, & nemo non fidem habet ſermoni. Qui enim nõ credit eſſe ipſum verum ſicut dixit, is excidit à gratia & ſalute, quod autem audiuimus, id credimus, quòd eſt ipſius. Dominum verò noſtrum nouimus totum ſenſum, totum ſenſatiuum, totum deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum incomprehenſibilem, ſed qui cum gratia hæc nobis largitus eſt. Hæc Epiphanius, qui cum confert quod credimus & fide cognoſcimus, cum eo quod ſenſus noſtri nobis ex viſu & tactu renuntiant, an nõ magnum hoc eſſe quod verbo domini fit, declarat miraculum? Heſychius miraculi facit apertam mẽtionem, iis verbis: Sanctificationem enim myſtici ſacrificij, & à ſenſibilibus ad intelligibilia tranſlationem, ſiue commutationem, ei qui verus eſt ſacerdos, videlicet Chriſto, oportet dari, id eſt, ipſum de eis miraculum cedere & imputare, quia per eius virtutem & prolatum ab eo verbum, tam ſanctificata ſunt, quàm cunctũ carnis excedant ſenſum. Diſertè loquitur Heſychius de miraculo, & eiuſmodi quod cunctum carnis excedat ſenſum. Vbi ſunt ergo qui à ſenſibus, & ſenſuum indiciis, in veritatem Euchariſtiæ argumenta nectunt? Sed quibus loquendi formis Ambroſius miretur, audiamus. Si ergo (inquit) tanta vis eſt in ſermone domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in aliud conuertentur? Cœlum non erat, mare nõ erat, terra non erat. ſed audi dicentem, Ipſe dixit, & facta ſunt. Hæc Ambroſius, parem potentiam, ac virtutem parem, conſtitutioni huius ſacramenti, ac mundi creationi adhibitã prædicans. Chryſoſtomus etiam pleriſque in locis magnitudinem prædicat, ex omnibus tamen quod ſequitur, videtur huic argumento maximè accommodum:

Heſychius ĩ Leui. lib. 6. cap. 22.

Ambro. li. 4. cap. 4. de ſacra.

dum: Credamus vbique deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdũ esse videatur quod dicit, superet & sensum & rationem nostram (quæso) ipsius quod in omnibus & præcipuè in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, sed verba quoque eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facillimus est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum: nulla teneamur ambiguitate, sed credamus & oculis intellectus id perspiciamus. Hæc Chrysostomus, qui nos docet nõ spectandum in hoc mysterio quid sit sensibus absurdum, sed quid fidei veritati consonum. Quare dum tantopere fidem exigit nostram, & sensuum iudicium reprimit ac reprobat: ostendit magnum quiddam esse quod agitur, & hominum iudicio admirandum. Vnde & illud etiam scribit: Quando enim subit quæstio, Quomodo aliquid fiat, simul subit & incredulitas. Ita & Nichodemus perturbatus est, inquiens, Quomodo potest homo in ventrem matris suæ iteratò introire? Itidem & ij nunc, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Nam si hoc inquiris, cur non idem in quinque panũ miraculo dixisti? quomodo eos in tantum auxit? quia tũc tantum saturari curabant, non cõsiderare miraculum. Sed res ipsa tunc docuit, inquies. Ergo ex eo & hæc credere oportuit, ei facilia factu esse, propterea id prius fecit miraculum, vt per illud non essent amplius increduli his quæ postmodum diceret. Hic locus Chrysostomi ostẽdit, adeò non esse ambigendum de veritate verborũ, vt ne quærendũ quidem sit, (Quomodo) quando magnitudini huius miraculi credẽdæ, subseruiebat miraculum de quinque panibus, vt quomodo illud credebant, de hoc quod fit in mysterio, non diffiderent, qua sententia constat mirandum vtique quod in mysterio agitur, quod in solius figuræ institutione haud ita esset. Cæterùm cum iis qui per naturam impossibile putant quod de carne sua dixit Christus, ita agit Cyrillus: Si putatis carnem meam vitam vobis afferre non posse, quomodo tanquam volucris in cœlum ascendet, & quomodo per aëra volabit? hoc enim similiter generi humano impossibile est, quod si præter naturam caro mea in cœlum conscendet, quid prohibet ne similiter præter naturam viuificet? nam qui terrestre hoc corpus cœleste cõficit,

Chryso. in Mat. ho. 83

In Ioan. hom. i. 45.

Cyrillus in Ioan. lib. 4 cap. 22.

ficit, is etiam viuificum reddit, quanuis natura sua corruptibile fuerit. His Cyrilli verbis & magnitudo mysterij prædicatur, dum virtute diuina fiat quod per naturam sit impossibile: & omnia ipsa cauillamenta diluuntur, quæ à ratione naturæ humanæ contra veritatem Eucharistiæ concinnantur, vbi deus operatur præter naturam. Sed frustrà hæc Cyrillus, si nihil aliud esset Eucharistia quàm figura corporis, & omnis sanctificatio spiritu perageretur. Quàm magnum etiam sacramentum Eucharistia sit, ex verbis Augustini, authore Beda relatis, testatum habemus, iis verbis: Hoc quod videtis in altari dei, etiam transacta nocte vidistis, sed quid esset, quid sibi velit, quàm magnæ rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo vidistis panis est & calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant, quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix est sanguis. Augustinus iis verbis magnum dicit sacramentum, quod cum explicat de corpore & sanguine Christi, non potest intelligi de figura corporis, quod non esset continere magnæ rei sacramentum, nam & de panibus propositionis prædicabatur figura. Habeo ex Euthymio duo præclara loca, quæ prætermitti non possunt, ita mysterij magnitudinem & admirationem explicant: Et nos itaque credamus vbique deo, nec contradicamus, etiamsi quod ab eo dicitur, contrarium esse videatur nostris cogitationibus & aspectibus. Ita quoque in adorãdis mysteriis faciamus, non ea solum quæ proponuntur intuentes, sed sermonibus eius credẽtes, qúmque ille dicat, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus: & pareamus & credamus. Siquidem etiam in baptismo sensibilis quidem est aqua, sed intelligibile donum est regeneratio, quia enim corpori conserta est in nobis anima, in sensibilibus intelligibilia tradidit nobis deus. In hoc primo loco imitatur Euthymius Chrysostomum, & quod hic dixerat, totidem ferè verbis refert, quibus mysterij magnitudinem exprimit, quæ nostram fidem exigit, vt sensibus reluctantibus, tamen quod verba Christi referunt fieri credamus. Quo pertinet etiam ex eodem Euthymio illud: Decertabant ergo inter se Iudæi dicentes, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? turbabantur non potentes sermoni credere, quod hoc impossibile videretur. Nam quum omnia secundum naturam inquirerent, nihil quod supra naturam erat, admittebant.

Augu. ser. ad infantes

Euthymius in Mat. ca. 64.

Idem in Ioan. ca. 9.

mittebant. Dixit ergo eis Iesus, Amen amen dico vobis, nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Illi quidem hoc impossibile iudicabunt, ipse verò omnino possibile ostendit, neque id tantùm, sed etiam necessarium, quod etiam fecit ad Nichodemum. Addit autem & sanguinem, significans de pane & poculo, quæ vt dictum est, daturus erat discipulis in cœna. Euthymius hæc, quibus apertè docet eam esse mysterij magnitudinem, vt impossibile sit per naturam fieri, nam & supra naturam fieri manifestè dicit, de quo mysterio conficiendo sic scribit Damascenus: Si igitur verbum dei viuens est & efficax, & omnia quæcunque voluit dominus fecit: si dixit, fiat lux, & facta est, fiat firmamẽtum & factum est, &c. Si volens ipse deus verbum factus est homo, & ex sanctæ virginis purissimis & illibatissimis sanguinibus in seipso sine semine carnem suscitauit, non potest panem corpus facere, & vinum & aquam sanguinem? Hæc quum scribat Damascenus, ánnon æquat admirationes incarnationis & Eucharistiæ, & vtraque mysteria creationi mundi? Et tamen in tãto patrum numero, hoc Eucharistiæ mysterium admirantium, desiderat hic argutator qui admirentur, & quoniam non legit veteres, nec quid dicant intelligat, conficit inde argumentum contra Eucharistiæ veritatem. Legisset saltem ex posterioribus Bernardum, fidei patrum catholicæ & scriptis & moribus asseclam assiduum, qui sic scribit: Mira sunt quæ de sacramento isto dicuntur, fides est necessaria, scientia rationis superuacua. Scientia ratione & intellectu colligitur, fides sola authoritate inducitur, &c. Hæc sunt fratres, quæ fidem necessariò exigunt, rationem omnino non admittunt, expetunt simplicem creditorem, arguunt impium discussorem, & ideò credi oportet simpliciter, quod inuestigari non potest vtiliter. Hic est torrens quem transuadare non potuit Heliseus. Nolite itaque quærere, quomodo fiat? nolite dubitare vtrum fiat? nolite irreuerenter accedere, ne vobis ad mortem fiat. Hæc Bernardus, quem vtinam legissent Cauillatores nostri & intellexissent, vt hæc salubria monita curarent seruare, & à tam friuolis argumentis abstinere.

Damascen. lib. 4. c. 14

Bernardus ser. in cœna domini.

OBIICITVR 63.

ARTICVLI FIDEI ETSI SINT SVPRA SENsus externos, adeò vt credamus quæ non videmus, nec vllo alio sensu percipimus: tamen non sunt contrarij sensibus externis, vt quæ videmus & aliis sensibus percipimus, non credamus. Sed doctrina transsubstantiationis est contraria sensibus, nam oculi dicunt se videre panē & vinū, nares olfacere panem & vinum, & sic de reliquis sensibus. Ergo doctrina transubstantiationis non est articulus fidei, sed potius contra fidem.

RESPONDET CATHOLICVS.

ARticuli fidei sunt veritates certissimæ diuinitus nobis reuelatæ, & scripturis cōprehensæ, quæ deo inspirante creduntur à fidelibus, in quibus articulis non quid sensibus videatur, quídve iis contrarium aut repugnās sit quæritur, sed quid verum, quorū articulorum veritates quomodo ecclesiastica traditio edidit, mentes fidelium sine hæsitatione amplectuntur, in quibus ipsis articulis si quis fortè vnus aliquid contineat à cæteris singulare, non continuò reliquis dicatur aduersari. Scilicet quia omnes reliqui (vt iste vult) sunt supra sensus, non contra sensus: non posit ideo vnus aliquis ex illis articulus esse qui cum sensibus pugnet? An tanta est prærogatiua sensuū, vt quod illis aduersetur, nō recipiatur pro articulo fidei, quum de vniuersa doctrina Christiana dicat Paulus, animalē hominem nihil huius sapere, vtpote cui ipsa dei sapientia prorsus stultitia iudicetur? Si vnus articulus transubstantiationis pugnet cū sensibus, consentit certè cū veritate, quæ vna spectanda est pro obiecto fidei, nec quia peculiari quodam miraculo sit singularis, causa est iusta cur nothus & adulterinus eo nomine iudicetur. Hæreticorum hic mos semper fuit, vt in mysteriis ad comprobationem exigerent similia. In Christi mysterio duæ perfectæ naturæ vnitæ, vnum quidem constituunt, videlicet Christum, personam vnam, at non tertium quiddam in natura perfecta vnum, quemadmodum corpus & anima constituunt hominem. Hic igitur Acephali, dic aliquid simile. Respōdet Rusticus diaconus, frustrà eos requirere in singularitate exemplū, quod etiā de articulo transubstantiationis est respondendum, in quo tamen non

Rusticus diaconus contra Acephalos.

non repugnatur ſenſibus,vt hic vult argutator,ſed iudicio rationis ex ſenſibus collecto.Nam quod videt oculus in colore,quod guſtat lingua in ſapore,quod manus ſentit in pondere, verè adeſt, vnà verò ſubſtantia , quæ natura eſt abdita & interna , de qua ſenſus nihil certi renuntiare poſſunt:abeſt per miraculũ,in quo æſtimando ratio hominis inferior, quæ natura ſubſiſtit, rationi ſuperiori , id eſt fidei cõuenienter cedit , cuius authoritatem mẽs diuinitus illuminata in diiudicandis myſteriis ſequitur,iam effecta videlicet ſpiritualis,quę rectè iudicat omnia.Sed (vt ad iſtum argutatorem veniam) qualis eſt iſta conſecutio? Articulus tranſubſtantiationis aliquid habet à reliquis articulis ſingulare:ergo cum fide pugnat, vel nõ eſt articulus fidei. Itáne verò mutuò ſe confodient fidei articuli, vt alter nihil in altero patiatur ſingulare? Credimus patrẽ ingenitum, filium genitum,ſpiritum ſanctum procedentem,ſingularia omnia.Ex tribus perſonis in vnitate ſubſtantiæ vnum deum credimus, at ſolum filiũ credimus incarnatũ,atque hoc ſingulare, non modò ſupra ſenſum, ſed etiam contra ſenſus, & rationem carnis vniuerſam . In Chriſto fallebantur oculi carnis,qui nudi hominis & in perſona humana cõſiſtentis,iudicia referebant , quum homo idem deus eſſet,non duabus diſtinctus perſonis , ſed in vna perſona vtramque naturam mirabiliter vniens , idem plaſmator & complaſmatus, quod ſenſus & ratio non aſſequuntur , ſed in hoc cauillo tam friuolo excutiendo ſum nimius.Pergo ad reliqua.

OBIICITVR 64.

SENSVS NON DECIPIVNTVR CIRCA *ſubſtantiam viſibilem,ſed ſenſus iudicant niſi vnum corpus eſſe,nempe panem: Ergo tantùm eſt illic panis,& non corpus Chriſti.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Hoc argumentum etſi propriè concluſionis nihil habeat,argutatoris tamen ineptiam obiter demonſtrat, ne ſit omnino ocioſum.Qui argutator ita de ſenſibus loquitur, quaſi ſubſtantiam cuiuſque rei vi ſua penetrent,ne de illa errent , quos certũ eſt hærere in obiectis ſuis,& ad internam naturã nõ pertingere.Vnde Loth & Abra-

hamo sensus renũtiabant angelos fuisse homines, qui reuera nõ homines substantia, sed angeli erant. Tum vinum ab aceto non distinguit oculus. Et ferũt esse vbi oculus aquam esse referat, quod tactus cõprobet esse lapidem chrystallinum. Adeò qui de sensibus loquũtur vt docti, circa propria obiecta non falli eos dicũt, quum interim ad eam quæ lateat substantiam, prorsus cæcutiant. Quare dum sic loquitur hic argutator, sensus non decipiuntur circa substantiam visibilem, sensum profert ipsa specie falsum, vt antea ostensum est. Tũ quod assumitur, item falsum est, propter explicationem illam (nempe panem,) nam hoc est rationis æstimare ex iudicio sensuum, quæ propter arcanum mysterij sua collectione frustratur, quando quod videtur, panis substantia ipsa, non panis, sed corpus est Christi, quod animales nesciunt, fideles & spirituales norunt. Vnde nihil infertur hoc argumento, sed effertur argutatoris stultitia.

OBIICITVR 65.

DICVNT PAPISTAE, ACCIDENTIA PA*nis & vini pendula esse in aëre sine substantia, qua poßint fulciri. & quid potest dici stultius?*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVod legitur ab aliquibus dictum, refertur hîc per calumniam ad vniuersos. Quando ea fuit piorũ in fide recepta cõstans persuasio, vt in angustias rei explicãdę coacti, pio quodã tuendæ veritatis zelo, quiduis quod à fidei regulis nõ abhorreret, dicere maluerint, quàm vt in fidei persuasione hærere viderentur. Magister sententiarum aliorum dicta referens, inter cæteros recenset fuisse qui dicerent, accidentia sustineri aëre, quod nec magister sententiarum probat ipse, nec vt sententiam receptam & approbatam commemorat, & tamen hîc profertur vt absurdum in doctrina catholica, vanissimo ad calumniam cõficto mendacio.

OBIICITVR 66.

PANIS SACRAMENTI ET VINVM NV*trient corpora nostra, & omne alimentũ vertitur in naturam aliti. Ergo vel accidentia & corpus Christi vertuntur in naturam corporis humani, vel substantia panis manet.*

Acciden-

RESPONDET CATHOLICVS.

ACcidentia panis & vini pro viſibili & terrena ſacramenti materia, & vim ſignificationis pro ratione analogiæ, & nutriendi virtutem per miraculum retinent, vt quicquid naturalis alimenti dum ſacramẽtum ſumitur, corpori exhibeatur, ab iſtis accidẽtibus quæ adſunt, non à pane & vino quæ non adſunt, exhibitum cenſeatur, & tamen quoniam tanto myſterio congruit, vt quod à miraculo cœpit, exeat in miraculum, non erit alienũ etiam illud arbitrari, materiam ad alimentum cõuenientem redire, quando ad diſpoſitionem naturę ſummè competentem, naturale etiam ſit perfectionem accedere. Adeò vt ſint qui tradant, corpori ſummè diſpoſito, animæ rationalis acceſsionem fieri, ad plenum naturæ complementum.

OBIICITVR 67.

DOCENT HISTORIAE VICTOREM PA*pam periiſſe veneno hauſto ex calice, & Henricum Imperatorẽ ex veneno accepto in pane Euchariſtiæ. Sed ſalutaris ſanguis Chriſti non poteſt eſſe venenatus & mortiferus, & hæc quî poſſunt fieri, ſi ſola ſuperſint accidentia? Ergo manet ſubſtantia panis & vini.*

RESPONDET CATHOLICVS.

VIctorem & Henricum, quoniam mortales fuerunt nec iam ſuperſunt, morte hinc ereptos fuiſſe credibile eſt, vnde verò perirẽt mera coniectura eſt, cui coniecturæ à veneno in myſteriis (vt fertur) exhibito occaſionem fuiſſe datam, dolendum piis, & omni memoria deteſtandum, nedum ex tenui annalium fide ad tanti myſterij calumniam, auribus ingerendum Chriſtianis. Quis ferret ſanguinẽ ipſum Chriſti ſeruatoris dici venenatum? vt iſte loquitur: aut Deum ſummè bonum, tanquã ſceleri illi nefario exequendo opem laturum, venenum vnà cum vino (vt iſti per inuidiam efferunt) tranſubſtantiaſſe? Repetuntur & refricantur exempla vetera, quum eandem impio quæſtionem gignat in aranea caſus, ſi fortè in ipſo peragendi myſterij tempore deciderit in calicem. Sed quid hæc ago pluribus? Conſecratur quod ex Chriſti inſtitutione affertur conſecrandum, aptum vt conſecretur, non

quod casus adiecerit, aut addiderit stultitia, nedũ malitia, quod quidem fuerit à mysteriis alienum, & quomodo quod ad salutem institutum est, cum veneno misceatur? Ideóque nec aquam solam, nec lac, nec mel, fas erat adhibere, nedum quod sit venenatum. Quòd si hic argutator obstinatiùs contendat, cum vini accidentibus non cohærere venenum, nec conuenire dabitur nec cohærere, ideóque illos mẽdacij arguit potius, qui datum in mysterio venenum scriptis retulerũt, quàm quo historiæ fidem asserat, catholicam de mysterio fidem ex fabula conetur infirmare.

OBIICITVR 68.

OLIM RELIQVIAE SACRAMENTI COM*burebantur, vt ait Origines. Quis ita tractaret deum suum, tam crudeliter, vt combureret eum tanquam hæreticum?*

RESPONDET CATHOLICVS.

LInguæ est hæc petulantia, non argumentatio. Deus ignis consumens dicitur, huius elemẽti non dedignatus appellationẽ, qui ignem habet quo purificet suos, & ignem quo compescat & perdat impios. In ignem mittit suo merito cõburendos. Non mittitur ipse quũ reliquiæ igni materiali consumuntur. Si quid reliquiis per cotumeliam fieret, etiamsi iniuria ad Christi corpus pertineret: ad illud tamen non pertingit actio, quomodo Anthropomorphitæ hæretici de Eucharistia narrantur somniasse. Denique quod vsibus nostris paratum non sumeretur, quoniam corrumpi quod est terrenum possit: quomodo dignius quàm igne consumeretur? Nam diuersa ratione consumit ignis, prophanos hæreticos, ne quid supersit ad contagium: sacras reliquias, ne quid supersit ad contumeliam.

OBIICITVR 69.

SACRAMENTVM SI CONIICIATVR IN *ignem, comburetur, dicant ergo Papistæ quid comburitur? necesse est vel panem vel corpus Christi comburi, Si panis, ergo non est transubstantiatio, Si corpus Christi, ergo tum constituent se combustores Christi. Nam accidentia sine substantia comburi, est contra naturam.*

Quicquid

RESPONDET CATHOLICVS.

Qvicquid comburitur, certum est posse comburi, & quarum rerum natura sit ignis cõsumere substantiam cum accidentibus, an non posit earum ipsarum sola accidentia cõsumere? Vt cauillũ cauillo opponatur, quod est, stulto secundum stultitiam respondere. Tu naturæ principiis eruditus, putas quod igne consumitur, esse panem cum accidentibus, ergo Catholicus fallitur, qui credit eiusdem elemẽti fuisse in mysterio sola accidẽtia, quasi necesse sit idẽ quod fuit nunc esse, aut quod nunc est in igne, in mysterio omnino fuisse concedamus. Dum superest mysterium, credo mysterij veritatem secundum ecclesiæ dogma, at quod in igne agitur, permitto naturæ, vt desinas esse molestus quæstionibus. At hæres (inquies) nec explicas quid fiat substantia. Imò, inquã, mysterium ab igne conuenienter distinguo, & meam exoptem in modo rerum abditarum explicando fateri cum piis ignorantiam, quàm stultam cum incredulis temeritatem incurrere, & substantiam quæ diuinis mysteriis per miraculum aberat, naturæ operationibus per miraculum redditam, non est absurdum confiteri.

OBIICITVR 70.

NATVRA ABHORRET VACVVM, SED *si non maneant panis & vinum: locus vbi prius erant, nulla substantia plenus est, & sic erit vacuum, Ergo transubstantiatio repugnat naturæ.*

RESPONDET CATHOLICVS.

AN dicet vas figulo, cur me fecisti sic? Et quisquam naturæ patronus ineptus, in mysteriis diuina virtute confectis, de naturæ legibus violatis audebit conqueri? Ne sit transubstantiatio consentiens naturæ, exprimit certè diuini operis veritatem, quam ad naturæ leges, quisquis es, temerariè exigis. Natura (inquis) abhorret vacuum, dogma videlicet profers longa philosophorum obseruatione cõstitutum, cum quo si pugnet quod ecclesia de Eucharistico mysterio è spiritu sancto edocta confitetur: an exiges scilicet vt cedant diuina humanis? & spiritualis, qui iudicat omnia in iudicio mysteriorum, carnali se submittat & manus det? Ego illud vicissim quæro, quomodo probabis quod affingis,

gis, ſubſtantia panis abſente ſubſiſtere vacuum? an ſi nequeam percontanti tibi (quid ergo locum impleat) ſatisfacere: erit mea ignorantia argumenti loco, quo tanti ſacramẽti veritatem impugnes? Si verum eſt naturam abhorrere vacuum, decedente ſubſtantia: ſubſtituet mox aliquid ipſa natura, ſi quas illi in tanto myſterio partes permiſerit Deus, qui ſi prohibeat, voluntati eius quis reſiſtet? In hoc cauillo quàm multa peccata? Obiicitur eccleſiaſtico dogmati philoſophorum placitum. Affingitur pro certo quod eſt ignotum, argutátur ſubſtantia decedente ſubſiſtere vacuum, quum locum implere ſit proprium quantitatis. Concluditur denique tranſubſtantiationem repugnare naturæ, cum qua ſi per omnia cõſentiret, non eſſet myſterium.

OBIICITVR 71.

CVM EX EVCHARISTIA FIVNT VERmes, *vel nutriuntur canes & ſorices, fit generatio ſine corruptione, & corruptio ſine generatione, contra principia naturæ & rationis, quo quid ineptius fingi poteſt?*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVod ex terrena Euchariſtiæ parte fiat, quicquid corruptione fiat, ſi quid videlicet fiat, id ex naturæ proprietate accidit, ex quo ſi conſequitur ſubſtantiã tum adeſſe, non probat tamen quum ſubſeruiret elementũ myſterio tum adfuiſſe, quum nihil prohibeat pro varietate conditionis in ipſo vſu, deo ſic agente, etiam elemẽtum variari, & ſubſtantiam quæ abeſſet, nunc redire. Adeò nihil habet hoc argumentum probationis ſolidæ, quòd ab incertis naturæ experientiis ducitur, vnde certã de tanto myſterio doctrinã abſurdum ſit infirmari. Et quales quæſo memorat hic experientias, quæ protinus ipſum argutatorem arguant vanitatis? Quî ſciat canes aut ſorices ſacris illis ſpeciebus nutriri? ſi quis quęrat, nihil habet quod reſpondeat probabiliter, quod certi aliquid edat argumenti. Neque enim per rei conditionem fieri poteſt, vt macros canes aut ſorices, huiuſmodi alimonia cuius tam rara eſt copia, & tantilla quãtitas, viderit pingueſcere. Sed libido eſt illis vel mentiri, vel mendacium dicere, quo negotium faceſſant veritati. De vermibus & muribus, aliàs reſponſum eſt.

PANIS

OBIICITVR 72.

PANIS EVCHARISTIAE VERTETVR IN *vermes, ergo vel manet ſubſtantia panis, vel ſubſtantia fit ex accidentibus, quo quid abſurdius?*

RESPONDET CATHOLICVS.

Vermes aliquando in viſibili elemento exiſtere, etiam qui non vidit ipſe, referenti non difficulter credet, ſiquidem non ſit omnino vanus qui narret, præſertim quum res ſit eiuſmodi quæ ſub aſpectũ cadat, & charitas credit omnia. Verùm enimuerò, vnde vermes enaſcantur, ex craſsi aeris ſitúſve ſubſtantia, an ex ipſo cui adhærent viſibili elemento, quoniam altioris eſt ſpeculationis, non eſt cuiuis affirmanti temere cedendum, nedum credendum, vt rei per rerum naturam ambiguæ, certum aliquid & fixum inde ſtatuatur, ad vlteriorem rationis progreſsionem, tanquam idoneum & validum firmamentum, vt hoc nobis tanquam oraculum proponat quiſquam: Panis Euchariſtiæ vertetur in vermes. Si quæro probationem, proferet experientiam, quæ verè ab Hyppocrate dicitur fallax. Et nimium quàm impudenter exigit hic argutator, vt incertæ credatur experientiæ de verſione naturali, quam coniicit, quum conuerſionem mirabilem quidem, ſed orthodoxa fide teſtatam, ſcripturæ etiam (quomodo hactenus ſit verè intellecta) teſtimonio confirmatam, liberum ſibi putet infirmare dilemmatis. Si do illi quod nequeat probare panem Euchariſticum in vermes verti, mox ſcilicet obuertit cornua, & vrget ad hunc modum, vel manet (inquit) ſubſtantia panis, vel ſubſtantia fit ex accidentibus. Vide lector, quomodo ne me teneat effugio, quoniam vermes (inquam) ſunt, illos ſanè neceſſe eſt eſſe, & quoniam ex pane ſunt, (vt iſte vult) vel ſubſtantia tum adeſt, vnde generantur, ipſa videlicet ſubſtantia per diuinã potentiã redeunte, vel abſcedente ſubſtantia per miraculũ, ſic retinuerunt accidentia integram naturæ proprietatẽ, vt voluntate Dei ad iſtam generationẽ eſſent idonea. Neq; quicquam hic colligi poteſt quod Catholicum cogat, vt ex præſenti conditione terreni elementi, quam incerta experiẽtia monſtret, neget myſterij modum, quem catholica fides tradidit. Atque hæc fuſius, quàm res ipſa meretur.

Sed quum omnes huius cauilli partes contemplor, non video quid poteſt dici inanius, aut fingi ſtultius, quo fides catholica impetatur, quod ipſum diutius me in hoc immorari vel inuitum compulit.

OBIICITVR 73.

VINVM POST CONSECRATIONEM *vertetur in acetum, ſi ſeruetur, & panis erit mucidus, vt docet experientia. Sed neque accidentia, neq; ſanguis Chriſti vertētur in acetū & mucorem: Ergo ſubſtantia ſacramenti nihil aliud eſt quàm vinū & panis.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Certam & fide receptam myſterij veritatem, incertis experientiis impiè impetis. Quod ſentis eſſe acetum & panem mucidum, rectè à ſenſibus pronūtias eiuſmodi eſſe. Cæterùm quod nunc ſunt ſecundum naturam, an argumento tibi vllo eſſe poterit, quid eadem ante fuerant ſecundum myſterium, dum illi virtute diuina ſubſeruirent? fide magiſtra myſteriū intelligis, ratione præmonſtrante coniectas in natura, quid diſsimilius? Quis ſecundum naturam non ſic concluderet? Vinum eſt, ergo è vite eſt. Imò in nuptiis quibus Chriſtus interfuit, diuina virtute operante, non eſt ex vite, ſed ex aqua vinum fuit, quod qui hauriebant, ſciebant, inquit Euangelium, Architriclinus ignorabat, & fideles norunt Euchariſtici myſterij ordinem, infideles verſantur in coniecturis naturæ. Tum autem, quàm infirma eſt hæc collectio? Vinum quum aceſsit, ſubſtantia ſubeſt accidentibus: ergo & antea quàm aceſſeret, eadem ſubſtantia aderat. Quam conſequentiam ſi negem, incipies fortaſſe negotium faceſſere quæſtionibus, & quæres, quid acuit? quomodo acuit abſcedente ſubſtantia? Hic fidelis ſimpliciter reſponderet, quum hæc elementa vſui myſterij ſubſeruirent, agnoſcebam conditionem eorum ex ratione myſterij, edoctus per fidem, nunc quum in illis elementis vſus myſterij deficiat, accipiam quod præſens ſit eſſe ſecundum naturam, quod ſine Deo non fit tamen, qui operatur, vſque modò gubernans creata. Nec fas ſit præſentia cum præteritis coniungere, vt veritas myſterij confundatur.

Ioan. 2.

OBIICITVR 74.

DICVNT PAPISTAE SVBSTANTIAM *corporis Christi esse in sacramento realiter, corporaliter, & naturaliter, sine vllis accidentibus eiusdem, & sic statuunt accidentia sine substantiis, & substantias sine accidentibus, quo quid est stultius?*

RESPONDET CATHO.

IN vera corporis Christi præsentia confitenda à veritate corporis nihil excludũt Catholici, de modo præsentiæ quoniam captum humanum superat, suam ingenuè cõfitentur ignorantiam, nisi quatenus & spiritualem sciunt, & negant ideò quæ sensibus cõprehendantur, qua ratione de loco negãt, negant modum præsentiæ secundum naturam, vel modum quanti, quòd hæc consequenter exigerẽt ambientem locũ, veram tamen rei contentæ præsentiam in mysterio credunt, de rebus autem tam arcanis, locutiones & verba patrum libenter imitantur. Accidentia substantiis non adimunt Catholici, quod verò ex verbis scripturæ ecclesia docet de substantia elementorum, quod corde creditur, non verentur ore confiteri. Si totus Christus integer creditur adesse, de cuius diuisione sit absurdum cogitare, quis illi dempserit accidentia? & tamen propter mysterij arcanum castiùs loquimur, & rectè hîc sit locus Nazianzeni verbis, (quibus ipse nouit, inquit, modis.) Atque istis verbis respondeatur à nobis, si quis de modo presiùs vrgeat, dummodo de veritate præsentiæ, non ideò magis dubitemus. Illa autem aduerbia (corporaliter & naturaliter) ita temperemus in sermone quoties de hoc mysterio loquimur, ne ad veritatem præsentiæ exprimendam adhibita, ad modum præsentiæ per cauillationem deflectantur, qui mos est istis Calumniatoribus frequens.

OBIICITVR 75.

CHRISTVS COMMVNICAVIT CVM DI*scipulis, vnde sequitur quòd seipsum manducauit, & hoc est idem esse agens & patiens simul eiusdem respectu, quod est impossibile.*

RESPONDET CATHOLICVS.

SI tam verum esset Christũ pati in sacramento, quàm est idem falsum de Christo: tamen agens & patiens non eodem respectu prædicarentur. Nam passio (secundum istum) corpus in sacraméto respiceret, quod est vanissimum, actio verò corpus, quod naturali modo consistebat visibile, vt sit verum, vtrunque de eodem, eodem respectu prædicari, quod nemo dicit, tam multis nominibus est vitiosa hæc illatio. Sed neganda est omnino passio omnis dati corporis in sacramento, quòd Christi humanitas, quatenus spiritus opificio secundum mysterium ineffabilis vnionis in mystica benedictione dispensatur & communicatur nobis, prorsus impassibilis & prædicatur & est, neque manducatio quæ in sacraméto fit, quatenus ad corpus Christi pertinet, nullæ nouæ qualitatis, sed nouæ relationis accessu peragitur, quæ licet verbo passiuæ significationis exprimatur, non aliam tamen passioné significat quàm metaphoricam. Christum communicasse cum discipulis, etiamsi verba scripturæ nominatim non indicant: tamen quoniam id esse verum ex sensu collegerunt Catholici, equidem libenter amplector, in quo illud annotatione dignũ censeo quod scribit Chrysostomus, ideo dominũ prægustasse, quò suos induceret ad manducandum. Quòd si nudam figuram (vt isti volunt) dedisset, haud fuisset necessarium.

Chrysost. in Matth. homil. 83.

OBIICITVR 76.

SI PANIS QVEM CHRISTVS DEDIT *fuisset transubstantiatus in corpus eius, tum esset idẽ corpus gestans & gestatum. Sed idem agens & patiens respectu eiusdem pro eodem tempore esse non posit: ergo non fuit corpus Christi quod dedit discipulis.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CARO Christi in mysterio data non patitur ipsa, sed agit, viuifica nimirum, & per ineffabilem cum spiritu vnionem sanctificans, etiamsi propter formam sacramenti visibilem, dum tractatur, dũ gestatur, dum datur, dum comeditur, videatur pati, & patitur metaphoricè. Vnde tractatum, gestatum, datum & comestum corpus dicitur, quum sit nihilominus propter mysterij rationem, supra passionem

omnem, quæ transmutationem inducat. Vnde Augustinus nõ simpliciter Christum se gestasse in manibus dicit, sed quodammodo. Videlicet in mysterio gestauit, qui modus præsentiæ quidem veritatem non minuit, sed ne ad nostræ rationis modulos illam exigamus admonet, arcanum videlicet quum sit, quod tanto nostrum interuallo captum superet. Quæ quum ita sint, non est quòd hic argutator colligat, idem esse agens & patiens, sed idem corpus in omni mysterij parte vbique agens, quanquam vt agens & patiens opponantur, illa vt sint, ad idem, secundum idem, & similiter collata: necessariò exigitur, quòd eam oppositionem temporis momenta sola non efficiunt, vt prorsus sit friuola hæc cauillatio. *Augusti. in psal. 33.*

OBIICITVR 77.

SI CONCLVDATVR TOTVM CORPVS *Christi in minimo pane & in qualibet eius particula: necesse est corpus Christi exui sua quantitate, situ & distantia partium. Sed hoc est sacrilegium, naturam corporis Christi confundere, & spoliare Christũ: Ergo non debet corpus Christi quantum, concludi in tam paruo pane.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Hoc argumentum ignorantia genuit, peperit stultitia, & vtriusque parentis gerit imaginem. Primum ita loqui de mysteriis ignorantiæ est, vt Christum dicat conclusum minimo pane, quomodo docti & eruditi nõ loquuntur, sed adesse sub panis specie in mysterio, & contineri illo mysterio dico, non pane. Deinde verò ita hoc dictum prosequi, vt operationi diuinæ adiiciat necessitatẽ, stultitiæ est, quis enim nouit vias domini? Quod ad rem argumenti attinet, de Christi corpore interrogatus catholicus num sit corpus quantum? num habeat sitũ & distantiam partium? fatebitur. Si pergas quærere, num id corpus detur in Eucharistia? fatebitur id quoque, quoniam vnum est corpus Christi naturale. De modo ergo dandi, si ita quæras, num per modum quãti detur? negabit catholicus, quoniam id esset humano more dare, sed quoniam diuino & spirituali modo datur, quod factũ est se credere dicet catholicus, & admirabitur, nõ Iudaica admiratione, quomodo potest? qualẽ hoc argumentũ resipit: sed Christiana, quæ dei potẽtiam & credit & prædicat, quum vias & modos nõ assequatur.

OBIICITVR 78.

SI ADSIT CORPVS CHRISTI REALITER, *vel adeſt cum tota quãtitate ſua & integra ſtatura, vel non. Si cum ſtatura integra, tum non concluditur illo paruo pane. Si careat illa ſtatura, tum ſpoliatur Christus, nã ex ſe quod ſemel aſſũpſit, nũquã relinquit.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVin adſit Chriſti corpus realiter, nulla eſt ambiguitas, & quomodo adſit, neſcit ratio, qua diſceptatrice & iudice conficitur hoc dilemma, cuius cornua diuinam operationem non complectuntur. Qua enim fiducia neget quis quidpiam eius quod neſcit? Nam vt donem illum loquendi modum, Chriſtum concludi pane, qui catholicus non eſt, (vt antea dixi) ſed vt ita ſit, an continuò licebit de dei operatione negare quod rationi aduerſetur? Maius quiddã eſt, ab ortu ſolis vſque ad occaſum (quod Bernardus ait) Chriſtum ſuũ corpus ſimul eodem momento tot locis exhibere, quàm tam paruo pane integra ſtatura concludi. Sed à domino eſt factum qui fecit cœlum & terram, adeò ineptit hic argutator, qui quaſi pugno conetur metiri terram, & quæ ſint à cognitione remota, dilemmatis tanquã in digitos digerere, quæ eſt ſumma dementia. De re argumenti aliàs reſpondi, quod ſit ſuperuacuum repetere.

OBIICITVR 79.

SI CHRISTVS DEDIT CORPVS SVVM *realiter in cœna, paſſibile fuit, vel impaſſibile, non paſſibile, quia tale nõ potuit carnaliter contineri in paruis fruſtulis panis, non impaſſibile, nã ſcriptura dicit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, impaſſibile corpus non traditur.*

RESPONDET CATHOLICVS.

VErum corpus dedit in myſterio, videlicet ſubſtantia ipſum quod pateretur, quia verè dixit, Hoc eſt corpus meũ quod pro vobis tradetur, at non ita dedit vt à comedentibus pateretur in ſacramento: ſed vt in veſcentes ſanctificationem ageret, & ideo dotatum impaſſibilitate dedit, itaque nõ

rectè

rectè dicatur in mysterio patibile corpus, licet alio existendi modo, videlicet quomodo in specie visibili erat, esset passibile. Nã & Christus in monte transfiguratus, corpus idem habuit quod & ante trãsfigurationem habebat, patibile, & tamen eo existendi modo pati nõ potuit. Quòd verò hic argutator ait, paruis panis frustulis corpus non contineri: non quod intendit coarguit catholicos, qui id non dicunt, sed seipsum arguit ignorantiæ, qui quod dicunt catholici, sub panis accidentibus præsens esse, arbitretur significare contineri, nec teneat ipse sententiam quam impugnat. Corpus quidem Christi sacramento continetur, non panis frustulis: sed sub panis accidentibus adesse confitemur.

OBIICITVR 80.

PASSIBILE ET IMPASSIBILE OPPONVN-*tur, ita vt non poßint simul & semel esse in vno subiecto: Ergo si ponantur in corpore Christi, non vnum fit corpus, sed geminum, vel duo contradictoria incomplexa sunt simul in vno subiecto, vt corpus tradens sit paßibile, traditum impaßibile.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Contradictoria incomplexa de eodem subiecto prędicari, filum rationis in rebus inferioribus non recipit, & tamen in persona Christi ex mysterij conditione passibile & impassibile, de corpore Christi prædicant Patres catholici, quod sic explicant, vt passibile dicatur propter voluntatem, impassibile propter vnionem. Augustinus (siquidem hæc verba eius fuerint) ipsum & non ipsum, de eodem vult prædicari, quæ tamen incomplexa, ipsa specie opposita, quoniã relationibus explicãtur, quadrabit cũ cõmunibus regulis, ita respõdere, contradictoria licet de eodem absolutè non prædicentur, nihil prohibet tamen distinctis relationibus prædicari, nec erit absurdum idem corpus natura passibile in visibili specie, idem quum in sacramento datum sit, per diuinã virtutẽ impassibile censeri & esse. Patitur Christi corpus in cruce vt caro hominis, at impassibilis est eadẽ in sacramento data, vt caro dei semper dei & hominis vna caro, iis relationibus passibilis & impassibilis, cui cõueniens est quod notat Hiero-

Hieron. in epist. ad Ephesios lib. 1. cap. 1. Hieronymus, diuinam carnem dari manducandam, non eam quæ sit crucifixa. Et Augustinus verba Christi explicans, Non hoc corpus quod videtis comesturi estis, quibus verbis apertissimè significat Augustinus, corpus quidem verè in cibum dari, at non visibile, non passibile, quale videbant, videlicet in quod dentes possent vt Iudæi, laniatum exercere: sed corpus ita spiritualiter datum iri, vt spiritualiter, videlicet dignè & innocenter edentibus afferret vitam. *August. in Psal. 98.* Breuiter, Christi dei & hominis vnum fuit corpus, vna caro, & idē corpus, secundum rationem assumpti passibile & mortale, secundū verò ineffabilem vnionem impassibile & viuificum. Quare secundum naturam assumpti, idem corpus & permissum & traditum est Iudæis, vt ab illis patiatur in pretium, secundum rationem vnionis in mystica benedictione datur fidelibus in cibum.

OBIICITVR 81.

CHRISTVS DEDIT TALE CORPVS QVAle habuit. *Sed habuit corpus paßibile, ergo paßibile dedit, & sic prius passus est, laceratus dentibus, quàm affixus fuit cruci.*

RESPONDET CATHOL.

Qvatenus illud (tale) respondet exprimēdæ qualitati, falsum est. Illud constat, verum quidem corpus, & ipsum quod passurum esset, dedisse, sed spirituali dedisse modo in sacramento, hoc est taliter, vt ipsum corpus quod à Iudæis crucifigētibus in cruce pateretur mortem, idem in sacramento vescentibus conferret vitam. Vnde prius passus nō est, qui sub illo spirituali existendi modo pati non potuit.

OBIICITVR 82.

VETERES HABVERVNT EADEM SAcramenta *quæ nos habemus, Nam Paulus ait veteres & nos habuisse eandem escam. Sed veteres non habuerunt hanc realem præsentiam, quum Christus nondum fuit incarnatus. Ergo non est ponenda talis præsentia.*

Habue-

RESPONDET CATHOLICVS.

HAbuerunt veteres eadem ſacramenta ſignificatione quæ nos habemus, vt quæ Chriſtum reſpiciant omnia,ſed quod illa ſignificabant, noſtra ſimul cum ſignificatione etiam exhibent, quum alioqui in cæteris quis non videat eſſe diſcrimina manifeſta? Nam in baptiſmate ſi formam ſpectes, nihil diſsimilius. Nos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti baptizamus, cum myſterium Trinitatis,licet Rabinis quibuſdam inſinuatæ,vulgo tamẽ prorſus ignoraretur. Illis baptiſinus fuit fugiſſe aquas, nobis attigiſſe, quid minus idem? Vt autem de eſca loquamur, eundem obſonatorem & cõuiuatorem habemus vtrique Chriſtum,qua ratione eſca dicatur eadem,idem potus, tanquam ab eodem authore profecta, & eandem ſpectantia virtutem,ſed noſtra eſca ſolidior,quæ cum ipſa ſignificatione quod ſignificatur, exhibet, tanquam organum operatorium & efficax,quod eſt proprium ſacramentorũ nouæ legis, populo nouo & renouando congruẽtium,vnde de eſca ſcribit Paulus, Habemus altare, de quo non licet edere iis qui tabernaculo deſeruiunt. *Hebr.13.* Quibus tamen Iudæis ſemper licuit in Chriſtum credere,vt ſola comeſtio ſpiritualis ſignificetur, quod in illorum ſpirituali refectione erit. Sed intellexit Paulus noſtrum Euchariſtiæ ſacroſanctum myſterium,quo Chriſtus ſolos dignatur ſuos, quum verus ſit panis filiorum eorum qui in Chriſto per baptiſmi gratiã renati ſunt. Quare licet eſca Patrum ſpiritualis fuerit, & hactenus cum noſtris eadẽ: non tamẽ per omnia eadem. Quin & locus ex Paulo citatus, ſi quis illum excutiat,non eum proprium ſenſum refert, quaſi patres eandem nobiſcũ eſcam habuerint: ſed quum in baptiſmo, in eſca,in potu,illi omnes parem dei benignitatem ſenſiſſent,non tamen in omnibus beneplacitum eſt deo,& deinde additur, hæc omnia in figura contigiſſe illis,quũ amplius nobis exhibitę ſunt ipſæ veritates. Quare quæ nobis ex gratia facta ſit præter illos realis corporis Chriſti præſentia,nõ debet hac argutatione eleuari. Et(vt ſummatim dicã) & materia ſacramentorum veterum diuerſa fuit à noſtris,atque etiã forma, vt licet eadem fuiſſe ſacramenta aliqui ſcripſerint, ad ſolam poſtea ſignificationem generalius dictum contraxerunt. De hoc ſacramentorum diſcrimine plura poſtea dicemus.

OBIICITVR 83.

CONSECRATIO EST SEPARATIO REI *prophanæ ad spirituale & diuinum vsum, ideo panis dicitur consecrari, cũ separetur à prophano vsu ad figurãdũ, repræsentandũ corpus Christi, & spiritualem per eum nutritionem, non quòd panis poßit esse corpus Christi, nam non est capax sanctitatis, & ideo dicitur corpus Christi, quia est signum & figura eius.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVemadmodum alia vocabula, sic etiam consecrationis verbum, secundum modũ eius, cui significando adhibetur, significationem vel remittit, vel intendit. Apud Iurisconsultum legitur, res sacras dici, quæ cõsecrantur per pontifices deo, veluti sunt (inquit) ædes sacræ, &c. quo loco quæreti quid sit consecrare, optimè quadret definitio quam nobis protulit hic argutator, videlicet separare rem prophanã ad spiritualem & diuinum vsum. Sed quũ legimus apud theologos, consecrasse Christũ in cœna Eucharistiã: ibi res qua de agitur, aliam vt explicetur postulat verbi (cõsecrare) notionẽ, quæ propius attingat mysteriũ, vbi nõ est sola separatio rei prophanæ ad diuinũ vsum, sed & aliquid eo amplius, sacratissimæ rei exhibita præsentia, mirabili ex re prophana facta conuersione. Vnde cõsecrare, hoc in loco, sit illud agere, quod iis verbis extulit Emissenus: Inuisibilis sacerdos panẽ & vinũ in substantiam sui corporis & sanguinis secreta potestate cõuertit, qui est modus cõsecrationis specialis, generali consecrationis finitione non obliterandus. Sunt qui definiant sacramentũ esse sacræ rei signum, quibus verbis nõ præscribitur sacramẽtis nouæ legis, ne nihil aliud sint quàm signa, verba enim prodita sunt vt lucem rebus afferãt, nõ inducant tenebras. Non nego quod signum est, nomen signati aliquando induere, & visibile elementum panis, propter significandi officium quo fungitur, corpus Christi dici posse. Sed vsurpatio nominis in exteriori signo, non minuit veritatem ipsius rei verè præsentis, quæ sub illo externo exhibeatur. Ergo fateor panem nõ esse corpus Christi, quod iste dicit, etiamsi quod pro ratione addit non probẽ, quia falsum, ꝙ panis non sit capax sanctitatis, nam verbum sanctitatis latiùs patet, quod nõ eò dico tamen quasi panem corpus Christi

Emissenus ser. de corpore domi.

Chriſti intelligi poſſe putem, ſed ne rationem vitioſam videar conceſsiſſe. Sunt quædam lineæ & ſanctitatis gradus, ab ipſa ſanctitate qui deus eſt, per eſſentiam participatione deducti, & tãquam à fonte deriuati, vnde ſancti angeli & ſancti homines, quæ ſanctitas quoniam hominibus diſpenſatur ſacramentorum organis, ipſo deo in illis veluti per inſtrumẽta operante, ſancta ſunt ſacramẽta, quæ ſanctitati conferendę deſeruiunt, ita viſibilis ſpecies elementorum ſanctificata dicitur, eatenúſq; ſanctificata & ſanctificationis capax, quatenus illã ſanctificationem deo porrigente, exhibent homini ſanctificando. Quin etiam Euchariſtia peculiari ratione ſancta dicitur, quæ non ſolùm panis ſanctificatus, ſed etiã (vt Chryſoſtomus ait) ipſa propriè dicitur ſanctificatio, cum ſit corpus Chriſti, qui eſt ipſa ſanctitatis eſſentia. Atque hæc de ſanctificatione ex patrum quidem ſententia, ſed meis ferè verbis diſſerui. Vt autem tu Lector intelligas quomodo patres de ſanctificatione & cõſecratione huius myſterij locuti ſunt, illorũ in medium dicta proferam. Et à quo potius auſpicer quàm à Cypriano? qui ſcribit in hæc verba: Significata olim à tempore Melchiſedech, prodeunt ſacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius, ſummus ſacerdos panem profert & vinum, hoc eſt (inquit) corpus. Manducauerunt de eodem pane, ſecundum formam viſibilem, ſed ante verba illa, cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à domino dictum eſt, Hoc facite in meam commemorationem, Hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus: quotieſcunque his verbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutémque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens. Hæc Cyprianus de conſecratione, vbi non ſolùm ad diuinum & ſpiritualem vſum fit rei prophanæ ſeparatio, ſed ipſius rei mutatio, vt ex pane fiat corpus, ex vino ſanguis, quæ dicit Cyprianus medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgandas animas. Vnde apertiùs idem Cyprianus in eodem ſermone dicit: Chriſtus (inquit) vſque hodie hoc veraciſsimum & ſanctiſsimum corpus ſuum creat, & ſanctificat & benedicit. Hæc Cyprianus, quæ ſub vulgarem illam conſecrationis definitionem non continentur,

Chryſo. in Mat. operis imperfe. homi. 17.

Cyprianus orat. de cœna.

Ibidem.

vbi sola fit separatio rei prophanæ ad vsum diuinum, quando hic fit creatio, effectio & sanctificatio, nimirum vt fiat ex pane corpus, ex vino sanguis Christi. Basilius in Liturgia, effectus huius consecrationis meminit iis verbis: Te ergo rogo, qui solus bonus es, & ad exaudiendum propensus, respice in me peccatorem & inutilem seruum tuum, & purga animam meam & cor meum à mala conscientia, & fac me virtute sancti tui spiritus idoneum, vt sacerdotij gratia indutus, huic sanctæ mensæ assistam, & sanctum & impollutum corpus tuum, & sanguinem pretiosum consecrem, Tu enim es qui offers & offerris, & qui suscipis & impertis Christe deus noster. Hic locus Basilij non solùm consecrationis huius magnitudinem exprimit, sed etiam meminit gratiæ sacerdotij, vt intelligamus visibilis ministerij gradum: cui hæc mandatur consecratio, quod in eadem Liturgia idem Basilius apertè dicit iis verbis: Sed tamen propter tuam ineffabilem & immensam benignitatem, citra vllam mutationem & conuersionem homo factus es, & pontifex noster appellatus es, & huius ministratorij & incruenti sacrificij cōsecrationem nobis tradidisti, vt deus omnium. Hæc verba Basilij docent, quum Christus diceret (Hoc facite) non mandasse quibusuis, sed iis quibus dederit sacerdotij gratiam, quæ gratia tamen non eatenus se porrigit, quasi tota in ministro sit virtus actionis consecrationis huius, cùm sacerdotalis muneris sit, orare Christum vt ipse dignetur consecrare, & ideo quum legimus sacerdotem ore proprio conficere corpus Christi, hoc ita dici intelligamus, quod sacerdos præter quod verba Christi vt minister proferat, ore etiā Christum precatur vt ipse dignetur consecrare, qua de re sic scribit Hysichius: Aaron & filij eius illud rectè comedunt, nisi enim Christus rogatus ore sacerdotis, ipse venerit & cœnam sanctificauerit, & initiauerit ea quæ aguntur, nullatenus sacrificium dominicum fiunt. Hæc Hysichius, qui alibi scribit, Christo oporteri dari, id est, ipsi de eis miraculum cedere & imputare. Quæ ideo commemoro, vt meminerimus distinguere authorem deum à ministro homine, quū verbū (Consecrare) de vtrisque dicatur, & ad dignitatem ministerij augendā permittit deus, vt quæ illius sint, de ministerio prædicentur. Vnde ex Ambrosio audies, de nobis ministris dici, nos cōficere corpus Christi, nec nostro tamē sermone, sed diuino id fieri. Scribit enim

Basilius in Liturgia.

Ibidem.

Hysichius in Leuit. li. 2. cap. 8.

Lib. 6. c. 22

enim Ambrosius in hæc verba: Liquet igitur, quòd præter naturæ ordinem virgo generauit,& hoc quod conficimus corpus,ex virgine est,quid hic quæris naturæ ordinem? Hæc Ambrosius, ministris tribuẽs confectionẽ, qui alibi sic scribit: Consecratio igitur quibus verbis est,& cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus,pro cæteris,vbi venitur vt conficiatur venerabile sacramentum,iam nõ suis sermonibus sacerdos,sed vtitur sermonibus Christi.Ergo sermo Christi hoc consecrat sacramentũ.Et his verbis consentaneum est quod alibi scribit Ambrosius:Quòd si tantum valuit benedictio humana, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba domini saluatoris operantur? Quæ Ambrosij verba à me extorquent,vt itidem appellem argutatorem nostrum, qui nihil veretur istam diuinam & mirabilem cõsecrationem ad communes consecrationis terminos contrahere, ne quid in hac præter cæteras eximij censeatur. In qua consecratione peragenda,ministrum ab authore Christo ita distinguit Chrysostomus: Nõ sunt humanæ virtutis hæc opera,quæ tunc in illa cœna confecit:ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus,qui verò hæc sanctificat & transmutat, ipse est. Sed & idem Chrysostomus alibi apertiùs in eandem sententiã loquitur, sic scribens:Et nunc ille presto est Christus,qui illam ornauit mensam:ipse istam quoque consecrat, Non enim homo,qui proposita de consecratione mẽsæ,domini corpus facit & sanguinem:sed ille qui crucifixus est pro nobis Christus.Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia, Hoc est,ait,corpus meum, hoc verbo proposita consecrantur. Habes hîc ex Chrysostomo, quid in hac consecratione de authore consecrationis, & item ministro sentiamus,& quæ verba dicantur consecrationis. Quæ quum annotaueris, æquiùs audies quod scribit Hieronymus in hæc verba: Absit vt de iis quicquam sinistrum loquar,qui Apostolico gradui succedentes,Christi corpus sacro ore cõficiunt,per quos & nos Christiani sumus, qui claues regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem iudicij iudicant,qui sponsum domini sobria castitate conseruant. Audis ex Hieronymo sacratum os ministri prædicari, confectionem corporis Christi illi tribui, quæ verba magnifica vt digni-

Ambrs. de iis qui initiant.ca.9.

De Sacramen.lib.4. cap.4.

De iis qui initiantur mysteriis. cap.9.

Chrysost. in Matt. Homil. 83.

De proditione Iudæ.

Hieron. ad Heliodorũ.

tatem ſacerdotij meritò ornant, ita veritati nihil detrahunt, quominus vnius Chriſti ſit authoritas & effectio, & hominis ſacerdotis fidele miniſteriū, quomodo antea in Chryſoſtomo & Ambroſio audis explicatum. Sed vt ad conſecrationem ipſam tractandam redeā, fuiſſe eam altioris myſterij, quàm illa generali definitione comprehendatur, quā nobis profert hic argutator, illa teſtimonia quæ ſubiiciam, declarabunt. Sic enim ſcribit Fulgentius: Cur ſcilicet ſi omni trinitati ſacrificium offertur, ad ſanctificandū oblationis noſtræ munus, ſancti ſpiritus tamē miſsio poſtuletur? quaſi verò (vt ita dicam) ipſe pater Deus, à quo ſpiritus ſanctus procedit, ſacrificium ſibi oblatum ſanctificare nō poſsit, aut ipſe filius ſanctificare nequeat ſacrificium corporis ſui, quod offerimus nos, quum corpus ſuū ipſe ſanctificauerit, quod obtulit vt redimeret nos, aut ita ſpiritus ſanctus ad conſecrandum eccleſiæ ſacrificium mittēdus ſit, tanquam pater aut filius ſanctificātibus deſit. Hæc Fulgentius, qui niſi excelſius quiddam de hac conſecratione ſenſiſſet, quàm ſeparari rem prophanam in diuinū vſum, non eam tractaſſet iſtis verbis, in quibus veritatem Euchariſtiæ teſtificatam cernis, quatenus dicit (ſacrificium corporis Chriſti quod offerimus:) & dicit (conſecrari eccleſiæ ſacrificium) quod panis nō eſt triticei aut figurę corporis, ſed ipſius corporis: nec Chriſtus (vt Hieronymus alibi ſcribit) duo corpora habet, ſed vnū. Conſecrare autē eccleſiæ ſacrificiū, nō eſt hîc rem prophanam ſeparare: ſed rem omnium ſanctiſsimā, & (vt Hyſichius ait) ſanctū ſanctorum nobis conficere, quod ſpiritus nō hominis eſt opificiū, omni humana benedictione maius. Vnde & Caſsiodorus Chriſtū dicit ſuum corpus conſecrare nobis, ita ſcribens: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinē Melchiſedech, hoc etiam Propheta promiſiſſe filio memorat patrē. Cui enim poteſt veraciter & euidenter aptari, niſi domino ſaluatori? qui corpus & ſanguinem ſuum in panis & vini erogatione ſalutariter cōſecrauit, ſicut ipſe in Euangelio dicit: Niſi mādu caueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hæc Caſsiodorus, qui Chriſtum dicit conſecrare corpus ſuum, vt miraculi magnitudinem conſideremus. Atque hæc quum ad conſecrationis myſticæ vim explicandam ac naturam ſuffecerūt, offerunt ſe duo ex Auguſtino loca, quorum alterum myſterium conſecrationis explicat, alterum ad aperiendam

Fulgentius ad Monimum. li.2.

Caſsiodorus in Pſa.109

periendam huius argutatoris inſcitiã pertinet,qui ita loquitur,quaſi vna ſit omnium conſecratio, vt hac ſua definitione hæc ſanctiſsima myſteria contineantur. Primus ex Auguſtino locus ſic habet: Nos autem in ſpecie panis & vini quã videmus, res inuiſibiles,id eſt,carnem & ſanguinem honoramus, nec ſimiliter comprehendimus has duas ſpecies, quemadmodum ante conſecrationem comprehendebamus,quum fideliter fateamur ante cõſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formauit, poſt conſecrationem verò carnem Chriſti & ſanguinem,quod benedictio conſecrauit. Hæc Auguſtinus, è cuius verbis quàm ineptum eliceremus ſenſum, ſi verbum (Conſecrare) ad noſtri argutatoris definitionem, quam de Conſecrare verbo affert,exponeremus? Sed non legerat meus argutator, nõ vniuſmodi eſſe ſanctificationẽ, de quo ſcribit Auguſtinus,vt ſequitur: Non vniuſmodi eſt ſanctificatio, nã Cathechumenos ſecũdum quendam modum ſuũ,per ſignum Chriſti & orationẽ manus impoſitionis puto ſanctificari,& quod accipiunt quãuis non ſit corpus Chriſti,ſanctum eſt tamẽ,& ſanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam ſacramentum eſt,verùm & ipſos cibos quibus ad neceſsitatem ſuſtentandæ vitæ huius alimur, ſanctificari idem Apoſtolus dixit,per verbum Dei & orationem, qua oramus vtiq; noſtra corpuſcula refecturi. Hæc Auguſtinus, qui ab argutatore noſtro ita diſſentit,vt panẽ ſanctitatis dicat capacem, & gradus etiam facit ſanctificationis,de quibus etiam antea dixi generatim, quod Auguſtinus hoc loco ſpecialiter agit. Quæ omnia quũ perpenderis Lector, quanta ſit iſtorum inſcitia, facilè deprehendes, qui figuras & vmbras nobis conantur inducere,vt lucem quam oderint, extinguant veritatis. Qui ſi inciderint in aliquam ſentẽtiam,aliquam definitionem,deſcriptionem vel alluſionem, quæ primo ſtatim aſpectu offerat quod haberi velint verum, mox arripiunt, & inde fabricant ſuo more argumentum. Torquent continuò in catholicam fidem,quomodo qui tormenta in pugna nauali mittunt, interdum vt aërem ſtrepitu verberent,quum pila interuallum nequiuerit ſuperare. Ingens eſt iſtorum Sectariorum murmur, ſed ſonitus maior,& impetus languidior,qui telum non perfert quò deſtinarant.

Aug. in li. Sẽten. Proſperi.

De peccatorũ meritis. li. 2. ca. 26.

PAPI-

OBIICITVR 84.

PAPISTAE NESCIVNT QVIBVS VERBIS *consecratio fiat. Nam Scotus & Innocentius tertius, dicunt consecrationem esse in verbo (Benedixit,) Alij dicunt in iis verbis (Iube hæc perferri), alij in in iis (Hoc est corpus meū.) Hæc varietas arguit ignorantiam. Sed quod incertum est, nō debet poni pro doctrina: tum si sint incerti de consecratione, sunt etiam incerti de præsentia. Ergo præsentia realis Christi, non debet poni pro doctrina Christi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVAE est hæc tandem ingeniorū peruersitas, omnia rapere ad calumniam? & quod veritatis argumentum sit candidis, illud ad infirmandam veritatem citare? Nam quod Scotus & Innocentius, quando vel quibus verbis Christus consecrauerit, cum reliquis non vsquequaq; consentiunt, & tamen consecrationem fieri omnes fateātur & habeant certissimum, atque adeò ita fieri consecrationem, vt vera & realis præsentia veri corporis exhibeatur: apparet doctrinam non fuisse industria aliqua humana fictam & compositam, ac verbis præscriptis concinnatam: sed simpliciter in ecclesia apud pios receptam constanti veritate mysterij, de cuius tamē partibus explicandis, in ceremonia peragenda, quum omnibus de summa summè cōueniret, ibi nonnihil fuerit ab aliquibus variatum, dum suo quisque sensu abundaret. Hæc varietas non arguit mysterij confecti (vt hic argutator vult) ignorantiā, sed certitudinem maximam, dum fieri non dubitarent, quod quomodo & quando fieret, propius inuestigarent, de quo qui inter se dissentirent, de doctrina tamen realis præsentiæ, quam iste argutator impetit, summo cōsensu cōcordarunt, de qua præsentia ex Christi verbis erant certissimi, licet quibus id verbis potissimum fieret, non vsquequaque conuenirent, in quo liberum sibi quisque putauit modestè eloqui quod sentiret, & tamen de verbis (Iube hæc perferri) nemo quod vel legerim vel audierim, ita loquitur. Sed fuerit aliquis aliis simplicior, an pertinebit hoc ad vniuersos? Quid Scotus aut Innocentius de verbis consecrationis senserint, consenserunt esse consecrationem, & (vt ad illud Basilij alludam) qui scribit,
Epistola 76 λαβεῖν ἐστὶν ὅτε δή ποτε τὸ λαβεῖν, sic consecrare, quandocūque & quibuscunque

cunque verbis fit in illa Liturgia, Christus certè consecrat, illorum iudicio, vnde nobis efficitur realis præsentia, quæ est doctrina ecclesiæ, ab ipsis ecclesiæ incunabulis comprobata. Sed & de verbis consecrationis illud obtinuit, vt verba illa (Hoc est corpus meum) illa sint, quibus fides nostra innitatur, quomodo patres cõcordi testimonio testati sunt, vtcunq; fuerit ab aliquibus priuato iudicio quacunque tandem de causa, de verbis consecrationis variatum, quæ varietas quando doctrinam realis præsentiæ non attingit, nihil obstat quod obiicitur hoc argumento.

OBIICITVR 85.

SI DOCTRINA PAPISTICA ESSET VE*ra, Deus exponeret ecclesiam suã periculo idololatriæ, nam multa possunt accidere, quæ impedirent sacerdotem consecrare, & tum populus adoraret Idolum, non præsente corpore Christi, si sacerdos non sit ritè consecratus, hæreticus, excommunicatus, simoniacus, tum non consecrat, Si verba non sint perfectè pronuntiata, quod quî scire possunt, cum dicant ea silentio & tacitè, vel si apertè, potest non intendere, Si materia non sit talis, qualem præscribunt. Sed deus omnibus modis prohibet ecclesiam ab idololatria, cuius periculo eam non exponit: Ergo doctrina hæc illorum non est vera.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVod docuit nos Christus de corde exire mala, significat opinor mala ex nobis oriri, non aliunde inferri, adeò error qui extrinsecus obtingat, nec vitari per humanam imbecillitatem posset, capitalis nõ est, sed facilem à Deo consequitur misericordiam. Quod ideo dico, ne quis putet idololatram esse eum, qui quod cõsecratum non est, pro consecrato habuerit, quum probabiliter sit arbitratus consecratum esse, quúmque adoratio referatur ad Archetypum, nec debeat etiam censeri idololatria, quin & ita fit adoratio, quasi conditione addita, siquidem omnia rectè fuerint peracta. Sed quid ait hic nugator, an hominum abusus imputabitur Deo? Et dicetur Deus exposuisse olim suos idololatriæ periculo, quum iuberet fieri serpentem æneum, quem intuerentur, non adorarent, in quam tamen illa

in eo populo idololatriæ pronitas, facilè est prolapsa? Eodem argumenti genere inuehet in ipsum Archetypum Christum, nunquam fuisse consilium diuinum vt Deus indueret humanam naturam, ne multi insurgerent qui se fingerent Deos, & in errores pertraherent humanum genus, & vniuersum Dei populum quasi discerperent, ac in perniciosissimas abducerét idololatrias, dum quisque se Christum diceret, de quo Christus admonuit, illorum voces exprimens,

Matth.24. Hic est Christus, & illic est Christus. In quo Dei summa sapientia istis videretur non satis prouidisse, vel si quis esse posit ab hominibus error, inde ducetur argumentum, Ergo Deus rei bene institutæ author non erat. Ministrum fidelem exigit ecclesia, & ministerio idoneum, quod agitur, rectè peragi statuit, in quo si sit ab homine ministro error, anima quę peccauerit, ipsa morietur, & filius quisquis ecclesiæ fuerit, ministri huius (qui patris munere fungitur) iniquitatem non portabit. Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus, quod non eo valet vt cótemnamus aut parui æstimemus ministros, quorũ opera in ædificationem sui corporis Christus vtitur, & per quos tanta mysteria conficit: sed vt de illorum vel malitia vel fragilitate ne ita simus solliciti, vt si quid illis acciderit secus, id protinus nobis vertatur in exitium; quod hic pro argumento haberi cuperet, cur vel illorum ministerium in tanto mysterio conficiendo non adhibeatur, vel vt illis sacrificantibus tantum fieri mysterium non credamus, vel denique quoniam deesse muneri suo posint, nunquam hæc ordinasse Christum colligamus, quod est insanum. Et hic argutator doctrinam ecclesiæ non syncerè narrat, exigit ecclesia in ministris congrua, sed non quomodo iste exprimit, & illa speciatim tractare, non est præsentis instituti.

OBIICITVR 86.

QVI PONVNT PRAESENTIAM CORPOris ex vi verborum Christi, *exponunt se magno periculo idololatriæ: nam poßit sacrificus malus & impostor illa verba reticere, immutare aut inuertere. Ergo non est ponenda præsentia realis.*

Hoc

RESPONDET CATHOLICVS.

Hoc genus argumenti generis eſt deliberatiui, non didactici, quo id agitur vt veritatis modus cautionibus quibuſdam noſtris, vel creſcat vel minuatur. Quod ſi noſtræ eſſet facultatis, non minus tamen ridicula eſſet hæc veluti à conducibili illata conſequentia, quàm ſi res maximè vtiles ideò diſſuadeat prorſus, quoniam caſu fieri poſsit, vt nobis periculum ex illis contingat, quum nihil ſit omnino non obnoxium. Quis ferat ſic deliberantem, Caue carnes comedas, ne malus cocus vel crudas apponat negligens, vel venenatas det corruptus ſordibus. Caue vinum bibas importatũ, ne fortè quid ſit noxij liquoris admixtum. Eſt quidem iuxta prouerbium homo homini dæmonium, vt noceat, & idem dicitur Deus, quia poſsit prodeſſe. Sed non alteri permittit Deus, in alterius animam, eam poteſtatem, vt huic æquè nocere atque corporibus queant homines, quum de cuiuſque corde mala propria exeant, inde nata, nec aliorum vi dolóve inferantur. Atq; hæc ita tracto, quaſi quod hic Rhetorculus deliberat, eſſet eccleſiæ liberum reformare. Nunc autem quum res ſit fixa & certa, quæ mutari non poteſt, quæ Deo authore ſit inſtituta, & quod ille coniunxit, homo non ſeparat, quid obiicit hic argutator pericula à malitia vel negligentia miniſtrorum, quibus nec carere poſſumus, nec illos ipſi reddere meliores? Quin omiſsis argumentis hortatur nos ad preces, vt Deus qui tantum myſterium inſtituit, idem dignos & fidos efficiat diſpẽſatores. Nos verò diuinis inſtitutis obſequium præſtemus, quod à nobis exigitur, non afferamus cõſilium quod minimè deſideratur. Et quis conſiliarius eius fuit?

OBIICITVR 87.

PAPISTAE DICVNT INTENTIONEM *conſecrandi requiri, Sed conſecrans poſſet hæc agendo nil cogitare de conſecratione, & fortè eam nolle, Ergo ad euitandum periculum, non eſt ponenda præſentia corporis realis.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Qvum ſcribat Paulus, Miniſterium tuum imple: iis verbis exigit intẽtionem, vt rei quam tractat miniſter, totus *2.Timot.4* incumbat, qui ſic loquitur, ſine intermiſsione orate, nũ *1.Theſſ.5.* animum ab externis auocat, & iubet orationi eſſe inten-

1.Corint.4. tum? Si inter dispensatores quæritur vt inueniatur fidelis, an non significatur intentionem ministri officio cum fide exequendo adhibendam? Quæ ideo dico, vt appareat sanam esse doctrinam ecclesiæ, quæ in tanto mysterio cõficiendo exigit ministri intentionem. At verò (inquit hic argutator) minister fortè non intendit, vt possit id agendo nil cogitare, vel etiam sciens auertit animum. Respondeo, hęc esse hominis vitia, quæ ad rem infirmandam ineptè afferuntur. Sed ab iis (inquiet) periculum idololatriæ imminet, Respõdeo, nullo modo, quum adoratio tendat in Archetypum Christum, qui verè est Deus adorandus. Nam quod infertur, Ergo non est ponenda præsentia, ad euitandum periculum: Epimethium resipit, tardius quid agatur deliberãtem, de quo Christum in cœna oportuisset admonitum, vt tantùm corporis figuram daret. Nunc verò frustrà nobis de vitando periculo, quod reuera nullum est, fundit verba hic argutator, quasi nostræ facultatis sit sacra diuinitus constituta reformare, & ad humanæ prudentiæ modum formare.

OBIICITVR 88.

QVOD INTRAT IN OS, IN VENTREM *vadit, & in secessum emittitur, Sed corpus Christi non emittitur in secessum: Ergo corpus Christi non intrat in os nostrum. Vel sic, Eucharistia vadit in ventrem & in secessum emittitur, vt experientia docet, quando homines possunt diu nutriri solo pane & vino Eucharistiæ: ergo Eucharistia non est corpus reale.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CHristus iis verbis escæ corruptibilis vsum expressit & euentũ, quippe cui per os ad vẽtrem iter est, quò vadit, non vt ibi maneat, sed inde porrò pergat in secessum, progressu quidẽ solito, at non necessariò tamen, quasi Christus iis verbis præceptum quod non præteriret, posuisset eiusmodi, quale sentire videtur hic argutator, vt si quid os intrauit, inde colligatur etiam à ventre abire in secessum, quod longè secus esse quotidiana ostendit experientia. Quidã enim quod in os intrat ad ventrem vsque means, quia in ventre non digerunt & egerunt, prorsus intereunt, adeò non semper vadit in secessum.

cessum. Quidam rursus, quod in os admissum cuperent in ventrē traiicere, casu interdum exitiali transmittunt in pulmonem. Quidā postea quod in os intrauit, in gutture retinent, vt spiritu contrà nitente gargarizent & reddant denuò. Multi nihil aliud quàm os abluunt, & mox expuunt. Demosthenes in eum vsum os impleuit lapillis, vt assuescens referto ore loqui, libero eodem & vacuo, loqueretur expeditiùs. Adeò nō infertur ex verbis Christi illa consequutio, in os intrauit: ergo in ventrem abiit, vel in ventrem abiit: ergo egestione secesit. Sed quid ago, conferens corruptibilia hæc cum esca diuina & spirituali? de qua vt ne quid similiter cogitetur, quod in reliquis cibis, Absit, significanter dixit Chrysostomus. Nā quod in visibili Eucharistiæ specie per naturam acciderit, non est ad veritatem cœlestis naturæ simul exhibitæ impugnandam vllis cauillationibus transferendum. Atque hæc pluribus egi, quotidianis prolatis exemplis, quum alioqui ex scripturis licuisset expedire paucis. Legimus comedisse angelos. Imò Christum post resurrectionem iam glorificato corpore, in quibus nō obtinuit opinor, quod hic tāquam maximam malè intellectam ex scripturis nobis profert. In ora eorum esca intrat corruptibilis: ergo &c. Quod si hic argutator in legendis patribus tam fuisset assiduus, quàm est in illis carpendis facilis, cōperisset magno consensu de sanctissimo Christi corpore in os nostrū accipiendo, & corpore nostro suscipiēdo, verbis apertis & minimè ambiguis scripsisse, quibus citandis non grauabor operam præstare. Incipiam autem ab Irenæo, qui sic scribit: Quomodo carnem negant capacem esse donationis dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum eius fit? quemadmodū & Apostolus ait in ea quæ est ad Ephesios epistola: Quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius? Hic locus Irenæi ostendit verba Pauli ad Ephesios, ad communionem corporis Christi in cœna pertinere, vnde necesse sit fateri, cōmunicationem substantiæ corporis Christi in cœna, vt simus caro, de carne illius spiritualis corporis Christi, spirituali nutrimento, quod ipsa carnis vnione nutrit, non vt reliqui cibi, ne quid hic cauilletur figurator ex verbo (nutritur) vt inde suū asserat triticeum panem & commune vinum, quum panis sit iam supersubstantialis, qui corpus sustētet & animam, qui quoniam corpus nutrit, corpore

Chryso. ho. in Enceniis

Gene. 18.
Tobiæ 12.
Luc. 24.

Irenæus li. 5.

Tertul. de resurre. carnis.

ſumitur. Vnde & Tertullianus ſcribit, Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de deo ſaginetur. Non poſſunt ergo ſeparari in mercede quas opera coniungit. Ergo in ſuſcipiendo ipſo Chriſti corpore eſt opera carnis, quia caro veſcitur corpore & ſanguine. Et quomodo veſceretur ni ore ſumeret? Imò (clamabit figurator) ore ſymbola ſumi, non corpus Chriſti. At Cypriano contrà videtur, adeò ora noſtra illius præſentia ſanctificari, ſcribit iis verbis: Sanctificata ora cœleſtibus cibis, poſt corpus & ſanguinem domini prophana contagia & idolorum reliquias reſpuerunt. Nunquid panis triticeus & vinũ, ſunt corpus & ſanguis domini? At appellari dices. Appellẽtur ſanè, ſed aliquid hîc additur amplius, dum cœleſtes cibos dicit Cyprianus, quibus verbis vltra ſymbola penetrat ſenſus Cypriani, & non ſola viſibilia, quæ ſunt terrena Euchariſtiæ pars, ſed ipſa etiam cœleſtia, hoc eſt ipſum corpus & ſanguinẽ ſanctificare ora accipientiũ. Vnde grauiter in illos inuehit Cyprianus, qui ab eſu idolothytorum auderent accedere menſam domini, ſic ſcribens:

Cypria. ſer. de lapſis.

Ibidem.

A diaboli aris reuertentes, ad ſanctum domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt, mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalãtibus etiamnum ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus, domini corpus inuadunt. Habes hîc inuadi corpus domini manibus & faucibus, quod quanto cum ſcelere fiat, idem Cyprianus iis verbis declarat, inquiens:

Ibidem.

Idem cõtumacibus & pertinacibus comminatur & denuntiat, dicens, Quicunque ederit panem aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini. Spretis his omnibus atque cõtemptis, vis infertur corpori eius & ſanguini eius, plus modò in dominum manibus atque ore delinquunt, quàm quum dominum negauerũt. Quid iſtis verbis apertius, dum idem dominus manibus & ore offenditur corporis, qui negatur? Hîc dicet figurator, domino per ſymbola fieri contumeliam, imò (inquam) domino quia adeſt, infertur ipſi, quod & Cyprianus apertè docet, dum ita ſcribit:

Ibidem.

In corpore atque ore violato, Euchariſtia permanere non potuit: ſanctificatus in domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit, tanta eſt poteſtas domini, tanta maieſtas. Quid hac acclamatione frigidius, ſi nihil aliud eſſet Euchariſtia quàm figura corporis? ſed maieſtatẽ præſentem ſentit Cyprianus, quæ ſe (vt alibi ſcribit) etiam quum male

Cyprianus ſer. de cœna domini.

ſumunt,

ſumunt,non abſentat, & eundem cibum ſub ſacramento, miniſterio corporali manducare nos, quē olim in patria plena viſione edemus.Cyprianus demonſtrat illis verbis: Panem angelorum ſub ſacramento manducamus in terris,eundem ſine ſacramento manifeſtiùs edemus in cœlis,non miniſterio corporali ſæpe repetitis actionibus,ad eadem reuertentes,ſed cōſummato ſacerdotio, erit & permanebit perpetua & ſtabilis, implens & reficiens nos ſufficientia, quia proferet ſe palàm,abſque vllis integumentis, omnibus conſpicabilis,ſummi præſentia ſacerdotis. Quod hîc oblatrent cauillatores,nihil habent.Nam dicit Cyprianus,dum in terris ſumus,panem angelorum manducari,miniſterio corporis,de fide, de meditatione mentis,nihil dicit,quæ tamen abeſſe non poſſunt, vt digna ſit manducatio,& ad eum modum ſecūdum Auguſtinum,vnde vitam habeamus. Sed miniſterium corporis accipit panem angelorum ſub ſacramento,qui niſi adeſſet, non acciperetur à corpore,& quatenus panem dicit angelorum, & eundem quem olim ſine ſacramento edemus,non poteſt triticeum & ſymbolicum intelligere,ſed cœleſtē cibum corporis Chriſti. Atque iis conſonum eſt quod ſcripſit Hilarius:De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus.Nunc enim & ipſius domini profeſsione & fide noſtra,verè caro eſt,& verè ſanguis eſt,& hæc accepta atque hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto,& Chriſtus in nobis ſit,an ne hoc veritas non eſt? contingat planè iis verum nō eſſe, qui Chriſtum Ieſum verum eſſe deum negant. De cibo dominico loquitur Hilarius,quem dicit domini profeſsione & noſtra fide,verè carnem eſſe, & verè ſanguinē, quæ verba hunc ſenſum habent,quia Chriſtus ita de cibo, quem in cœna dedit,ita profeſſus eſt(Hoc eſt corpus,Hic eſt ſanguis,) ideò crediderunt fideles, vt Chriſti profeſsio ſit fidei fundamentum, & ſit locutio Hilarij ſimilis illi Pauli,Sic prædicauimus, & ſic crediditis, quæ ita interpretor, ne cauillator quid ingerat de efficientia fidei.Nam veritas cibi eſt ex domini profeſsione, teſtimonium veritatis ex fide eſt catholica,quòd ſic credidimus, vnde verus verborū ſenſus colligatur,ſed vt quod eſt proprium huius loci attingam, cibum dominicum qui verè eſt corpus,& verè ſanguis, illum accipimus ſecundum Hilarium,& haurimus,vnde certum conſtat, miniſterium corporis huic cœleſti cibo ſumendo adhiberi. Præclara eſt

Ibidem.

Augu.de verbis Apoſtoli.ſer.2

Hilarius de trinit.lib.8

1.Cor.15.

etiam

Ambro. de obitu fratris. etiam illa Ambrosij sententia: Referebat igitur gratiam, deferebat fidem, Nam qui tãtum mysterij cœlestis inuoluti in orario pręsidiũ fuisset expertus, quãtum arbitrabatur si ore sumeret, & toto pectoris hauriret arcano? quàm maius putabat fusum in viscera, quod tãtùm sibi tectum orario profuisset? Hæc Ambrosius, qui de fratre prædicandum censet, quod à mysterio inuoluto præsidium peteret, quod nisi Christus præsens esset, mera esset idololatria. An etiã hæc de terrena symbolorum natura confitenda sunt? & hic erit locus, de figura dici posse quæ de ipsa re? Quòd si Christi veram præsentiam Ambrosius intellexerat, ergo & extra vsum agnoscit sacramẽtum, & ipsum etiam Christum ore manducantium sumi confitetur, atq; illac sub sacramento ingredi tectum nostrum, cui si fides nostra occurrat & mentis synceritas, nobis confert vitam & salutem. Et de hoc Christi ingressu ita scribit Chrysostomus: An ignoras quot ex deliciis mala proueniant, risus intempestiuus, verba immodesta & plena exitij, scurrilitas, garrulitas infructuosa, & alia quæ non dicẽda quidem sunt, & hoc facis quum ad Christi mensam discubueris, in die illa qua carnem eius lingua attingere dignatus es. Ne igitur hæc fiant, dextram tuam, linguam tuam, labia considera, quo pacto vestibulum Christo facta sunt, vt ingrediatur. Quid hîc comminiscentur figuratores, an scomma suum proferent, (Quid interest, vtrum per partes commedas, an deglutias totum?) Nunquid dicit Chrysostomus, labia & linguam, vestibulum qua dominus ingrediatur? Sed de hoc vestibulo audiamus eundem Chrysostomũ apertiùs loquentem, vel saltem pluribus, nam apertiùs haud potest: Igitur vestibula templi & ingressum osculamur, mutuum osculando. Nónne videtis quòd etiam vestibula templi huius osculantur, illi quidem flectentes, alij autem manu continentes, & ori manum admouẽtes? per has etiam ianuas & portas, & ingressus est & ingreditur ad nos Christus, quãdo communicamus, scitis qui mysteriorum estis participes, quid dicatur, etenim non vulgarem honorem consequutum est os nostrum, accipiens corpus dominicum, propter hoc maximè hîc osculamur. Audiant qui fœda loquuntur, qui cõuicia, & horrescant quòd tale os polluunt. Hæc Chrysostomus. Illa horrescant ergo qui in Eucharistiam ore mendaci cauillantur, & tãtam veritatem futilibus audent argumentis impugnare, & stultis dilem-

Chryso. in epist. 1. Cor. 11. hom. 27.

In episto. 2. Cor. 13. homi. 29.

dilemmatis illudere, quærentes, ſi corpus Chriſti realiter ſit præſens, vtrum in corpus noſtrum intret, vel in animam? Audi qui ita quæris, Chryſoſtomum in ſua Liturgia orantem iis verbis: Domine non ſum dignus vt ſub ſordidum animæ meæ tectum ingrediaris, ſed quemadmodũ æqui boni conſuluiſti, in ſpelunca & præſepi ratione carẽtium animaliũ recumbere, & in domo Simonis leproſi, etiamſi ſimilem mihi meretricem, peccatricem ad te accedẽtem ſuſcepiſti: ipſe dignare etiam in præſepe animæ meæ rationis expertis, & in commaculatum meum corpus ingredi, mortui & leproſi, & ſicut nõ abhorruiſti os ſordidum meretricis impollutos tuos pedes oſculantis: ita domine deus meus, ne me etiam peccatorẽ abhorrueris, ſed tanquã bonus & benignus, dignare me effici participem ſanctiſsimi tui corporis & ſanguinis. Hæc cum fide orabat Chryſoſtomus, nec dominum Ieſum tam ardenter ſine Chriſti ſpiritu nominabat, imò orando & hæc meditando, ſpiritualiter manducabat, ſed ſaturari cupiebat de ipſo domini corpore, & iam ſpiritu vnitus, etiã in eandem maſſam arctius redigi & carne vniri deſiderabat, repetitis actionibus, vt Cyprianus ſcribit, miniſterio corporis, vt non ſolũ ſpiritus, ſed etiam corpus rude & terreſtre, aliquo cognato guſtu, ad immortalitatẽ reducatur. Itaq; orat Chryſoſtomus, vt dignetur etiam corpus ingredi, nam & corporis vnionẽ illis verbis docet Cyrillus: Recordare, quamuis naturaliter aqua frigidior ſit, aduentu tamen ignis, frigiditatis ſuæ oblita, æſtuat, hoc ſanè modo etiam nos quamuis propter naturam carnis corruptibiles ſimus, participatione tamen vitæ ab imbecillitate noſtra reuocati, ad proprietatem illius, ad vitam reformamur, oportuit enim certè vt non ſolùm anima per ſpiritum ſanctum in beatam vitam aſcenderet, verumetiam vt rude atque terreſtre hoc corpus, cognato ſibi guſtu, tactu & cibo, ad immortalitatẽ reduceretur. Hîc cauillabitur Sophiſta figurator, ſymbolorum iſta eſſe, guſtari, & tangi. Imò (inquam) cœleſte & diuinum Chriſti corpus intelligit, quod ex noſtra maſſa ſumptum & proprium verbi factum, viuificat guſtu & tactu, frigida & languida corpora noſtra, qui guſtus & tactus quoniã à carne manat, cognatus eſt, conuenienti modo, vt corpus à corpore viuificetur, & ideo non eſt propria manducatio diuinitatis Chriſti, quia natura incorporea eſt, nam ita loquitur Cyrillus: Deus enim incorporeus eſt,

Idem in Liturgia.

Cyrillus in Ioan. lib. 4. cap. 14.

Idẽ ad reginas de recta fide. & ad Theodoſiũ de recta fide.

inquit, neque est esibile verbum, nisi secundũ dispensatiuam vnionẽ naturarum, vnde mysterium Eucharistiæ ex carne Christi cõsistit, cuius quia est corporea substantia, est propria manducatio. Vnde de carnis sanctificatione sic scribit Cyrillus: In quatuor partes vestimenta diuisa sunt, & tunica solùm indiuisa remansit, quod mysticæ cuiusdam rei signum fuisse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutem reductæ, indumentum verbi, id est, carnem eius impartibiliter inter se partitæ sunt. In singulis enim partibiliter trãsiens vnigenitus, & animam & corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter atque integrè in omnibus est, quum vnus vbique sit, nullo modo diuisus. Audis itaque sanctificationem singulorum per carnem, & in singulis integrũ Christum, non diuisum, quoniã vnus semper est Christus, nullo modo diuisus, quin vbi caro est, ibi diuinitas est, propter vnionẽ, & de natura humanitatis intelligitur caro, cui nunquam abest diuinitas, sed vbique vnus est Christus, ne personas diuidas, licet naturæ maneãt in sua proprietate, vt diuina vbique sit, humana autem ibi sit, vbi spiritus vult. Nã & de nostris corporibus glorificatis ita scribit Augustinus: Qui motus illic talium corporũ sint futuri, temerè definire nõ audeo, quod excogitare nõ valeo, tamen & motus & status, sicut ipsa species, decens erit quicũque erit, vbi quod non decebit non erit. Certè vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritũ posset decere, nec corpus. Ergo qua (inquam) religione Augustinus scribit de cõditione nostrorum corporũ, omnia tandem permittit spiritui, eadẽ nos Christo sui corporis vsum relinquamus oportet qui nihil vult quod nõ potest, nihil vult quod non sit decens, qui licorpus suũ secundum Cyrillũ partibiliter dat, vt tamen sit impartibiliter in omnibus integrũ, totus etiã deus & homo, quia vnus vbique est Christus. Quare huius Eucharistici mysterij naturã tollunt qui veram corporis Christi præsentiã negant, & ideo os nostrũ ingredi Christum diffitentur, & quia sola fide potest adesse intelligi ideo sola etiam fide sumi vellent, vnde fingunt suæ fidei efficiẽtiam quandam, nullis scripturis aut probabilitate subnixã. Sed quid de oris sumptione scribat Augustinus audiamus: Liquidò apparet, quando primùm acceperunt discipuli corpus & sanguinem domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamẽ propterea calumniandum est vniuer-

Idẽ in Ioã. lib. 12. c. 32

August. de ciuit. li. 22. cap. 30.

August. ad Ianuariũ epist. 118.

vniuersæ ecclesiæ, quòd à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti in os Christiani priùs dominicũ corpus intraret, quàm exteri cibi. Nã ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Quod hîc dicit Augustinus, satis esset fideli, dum dicat corpus dominicum in os ingredi, sed calũniabitur figurator de symbolo dici, quod est rei: quare vt illud auertã, subiiciam quod sequitur, eiusdem Augustini: Nos autem audiamus & intelligamus duo testamenta in duobus filiis Abrahæ, duabúsque mulieribus eius commixtione fœtatis, sicut duos in carne vna, Christum & ecclesiam, istis nolentibus sine vlla obscuritate cognoscimus, sicut mediatorem dei & hominum, hominem Christũ Iesum, carnem suam nobis manducãdam, bibendúmque sanguinẽ dantem fideli corde atque ore suscipimus, quanuis horribilius videatur, humanam carnẽ manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere. An non iis verbis Augustinus de rebus ipsis loquitur, nõ de symbolis? & nos dicit fideli corde atque ore suscipere dominũ Iesum, corpus nostrum in opera iungẽs, animæ ne separentur in mercede? Addantur istis quæ scripsit sanctissimus Leo, in hæc verba: Non enim aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm vt in id quod sumimus, transeamus: & in quo commortui, & consepulti, & conresuscitati sumus, ipsum per omnia, & spiritu & carne gustemus. Quid istis verbis ad exprimendam veritatem efficacius, quibus dicitur nos id sumere, in quod transeamus? an (obsecro) in panẽ & vinum sentit nos trãsituros? quod, si nihil aliud essent quàm figura, sequeretur. Imò aperta verborum paraphrasi Christum exprimit, dum addit, in quo commortui & consepulti & conresuscitati sumus. At dicet cauillator fide sumi, imò de ore sentit, cui vt adsit fides & charitas, illud (transeamus) exigit, nam & idem Leo alibi scribit, id ore sumi quod corde creditur, & de quibusdam indignè communicantibus ita habet: Cũ ad tegẽdam infidelitatem suam nostris intersunt sacris, in sacramẽtorum cõmunione ita se temperant, vt ore indigno Christi corpus accipiant, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. In eãdem sententiã scribit Oecumenius, Reus erit. Quod ait, reus erit corporis & sanguinis domini, hoc indicat, quòd quemadmodũ Iudas eum tradidit, Iudæi verò in ipsum debacchati sunt:

Idem cõtra aduers. legis. li. 2. c. 9

Leo sermo. 14. de passione.

Idem ser. 6 de ieiunio 7. mensis.

Idem ser. 4 de Quadragesima.

Oecumeni' in episto. 1. Cor. 11.

ita ipſum ignominia afficiunt, qui ſanctiſsimum ipſius corpus manibus impuris ſuſcipiunt, veluti tunc Iudæi eum tenuerunt, & execrando admouent ori. Quanta eſt hæc verborum vehemētia, & quā ſine cauſa profuſa, ſi nihil aliud qui communicāt accipiant ore præter panem & vinum, figuram corporis? ſi iis verbis tam apertis Christus figuratus intelligitur, quibúſnam certi erimus, de vero Christo loqui patres? Sed corpus Chriſti, quod fide creditur verè adeſſe in ſacramento, etiam corporis ore ſumi, tractat Gregorius in homilia Paſchali iis verbis: Quid nanque ſit ſanguis agni, non iam audiendo, ſed bibendo didiciſtis, qui ſanguis ſuper vtrumque poſtem ponitur, quando non ſolùm ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur. In vtroque enim poſte ſanguis agni poſitus eſt, quādo ſacramētum paſsionis illius cum ore ad redemptionem ſumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Nam qui ſic redemptoris ſui ſanguinem accipit, vt imitari paſsionem illius necdum velit, in vno poſte ſanguinem poſuit, qui etiam inſuper liminaribus domorum ponendus eſt. Hæc Gregorius, qui à figura agni paſchalis, & eo quod tum in vmbra gerebatur, occaſionem arripit explicandæ veritatis, vnde diſcimus quod Tertullianus dixit, corporis & animæ operam iungi, cordis & oris officia copulari, vt vtrumque poſtem liniamus ſanguine, nec ſolùm ore corporis, ſed etiā ore cordis hauriatur, nam hoc ſacramentum interius exteriúſque ſanctificat, vt Beda ſcribit: Si quem (inquit) mouet, quum cœnatis ſaluator apoſtolis ſuum corpus ac ſanguinem tradiderit, quare nos vniuerſalis eccleſiæ conſuetudine ieiuni doceamur eadem ſacramēta percipere, breuiter audiat, ideo tunc cœnatos communicaſſe apoſtolos, quia neceſſe erat Paſcha illud typicum antea cōſummari, & ſic ad veræ Paſchæ ſacramenta tranſiri. Nunc in honorem tanti támque terribilis ſacramenti placuiſſe magiſtris eccleſiæ, primò nos dominicæ paſſionis participatione muniri, primò ſpiritalibus epulis interius exteriúſque ſacrari, ac deinde terrenis dapibus corpus & vilibus eſcis refici. Ergo vides ſacrari corpus exterius, huius ſacramenti participatione. Vnde Cyprianus ora dicebat cœleſtibus epulis ſanctificata. Nam Chriſtum etiam corpore noſtro ſuſcipi teſtatur Theophilactus, ab ipſis adeò malis, in quorum deteſtationem ita ſcribit. Multò magis ſciatis deteriora mereri ſupplicia qui filium Dei

Gregorius hom. paſch. hom. 22.

Beda in Lucam. lib. 6. cap. 22.

Theophilactus in Paulum. Hebr. 10.

con-

conculcauerit. Hæc enim de myſterij ipſius perceptione dicuntur. Quum enim immaculati corporis illius & ſanguinis communicando participes fuerimus, carnem hanc ipſam, quæ corpus id & ſanguinem ſumit, ſi cœno impuritatis, & luxus & veneris ſordibus inquinamus, nónne Dei filium conculcamus? Nam cœnum hoc & terreum lutũ, haudquaquam adeò eſt diuino corpore indignũ, quàm noſtri corporis labes & immunditia. Nunquam ita ſcripſiſſet Theophilactus, ni verum Chriſti corpus corpore noſtro ſuſcipi credidiſſet, de quo quid ſenſerit Bernardus, quum addidero, finem huius loci tractandi faciam. Bernardus autem ſic ſcribit: Tu ergo ſi diuini verbi pabulo reples animam tuam, fidelitérque etſi non digna, certè quanta potes deuotione, ſuſcipias panẽ illum qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo, dominicum videlicet corpus Ieſu, vt veterem vtrem corporis tui, noua illa reſurrectionis caro reficiat & ſuſtineat, quatenus nouum quod intus eſt vinum, hoc ſolidatus glutino valeat cõtinere, ſi denique ex fide viuas, & nequaquam gemere oporteat, quia oblitus ſis comedere panem tuum. Bethleem factus eſt dignus planè ſuſceptione dominica, ſi tamen confeſsio non defuerit. Hæc Bernardus, qui corpus dominicum corpore noſtro ſuſcipi, & in corpus recipi, quatenus vtrem veterem corporis refici dicit & ſuſtineri, non pane triticeo, ſed pane viuo, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo, dominico (inquit) corpore, vnde nobis afferri dicit ſoliditatem, qua valeas continere diuini verbi pabulum, quibus verbis occurrit iis, qui ſtolidè quærunt, Si Chriſtum manducaſti ſpiritualiter fide, quid opus eſt corporali manducatione? Imò dixerit aliquis, quum Chriſtus in cœna diceret, Accipite, & manducate, Hoc eſt corpus meum: quid opus tam verboſa diſputatione, vt oſtendatur ſenſiſſe patres, corpus Chriſti corpore noſtro & ore ſumi? Quid enim aliud ſentire potuiſſent, qui Chriſti verbis fidem haberent? Equidem fateor hanc operam piis haud neceſſariam, ſed figuratores, qui negotium veritati faceſſunt, verbis Chriſti nouum ſenſum addunt, & ſolum panem datum contendunt, vt manducetur corpus Chriſti: negant ore excipi, ſed ſola fide, atque adeò ſic intellexiſſe patres, quidam volunt, quorum impudentia vt arguatur, patrum ſententiæ citandæ erant, quas cum legeris, veritatem etiam Euchariſtiæ locupletiùs teſtatam & confirmatam habebis, atque ha

Bernard. in vigi. Natiuitatis Domini. ſer. 1.

ctenus est non inutilis illorum peruicacia nobis, etiamsi illis nefaria & exitialis.

OBIICITVR 89.

CHRISTVS EST CIBVS SPIRITVALIS ET *spiritualiter editur, digeritur spirituali parte nostra, & dat spiritualem vitam: Ergo non comeditur, deglutitur, digeritur nostris dentibus, linguis, gutture & ventre, carnaliter, naturaliter, & sensibiliter.*

RESPONDET CATHOLICVS.

IN Christi corpore mãducando, quum in cœna porrigitur, adest quidem ex Christi instituto corporis nostri & sensuum officium, quoniam integro homini dicitur, (Accipite, Manducate,) spiritualis tamẽ qui ex fide diiudicat omnia, de hac sanctissima esca non vt de reliquis cibis cogitat, vt carnaliter eodem quo cæteros cibos modo, nec sensibiliter, id est, cũ sensuum iudicio, & solita actione, in viscera traiiciat, faciens interim quod iubetur citra hæsitationem, certò persuasus Christum quum dignè percipitur, vitam in nobis agere, tum animæ, tum corporis, imò ad æternam olim vitam, vtraque perducturum, vt non sit quur hic argutator istam de spirituali vita distinctionem afferat, & virtutem Christi contrahat ad vnam nostri partem spiritualem, qui præsentis vitæ author & futuræ, vt corpus, anima & spiritus tandem saluentur, efficit. Atque hæc ad diluẽdam argumenti vim dicta suffecerint. Vt autẽ tu Lector intelligas, quomodo patres de susceptione huius escæ spiritualis locuti sunt, nõ grauabor eorũ testimonia subiicere, ex quibus intelliges sanctissimam hanc escam in sacramento præparari, dari, porrigi, & à nobis suscipi, nec solam fidei contemplationem & meditationem mentis, (quod isti volunt,) ad hanc spiritualem escam accipiendam sufficere, quando duplex modus manducationis notatur, in quorũ vno verba propriè accipiuntur, secundum mysterij cõditionem, in alio verborum fit allegoria, quod ea quæ subiciã manifestè docebunt. Sic enim scribit Origenes, Bibere autem dicũtur sanguinem Christi, non solùm sacramentorum ritu, sed & quum sermones eius recipimus, in quibus vita consistit, sicut & ipse dicit, Verba quæ locutus sum, spiritus & vita est. Hic Origenes, dum ritum mysteriorum notat, & distinguit

1.Thessa.5.

Origenes in Nu.Homil.16.

guit ab ea receptione quæ fit extra ritum, verborũ (Bibere) &(sanguinis) propriam & metaphoricam significationem notauit, quarũ altera alteram non perimit, sed bibimus sanguinem Christi propriis significationibus bibendi sanguinis, ritu sacramentorum, & bibimus, recipiẽdo sermones, quod est, fide admittere in pectora nostra, digerere meditationibus, & cõseruare, & ipsa deinde mutatione exprimere. Vnde Ambrosius metaphoram verbi, Bibere, cum propria significatione eleganter coniunxit iis verbis: Bibe Christum quia pax est, bibe Christum quia flumina de vẽtre eius fluent aquæ viuæ, bibe Christum, vt bibas sanguinem quo redemptus es, bibe Christum vt bibas sermones eius. Hæc Ambrosius, vbi est etiã insinuatio metaphoræ vocabuli, sanguinis, dum in vltimo membro dicit, bibas sermones. Sed quum dicit, Bibe Christum, vt bibas sanguinem: nisi propriam à metaphora significationẽ distinguas, inepta est locutio, siue vtrobique in propria, siue vtrobiq; in metaphora accipias. Nam in metaphora si vtrunque verbũ exprimas, Crede Christum, vt credas sanguinem: fatuum & insipidum esset, tum autem absurdum significaret, quasi Christus alius à sanguine esset, & item illud nugatorium in propria significatione, Bibe Christum in sacramento, vt bibas sanguinem in sacramento, ergo à metaphora transit ad propriam significationẽ, hoc sensu: Bibe, id est crede Christum, vt bibas sanguinem, quod est ritu sacramentorum bibere sanguinem. Nam eundem sanguinem esse quẽ bibimus ritu sacramentorum, qui verè sit Christi, aperit Cyprianus, dum sic scribit: Siquidem ille sanguis Abel, clamans de terra, loquebatur vindictam: at Christi sanguis de cruce clamans, pacem loquitur & reconciliationem, qui idem sanguis quoniam à nobis bibitur, si modo dignè bibitur, clamat in cordibus nostris verba pacifica & solatij plena. Hæc Cyprianus, qui dum eundem sanguinem bibi dicit, addens (si modo dignè bibitur,) illam propriam bibendi significationem exprimit, quia fides non recipit illam distinctionem, vt aliud sit, dignè credere, aliud non dignè credere, quia qui credit, quatenus ad credulitatem attinet, digna est credulitas, & hîc etiam illud liquet, posse eundem Christi sanguinem dignè & indignè sumi, quod obiter duxi annotandum. Sed vt quod cœpi prosequar, Hilarius sacramentalem manducationem à spirituali in verbo (mensa) distinxit apertè, sic

Ambros. i Psal. I.

Cyprianus de Duplici Mart.

Hilari' in Psal. 127. tè, sic scribens. Ex hac igitur filij qui erunt tanquam nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ nostræ erunt. Non in conuiuij circuitu futuros ait esse, sed mensæ. Mensa enim domini ex qua cibum sumimus, panis scilicet viui, cuius est hęc virtus, vt ipse viuens eos quoque qui se accipiant viuificet. Est & mensa lectionum dominicarum, in qua spirituali doctrinæ cibo alimur. Hæc Hilarius, qui mẽsam primum propriè intelligit altare, de quo Propheta scribit, Hoc altare est mensa coram domino: vnde Hilarius dicit nos sumere cibum panis viui, atque hanc alimoniam distinguit ab illa quam fide suscipimus ex mensa lectionum, tanquam si diceret, illum spiritualem cibũ in mensa præparatum, ore nos excipere, istum ex mẽsa lectionum, fide, quia nisi crediderimus, non intelligemus. Ambrosius discrimina manducationis sacramentalis & spiritualis in vocabulo, cibus, apertè do-

Ambros. in Psal. 118. Serm. 15. cet, dum scribit: Habes Apostolicum cibum, manduca illum & non deficies. Illum autem manduca vt postea venias ad cibum Christi, ad cibum corporis dominici, ad epulas sacramẽti, ad illud poculum quo fidelium inebriatur affectus, vt lætitiam induat de remissione peccati, curas seculi huius, metum mortis sollicitudinésq; deponat, hac ergo ebrietate corpus non titubat, sed resurgit, animus non confunditur, sed consecratur. Hactenus Ambrosius, qui alium cibum Apostolicũ, alium Christi dicit, non quin cibus Apostolicus sit cibus Christi, sed illum dant Apostoli, prædicando verbum, istum dat Christus, consecrando & porrigendo sacramentum. Vterque cibus est spiritualis Christi, vnde & de Apostolico dicit Ambrosius, manduca illum & non deficies, quòd solus Christus præstat, non Apostoli: sed Apostolicus cibus mãducatur spiritualiter, credendo, Christi cibus, manducatur propriè, toto homine, totum Christum ex eiusdem mandato, amplectente. Sed nisi illum cibum Apostolicum antea manducauerimus, non dignè accedimus ad cibum Christi. Itaque illum manduca, vt postea venias ad cibum Christi, hoc est, per fidem suscipe Christum ab Apostolis prædicatum, vt per mysticam benedictionem suscipias eum ad perficiendam vnionẽ, corporaliter datum, vt quem fide manducasti, veritates eius credendo, etiam corpore & spiritu carnem eius manduces in Sacramento. Ex qua manducatione quæ sequantur vtilitates, quoniam isti Sectarij quærunt, ex hoc loco Ambrosij discere queant, quem eo liben-

tius feci vt huc transferrem. Sed & differẽtiam manducationum in eodem vocabulo, cibus, notauit Hieronymus iis verbis: Porrò quia caro domini verus eſt cibus, & ſanguis eius verus eſt potus, iuxta anagogen hoc ſolum habemus in præſenti ſeculo bonũ, ſi veſcamur carne eius, cruoréque potemur, non ſolùm in myſterio, ſed etiam in ſcripturarum lectione, verus enim cibus & potus qui ex verbo Dei ſumitur, ſcientia ſcripturarum eſt. Hæc Hieronymus, qui veritates non committit, vt iſti figuratores, vt alia aliam pellat: ſed diſtinguit commodè, & ſuum cuique honorem defert. Caro Chriſti eſt verus cibus, Scientia item ſcripturarum eſt verus cibus, ab vno Chriſto vterque cibus, vnde & ſcientia ſcripturæ caro & ſanguis per allegoriam prædicetur, neque ſolùm ſuſcipimus carnem propriè in myſterio officio corporis, ſed etiam in lectione officio mentis, quæ fit per fidem. Quòd ſi Hieronymo vnus eſſet ſuſceptionis modus, myſterium à lectione non diuiſiſſet. Chryſoſtomus, ſub nomine panis cibum ſentiens, ita ſcribit, Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: panem verò ſiue doctrinam hoc in loco, & ſalutem & fidem in ſe, ſiue corpus ſuum dicit, vtrunque enim animam fortiorem reddit. Ecce quomodo Chryſoſtomus manducare doctrinam, quæ fit per fidem, diſtinguit à manducatione corporis Chriſti quæ fit in ſacramento, & vtrunque (inquit) animam fortiorem reddit, ne eandem credamus manducationem ſpiritualem & ſacramentalem, nec corpus ſignificare hîc doctrinam, à qua diſtinguitur disiunctione, dum dicit (ſiue corpus.) Cyrillus manducationes ab effectu euidentiſsimè diſtinguit, quatenus illa ſcribit: Vniuntur autem etiam Deo, & modum ipſe Saluator aperuit, dicens: Ego in ipſis, & tu in me, vt in vnum ſint conſummati. Corporaliter enim filius per benedictionem myſticam nobis vt homo vnitur, ſpiritaliter autem vt Deus, ſui ſpiritus gratia noſtrum ad nouam vitam, & diuinæ naturæ participationem, ſpiritum redintegrans. His verbis Cyrillus corporalem vnionem nobis cum Chriſto, ita à ſpiritali diſtinguit, vt corporalem dicat fieri per benedictionem myſticam, id eſt, Euchariſtiam. Auguſtinus autem manducationem ſacramentalem à ſpiritali diſtinxit, ita loquens: Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat dilectiſsimi, vt carnem Chriſti & ſanguinem Chriſti non edamus tantùm in ſacramento, quod & multi

Hierony. in Eccleſiaſtẽ. cap. 3.

Chryſoſt. in Io. hom. 45

Cyrillus in Ioan. li. 11. cap. 27.

Auguſt. in Io. trac. 27

mali : ſed vſque ad ſpiritus participationem manducemus & bibamus, vt in domini corpore tanquam membra maneamus, vt eius ſpiritu vegetemur, & non ſcandalizemur etiamſi multi modò nobiſcum manducant & bibunt temporaliter ſacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta. Hoc in loco Auguſtinus apertè oſtendit, aliam eſſe manducationem ſacramentalem à ſpiritali, vbi veſcimur vſque ad participationem ſpiritus, quod mali in ſacramento eandem carnem domini ſumentes non faciunt. Nec dicit Auguſtinus malos nihil aliud ſumere quàm panem, quod figuratores garriunt: ſed de carne Chriſti loquitur, quam dicit edere multos malos, & ſubdit, ne ſcandalizemur quòd ſumant nobiſcum mali ſacramenta, quod ſine cauſa diceret ſi hanc differentiam iſtorum figuratorum probaſſet, malos non manducare carnem domini, ſed inde ſcandalizentur infirmiores, parem bonis & malis exhiberi gratiã, quaſi Deus iuſtum ab impio non diſcriminet, atque hoc ſcandalum vt mentibus piorum eximat Auguſtinus, illam addidit ſententiam, qua & Dei benignitas, ſe exhibentis ex æquo bonis & malis, prædicatur, & malorum notatur indignitas, quo nomine pœnas olim dabunt æternas, quod ſic effert Auguſtinus, etiamſi multi modò nobiſcum manducant & bibunt temporaliter ſacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta. Hîc dicet figurator, Auguſtinum panem ſentire, ex quo fit ſacramentum. Imò carnem & ſanguinem dicit, quæ in ſacramento dantur, atque id hoc loco apertè dicit, & illa nobiſcũ ſumere malos dicit, Vnde oſtendit nos ore excipere, quod mali cum bonis cõmuniter faciunt, quum fide nõ ex æquo hæc iſta intelligant & guſtent. Vnde Theophilactus ait, contemplatiuum vt vinum, ſanguinem Chriſti bibere, quod cor lætificet. Sed quoniam eo loco Theophilactus corporalem carnis Chriſti manducationem in ſacramento eleganter diſtinguit, erit operæpretium illius verba adſcribere, qui ſic ſcribit ſuper Ioannem: Vbique autem vitæ meminit, & crebrò hoc nomen addidit, quia nil... ita ſuaue hominibus, vt res illa. Igitur & tu potes non ſolùm ſecundum myſticam communionem comedere & bibere carnem & ſanguinem domini, ſed & alio quodam modo, etenim & carnem quidem manducat aliquis, quando per practicen incedit. Caro enim operatiua eſt, ſicut & practice laborioſa, ſanguinem verò bibit v.

Theophilactus in Ioã. cap.6.

vinum

vinum,quo cor cõtemplatiui lætificatur. Ecce Theophilactus,quatenus alium notat modum à ſacramentali communione, non confundit (quomodo figuratores iſti) modos, quaſi vnus ſit modus manducationis, videlicet ſpiritualis, cui volunt in cœna annexa ſymbola: Sed modum notat Theophilactus,incedere per practicen, quod eſt, Chriſtum vita exprimere,vt ſicut communicamus Chriſti paſsionibus in ſacramento, ſic etiam communicemus in actione vitæ, ac laborioſa practice, & ſecundum hunc manducandi modum, notauit Baſilius, carnem Chriſti ſignificare omnem Chriſti quam in terris egit vitam, vt eius veſtigia ſequamur. Quæ piæ intelligentiæ non perimunt apud iſtos veritatem myſterij, quæ proprio ſenſu immota manet, vt quia ſit quædam per fidem ſpiritualis manducatio, dum quod piè meditamur exprimitur opere: non ſit igitur illa in myſterio, vnde magis ac magis corroboremur, arctius adiuncti Chriſto, ſine quo nihil poſſumus, & quo gloriatur Paulus ſe poſſe omnia. Et quoniam Bernardus has manducationes luculenter diſtinguit, eius ſententia addetur pro coronide, vt deſinam meis verbis moleſtus eſſe. Ille ſic ſcribit: Comeſtio itaque ſacramentalis, quantum ad viſibilem ſpeciem,& quantum ad corporis Chriſti veritatem, conuenit bonis & malis communiter, ſed eſt alia comeſtio, ſicut iam diximus, bonorum ſolummodo,quam per Dei gratiam & per fidem, ex dilectione operantem, vitæ meritum efficit,& affectus mentium in cordibus percipientium vel miniſtrantium, intercedenti ſpirituali & ſubtiliori quadam vnione capitis & membrorum. Hæc Bernardus, qui iis verbis multas iſtorum conuellit calumnias,quas indignè intendunt Catholicæ veritati. Vnde videas etiam Lector, quàm ineptè garrit in ſuo argumento hic argutator, de cibo Chriſti ſpiritualiter edendo, quod niſi fiat, nobis non prodeſt, ſed editur ſacramentali manducatione,vbi os, facies, mentum, dens, guttur, lingua, palatum adſunt, cum homine toto, qui ſi Chriſtum indignè tractet, exitium manducat & condemnationem, quia bono malè vtitur. Chriſti autem corpus ab iſtis non patitur,etiamſi ab homine indignè accipiente fiat cõtumelia, quem domini manet grauiſsima vltio.

Baſilius epiſt.141.

Philip.4.

Bernardus ſer. de Cœna domini.

OBIICITVR 90.

NVLLVM EST DISCRIMEN INTER SPIritualem manducationẽ, quæ habetur in Ioannis cap. 6. & illam quam Dominus instituit in vltima cœna, nisi quòd ei doctrinæ atque promißioni, quam prius tradiderat, adiecit symbola: Ergo non est alia corporalis Christi manducatio ponenda, nisi tantùm symbolorum.

RESPONDET CATHOLICVS.

ANtecedens est asseueratio mera, quæ sola audacia nititur fortiter mentientis. Quòd Christus in sexto Ioannis de carnis suæ esu generaliter docuit, tum quòd de danda carne sua in cibũ specialiter promisit: vtrunque Christus ad Eucharistiam pertinere ipsa sacramenti institutione ostendit, quum credentibus Apostolis, sub ipsa visibili specie elementi, corpus suum in mysterio, inuisibiliter præsens, traderet dicens, Hoc est corpus, &c. Quatenus enim verè carnem suam daret, eatenus illi pollicitationi satisfacit, quum diceret, Et panis quem ego dabo, caro mea est: quatenus autem suos, corpus quod dedit, manducare iubet illo vno verbo, (manducate) vniuersam doctrinam de manducatione quasi repetit, vt non de sola carne, sed & de spiritu cogitent, & vt spirituales se parent ad escam spiritualem digerendam. Neque enim quod isti nostri figuratores volunt, Christus tanquam promissa de danda carne negligens, symbolis pro verbis visibilibus vsus, nihil aliud quàm priorem doctrinam refricauit: Imò in promissis verax, ipsam se carnem dare luculenter expresit, dicens, Hoc est corpus meum.

OBIICITVR 91.

IN EVCHARISTIA CHRISTVS INstituit Sacramentum, Ergo omnia sunt accipienda illic sacramentaliter, & nihil realiter, nec plus addendum, quàm sacramentalis ratio postulet.

Si sacra-

RESPONDET CATHOLICVS.

Si ſacramenta nouæ legis nihil aliud eſſent quàm ſignificationes, quod Sacramentarij (qui dicuntur Sectarij) ſentiunt: rectè opponerentur in illis, realiter & ſacramentaliter, vt quod ſacramentaliter eſſet, nõ eſſet ea ratione realiter. Nunc autem quum ſecundum catholicam doctrinam ſacramenta nouæ legis non ſignificent ſolùm, ſed etiam exhibeant, deo in illis operante quod ſignificatur: & quũ in Euchariſtia præſertim, ex Chriſti verbis doceamur adeſſe verum corpus Chriſti: ea credenda eſt veritas ſacramenti, quam Chriſti inſtituentis verba ſpecialiter exprimunt, nõ quam communiter intellecta nominis ſacramenti ratio perſuaderet. Quare quod reipſa in ſacramento præſens eſt, realiter, hoc eſt, ſecundum rei veritatem, dicitur adeſſe, nec plus eo verbo additur, quàm ſacramenti ratio poſtulat, ſed latens veritas eo verbo ſignificanter illuſtratur.

OBIICITVR 92.

NON EST REMISSIO PECCATORVM NI*ſi per fidem, Sed Papiſtæ attribuunt corporali mãducationi Chriſti, remiſsionem peccatorum, Ergo attribuunt eam operi operato, & non ſolùm fidei.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Sine fide impoſsibile eſt placere deo, cuius opus noſtra cauſa in carne operatum per mortem, non amplius operandum, & in nobis operatum, vel in ſacramẽtis, vel extra ſacramenta, cauſa eſt prima & pręcipua ſalutis, vt meritò illi tribuatur remiſsio in nobis peccatorum. Cui operi operato licet nos efficiamur cooperatores, dum credimus, dum baptizamur, dum myſtica benedictione fruimur, vel aliorum ſacramentorũ gratiã ſuſcipiamus: quatenus tamẽ quod operis à nobis fiat, cum opere operato dei cõferatur, ità quod noſtrum eſt, ipſa tenuitate ſua veluti in ſole luminis lichnus obſcuretur, vt conuenienti loquendi forma negetur prorſus: iuxta illud, Non eſt volentis neque currentis, *Roma.9.*
ſed miſerentis dei: & tamen velle noſtrum & currere, eſt aliquid, ſed nihil ſi conferatur cum dei miſericordia, à qua ipſum noſtrum velle

& currere posse,totum manat. Quâre quum qui sic docent in sacramento conferri gratiam ex opere operato, dei opus sentiant in iis operantis,etiamsi nostrum adiungant, qui vel cooperamur , vel non ponimus obicem. Stultisimè opponunt isti solam fidem operi operato,quum sit opus à deo operatũ, vt credamus in illũ. Sed vt partes argumenti summatim excutiam,deus vel fidentibus (si fidei do ni sint capaces) vel fidei sacramẽto initiatis remittit peccata, tanquã fidei dono nos reddens idoneos amplectendæ misericordiæ, vt dici posit,nisi per fidem non contingere remisionem peccatorũ, quod est incredulis eam non dari. Quod verò quidam tribuunt manducationi sacramentali remisionem peccatorum, de digna sentiunt manducatione,quæ nisi cum fide non est. Et quemadmodum in illis locutionibus,Si credideris saluus eris,Si baptizatus fueris, saluaberis:ita si quis scripserit,(quod apud neminem legi) Si manducaueris Eucharistiam, remittentur tibi peccata, & tamen qui doceant venialium remisionem obtineri sciam, ita tamen præponeret opus dei operantis in nobis, dum credimus, dum baptizamur, dum manducamus, vel quomodocunque deo cooperemur nos, vt opus operatum dei esse intelligatur, cui quicquid inde nobis accedit boni,asignetur, vt nihil vnquam audiuerim hac collectione stultius.

OBIICITVR 93.

HOC EST MANDVCARE CARNEM CHRIsti, *& bibere eius sanguinem, manere in Christo, & habere Christum manentem in se. Sed hæc manducatio est spiritualis tantùm: Ergo non est corporalis manducatio carnis Christi: nec mali manducant, quia non manent in Christo,nec Christus in eis.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NOtatur iis verbis,Hoc est manducare &c.non tã modus manducationis, quàm effectus destinatus & proprius,qui tamen vitio manducantium non semper consequitur, nec quia extra sacramenta confertur gratia, excluditur vsus sacramentorum. Iam verò, quum illi aperiant veritatem catholici, vt spiritualem mãducationem à sacramentali distinguant, quæ tãdem est hæc illatio, à positione vnius alterum

terum excludere? quando nihil prohibeat vtrunque consistere, nec sit hæc, quam profert hic argutator definitio manducationis: sed expositio, quam propter sensuum fœcunditatem nihil habet absurdi variari. Quin & Augustinus hoc ipsum manducare exponit variè, alibi manere in Christo, alibi compati Christo, alibi Christi passionem meditari, alibi manducare Christum in sacramento, alibi credere, alibi doctrinã manducare, alibi facere volũtatem Christi, quę varietas pietatem in nobis augeat, non contentionem.

OBIICITVR 94.

EX HAC OPINIONE SEQVERETVR, *tam fideles quàm infideles recipere corpus Christi, quod est falsum, nã corpus Christi non potest diuelli à spiritu Christi. Sed infideles nõ percipiunt spiritum Christi: Ergo non possunt recipere corpus. Non percipiunt spiritum, quia carent instrumento, quo suscipiunt spiritualia.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ILLA veritas ex catholica doctrina rectè sequitur, bonos & malos, id est dignos & indignos, quum Eucharistiam accipiunt, idem substantia sacramẽtum sumere. Vnde idem dedisse dominum Iudæ quod reliquis Apostolis, Patres catholici confitentur, quod & Paulum Corinthios docuisse constat, quum indignè manducantes, corporis Christi reos faciat. De Ethnicis autem, quoniã omni fide destituti, nec fidei sacramento initiati sunt, si casu in Eucharistiam inciderent & deuorarent, idem fortasse quod de brutis, à quibus in ratione manducandi non multum distant, sit dicendum. Solo enim corpore comedunt, quum animus nesciat esse sacramentum, vnde species illas, vt reliquos cibos, sine omni ratione sacramenti deuorant, quo fit vt manducatio eiusmodi purè sit corporalis, non sacramentalis. Mali verò Christiani quoniam sacramentum esse intelligunt, sacramentaliter quidem manducãt & excipiunt, licet polluto & indigno ore, sacramentum, quod ad vitam tamen nõ manducãt, quia obstat in illis malitia, ne quod spirituale est, prorsus spiritualiter digeratur, vnde vertitur illis in exitium & condemnationem. Nam (vt quidam scribit) licet corpus Christi sacramentaliter sumẽtes,

tes,

tes, ſpiritum etiam Chriſti ſumant per concomitantiam eiuſdem corporis, ſcilicet in exteriorem hominem, in interiorem tamen hominem eundem ſpiritum per gratiam non admittunt, ſecundum quam in illis operetur. Ergo quod hic argutator ait, ſpiritum à corpore Chriſti non diuelli, maximè docent catholici & illud vna, ſpiritum domini qui replet orbem terrarum, cuius præſentia quæque creaturæ in ſua eſſentia conſiſtunt, ſic ingredi malos, vt in illis ſit eſſentialiter, in quibus tamen non eſt efficaciter per gratiam. Carét enim mali inſtrumento quo fructificent, ſpiritu, & dicuntur tamen ſpiritum domini contriſtare, quoties ſpiritu indigna moliantur. Illud nobis expediat hic argutator, quomodo in infidelibus fructificat fidem ſpiritus, ſi ante fructum fidei iam editum, nequeat idē ſpiritus quaſi deficiente inſtrumento ad illos infideles penetrare? Sed quis nouit vias domini, vt eas ad liquidum queat explicare? Cæterùm quoniam huius veritatis dilucida explicatio, & omnem iſtorū figuratorum machinam diſſoluit, & illum fidei colorem fucatum detergit, qua quandam fingunt præſentiam conſtitui corporis, quæ in ſacramenti conſtitutione omnipotentia dei non eſſet: operæpretium me facturum arbitror, ſi conſentiēs patrum teſtimonium huc citauero, vt oſtendam ſubſtantiam Euchariſtici ſacramenti vnā eſſe bonis & malis, & in illo bonis pariter ac malis verum Chriſti corpus & ſanguinem ex æquo dari, & omnibus verè dari, malos perinde ac bonos in os admittere, & admittere vtroſque, vt ineptiſsimum ſit illud argumentum, ex verbis Pauli collectum, quòd de indignè manducantibus loquens non nominet corpus, ſed dicat, Quicunque manducauerit panem. Ergo in hoc loco diligenter excutiendo vertitur cauſæ cardo, nam ſi mali corpus Chriſti ſumunt, apparet illud omnipotentia dei in conſtitutione ſacramēti præparatum, & in menſa poſitum, & ibi eſſe veritatem, non conuerti in veritatem ſuſcipientium fide. Ex omnibus patribus afferam clariora teſtimonia, incipiā autem ab Origene, qui ſic ſcribit: Iudicium dei paruipendis, & commonentem te eccleſiam deſpicis? communicare non times corpus Chriſti, accedens ad Euchariſtiam quaſi mundus & purus, quaſi nihil in te ſit indignum, & in iis omnibus putas quòd effugias iudicium dei. Non recordaris illud quod ſcriptum eſt, quia propterea in vobis infirmi & ęgri, & dormiunt multi, quare multi infirmi, quoniam

Origenes in Pſal. 37

niam non seipsos diiudicant, neque seipsos examinant, neq; intelligunt quid est cõmunicare ecclesiæ, vel quid est accedere ad tanta & tam eximia sacraměta, patiuntur hoc quod febricitãtes pati solent, quum sanorũ cibos præsumũt, sibimetipsis inferentes exitium. Hæc Origenes qui alloquitur indignũ, qui nõ timet accedere ad corpus Christi, ad Eucharistiã videlicet. vbi notat Origenes talem, præsumentem accipere cibum sanorũ, pati idem quod febricitãtes. Adeò secundum hunc, eundẽ cibum sumunt sani & infirmi, qui suscipiũt Eucharistiã, videlicet corpus Christi, quod ex eodẽ Origene audies clarius: Quãdo (inquit) sanctum cibum, illúdque incorruptũ epulũ accipis, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinẽ domini, tunc dominus sub tectũ tuum ingreditur, & tu ergo humiliãs temetipsum, imitare hũc Centurionẽ, & dicito, domine non sum dignus vt intres sub tectũ meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudiciũ ingreditur accipienti. Hactenus Origenes, qui hũc nodum ita dissoluit, vt nimium sit impudens qui audeat contrà hiscere, nam per manducationem fieri dicit vt dominus ingrediatur istum indignũ, & vt illa cauillatio eludatur quam toties obganniunt, symbola obtinere nomẽ rerum, & ideo corpus & sanguinem significare panẽ & vinum. Origenes vt ista excludat, dicit cibum hunc sanctum & incorruptum epulum, quum symbola corrumpi fateantur isti, nec hoc cõtentus Origenes, dicit dominum ipsum ingredi hunc indignũ, quod necesse est intelligi fieri vi sacramenti, quoniã sub illis visibilibus adest expositus iis qui illũ suscepturi sunt, vel ad vitã vel ad mortem. Adeò quanuis Christus promittat manducantibus carnẽ, vitam: id tamen ita cũ modo dici intelligit Origenes, quem illa sententia latere non potuit, vt dominum authorẽ vitæ dicat ingredi indignũ, ad iudicium accipienti. Sed in loco tam aperto sum nimius. Audiamus nũc Cyprianum, Illi (inquit) contra Euangelij legem, vestram quoq; honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim grauissimi atq; extremi delicti factã, ante manum ab Episcopo & clero in pœnitentiam impositam, offerre pro illis & Eucharistiam dare, id est, sanctũ domini corpus prophanare audeant, quum scriptũ sit, Qui ederit panem aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Hactenus Cyprianus, qui indignè manducãtes di-

Idem hom. 5. in diuersos.

Cyprianus lib. 3. epi. 15

cit accipere corpus, alioqui quomodo prophanarent, & id fieri non debere, probat ex illis verbis Pauli, Quicũque manducauerit indignè &c. Dicet fortasse figurator, nõ loqui Cyprianũ de prorsus malis, addam igitur quod dicit alibi Cyprianus: Iacens stantibus & integris vulneratus minatur, & quod nõ statim domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto domini sanguinẽ bibat, sacerdotib⁹ sacrilegus irascitur. An nõ iis verbis Cyprianus de malis loquitur, quos dicit sacrilegos? quorũ manus dicit inquinatas, & tamen de iis dicit, ꝙ ore polluto domini sanguinẽ bibant, & manibus inquinatis corpus domini accipiãt. Hîc aderit cauillator, & clamabit symbola significari nominibus rerũ, quia corpus domini nõ potest tangi propriè. Imò secundũ rationem mysterij propriè, quum visibilia pro fimbria sint, vt inquit Chrysostomus, & sub illis visibilibus adest vera corporis substantia. Sed quomodo intelligat Cyprianus, malos accipere in sacramento: ipse se suis verbis explicabit, qui sic scribit: Sacramenta quidẽ quantum in se est, sine propria esse virtute nõ possunt, nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysteriis, sed quanuis ab indignis se sumi vel contingi sacramẽta permittant, nõ possunt tamen spiritus esse participes, quorũ infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudini cõtradicit. Ideóque aliis sunt hæc munera odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, quia omnino iustum est vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mansionẽ. Hæc Cyprianus, qui diuinam maiestatem nullo modo se absentare dicat, quæ verba, Christi corporis præsentiã apertissimè indicant, & à malis & indignis sumi. Deinde ex istis Cypriani verbis illorũ frangũtur dilemmata, qui ita distribuunt, vel spiritus Christi est cũ corpore, vel non est. Non esse ne dicamus, prohibet vnionis mysterium, esse si dicamus, absurdũ sequitur, deum inhabitare peccatorẽ, cui occurrit iste Cyprianus, & dicit sumi quidem à malo diuinam maiestatẽ, sed nõ facere ibi mãsionem, & eundem dicit odorẽ, sed aliis vitæ ad vitam, aliis mortis in mortem, & licet mali sumant spiritum, nõ possunt tamen esse eius participes, quia eorum infidelitas & indignitas tantæ puritati cõtradicit. Et in hanc sententiã scribit Arnobius, Sicut ignis iustis proficit ad splendorem, ad vsturã infertur iniustis: fex tamẽ calicis non exinanitur, vt bibãt non pauci, sed omnes peccatores terre, quod

Cyprianus de lapsis.

Chryso. ho. in Enceniis

Cyprianus ser. de cœna

Arnobius in Psal. 74

ꝙ vno eodémque poculo aliis ſalus, aliis interitus veniat, etiam hodie qui indignè guſtauerint. Vnde ſalutem dignè guſtãtes, hauſerũt inde, iſti (vt ait Apoſtolus) ſibi iudicium ſumũt. Hæc Arnobius, qui idem indignũ quod dignũ ſumere ſentit, quem nõ erat neceſſe huc citare, niſi vt Patrum videas catholicorũ conſenſum. Audiamus ergo quid dicat Hilarius, ille ſcribit: Habemus hîc cibũ ſpiritualem animam noſtrã in vitam alentem, bona ſcilicet opera, caſtitatis, miſericordiæ, patientiæ, tranquillitatis, in quibus nobis cõtra corporum noſtrorũ vitia laborandum eſt. Horum laborũ fructus in æternitate eſt, ſed labor hic æternorũ fructuũ antea comedẽdus eſt, eóque in vita hac corporali anima noſtra alẽda eſt per cibum horum laborũ obtinentem panem viuũ, panem cœleſtem, ab eo qui dixit, Ego ſum panis viuus de cœlo, quem qui indignè ſecundũ mandatum Apoſtoli acceperit, iudicium ſibi acquirit. Hæc Hilarius, qui citans verba Pauli de indignè manducante, dicit apertè panẽ viuum de cœlo deſcendentem, poſſe indignè accipi, quæ verba niſi de vero Chriſti corpore, intelligi nõ poſſunt, quod propter vnionẽ naturarũ poteſt dici panis, qui de cœlo deſcẽdit. Sed huc accedat Baſilij teſtimoniũ, qui ſic habet: Debemus itaque attendere, quid ſit iudicium eius, qui indignè edit ac bibit. Nã ſi qui fratrem quoq; per cibum contriſtat, à charitate excidit, ſine qua magna quoq; chariſmata & iuſtificationes quoque operantia, nihil proſunt, quid de eo dicendũ eſt, qui ocioſè & inutiliter edere audet corpus, & bibere ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti, & hac ratione plus aliquanto cõtriſtat ſpiritũ ſanctum, dum ſine ſocia charitate veſcitur, & veſcitur tamẽ, inquã ego, ſed vt Cyprianus dixit, ſpiritus, & tantæ gratiæ puritas nõ facit manſionem, quod ipſum Baſilius intelligit per contriſtationẽ ſpiritus, ꝙ ab eo recedat. Vnde quũ ab eodẽ Baſilio quæreretur, quanto cum timore, qualíve cum animæ perſuaſione affectionéve, corpus & ſanguinẽ Chriſti cõmunicemus? ita reſpõdit: de timore quidem habemus Apoſtolum, qui ait, Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. fidem autem faciũt verba domini, qui dixit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam cõmemorationẽ. Secundũ quę in Liturgia ſua ſic orat: Fac vt nemo noſtrum ad iudiciũ & cõdemnationem ſit particeps ſancti corporis & ſanguinis Chriſti tui, ſed vt inueniamus miſericordiã & gratiã cum

Hilarius in Pſal.127.

Baſilius de baptiſ. cap. vltimo.

Idem in regulis interrog.172.

Idem in Liturgia.

omnibus sanctis. Hactenus Basilius, qui nisi sensisset ex verbis Pauli malos sumere corpus Christi ad condemnationem, nunquam iis verbis, ne id fiat, suas concepisset preces. Consentit his Hysichius, celebris author, sic scribens: Si quis templum dei violauerit, disperdet illum deus, propter quod sanctuarium eius paueamus, vt nec corpus nostrum polluamus, neque ad corpus Christi, in quo est omnis sanctificatio (in ipso enim omnis plenitudo diuinitatis inhabitat) sine subtili diiudicatione nostri temerè accedamus, sed prius nosmetipsos probemus, reminiscẽtes eius qui dixit, Quicunque comederit panem, aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Hæc Hysichius, qui corpus Christi ab indignis accipi sentit ex illis verbis Pauli, Quicũque comederit panẽ indignè, &c. & ne sola symbola à malis accipi sentire eũ putemus, (quomodo figuratores volunt) loquitur de corpore in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, vt non corporis figurã, sed ipsum verũ corpus sentire eũ ĩtelligamus. Ab hoc videamus quid sentiat Ambrosius, cuius verba hæc sunt: Ideo multi in vobis inualidi & ęgroti, & dormiunt multi, vt verũ probaret, quia examẽ futurũ est accipientium corpus domini, iam hîc imaginem iudicij ostendit in eos qui incõsideratè corpus domini acceperunt, dum febribus & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur, vt in iis cęteri discerẽt, & paucorum exẽplo territi emẽdarentur, non inultũ scientes corpus domini negligẽter accipere, & eũ quẽ hîc pœna distulerit, grauiùs tractatum iri, quia contempsit exemplũ. Hoc in loco Ambrosius Pauli verba interpretans, ita exponit, vt licet Paulus appellet quod ab indignis sumitur, nomine panis, (de quo cauillãtur isti) tamen secundũ Ambrosiũ intellexit Paulus corpus ipsum Christi ab indignis sumi, quo nomine pœnas dicit dedisse. Atq; vt intelligas lector Ambrosiũ nõ de symbolis loqui, sed ipso corpore, citabo ex eodẽ Ambrosio quod scribit in epistolam ad Hebræos in hæc verba: Et quomodo conculcat quisquam filium dei? quando enim eo indignè participatur per sacramenta, nónne grande peccatum committit, nónne illũ conculcat, nónne ipsum cõtemnit? His verbis Ambrosius notat malos in sacramento participare filio dei, quia secundum Cyprianum non se absentat diuina maiestas, & dominum ingredi malos apertè dixit Origenes, quorum sentẽtiam hîc Ambrosius secutus est. Atq; hæc

Hysichius in Leuit. li. 6. cap. 26.

Ambro. in epist. 1. Corint. 11.

Idem in epistola ad Heb. 10.

hæc de Patribus ſuffeciſſent, niſi quod propoſitũ eſt, ex ſelectiſsimis quid ſenſerint, ſeparatim proferre. Itaque venio ad Chryſoſtomũ, ex quo nõ omnia loca, ne te Lectorem grauem, ſed ex apertioribus proferã aliqua. Sic enim ſcribit, Cogita quanta indignatione aduerſus proditorẽ, aduerſus eos qui crucifixerũt ipſum mouearis, & caue ne tu quoq; corporis & ſanguinis Chriſti reus efficiaris. Illi acerbiſsimè trucidarũt, tu poſt tot tantáq; beneficia, ſordida ſuſcipis anima. Aduerte Lector, non loqui Chryſoſtomũ de ſymbolis, & ita loqui, ne poſsit eſſe locus cauillo, de ſymbolis dici quod de rebus ipſis, nam populum alloquitur Chryſoſtomus, quẽ ita inſtruit tam certa veritate, ſuſcipere eos ipſum dominũ anima ſordida, quàm Iudæi ad mortem rapuiſſent Ieſum, quòd ſi in ſacramento nihil aliud quàm figurã eſſe ipſo docente ſenſiſſent, hæc doctrina illi ſtultitiæ feneſtrã aperuiſſet, vt pro Chriſto Symonem Cyrenæum crederent crucifixum, quemadmodum panis in indignè ſuſcipiente pro Chriſto pateretur. Sed Chryſoſtomus verum Chriſtum ab homine ſordida anima ſuſcipi ſentit, non Chriſti figuram, vnde quàm grauiter tulerat indigno dari corpus domini, illa ſententia eius oſtendit, qui ſacerdotem ſic alloquitur: Quòd ſi ipſe pellere nõ audes, mihi dicas, non permittam iſta fieri, animam prius tradam, quàm dominicum corpus alicui indignè, ſanguinémq; meum effundi potius patiar, quàm ſacratiſsimum illum ſanguinem præterquam digno cõcedam. Hæc Chryſoſtomus, qui hac dicendi vehementia, ad animi dolorem exprimendum nunquam vſus eſſet, ſi nihil aliud acciperet indignus præter panem, quomodo Paulum intelligunt figuratores, ſed aliter intellexiſſe Chryſoſtomum probat quod ſequitur ex eodem: Sed ſicut magnum eſt atque admirabile: ita ſi purè acceſſeris, ad ſalutem acceſsiſti, ſiue praua cõſcientia, ad pœnam & ſupplicium. Qui enim manducat & bibit indignè corpus & ſanguinem domini, iudicium ſibi manducat & bibit. Nam ſi qui regiam purpuram coinquinant, haud ſecus quàm qui ſcindunt puniuntur: quid mirũ ſi qui immunda conſcientia Chriſti corpus accipiunt, idem ſupplicium ſubeant, quod qui eum clauis affixerũt? Hîc audis immunda cõſcientia corpus Chriſti ſuſcipi, apertiſsimis verbis, & tamen expectem vt ex figuratoribus quippiam inde cauilletur, quod de regia purpura coinquinanda ſimilitudo ſit, quaſi de ſymbolis ſentiat Chryſoſtomus,

Chryſoſt. in Matth. Homil. 83.

Idem eadẽ Hom.

Idẽ in Ioã. Homil. 45.

quæ tanquam pura ſint regia,quum rex ibi non ſit. Cui reſpondeo, hac ſimilitudine vſum Chryſoſtomum, vt dignitati Chriſti à malis fieri contumeliã oſtendat Chryſoſtomus,ita tamen ne populus credat ipſum Chriſti corpus pati,quod eſt omni paſsione ſuperius.Ergo quomodo in purpura fit contumelia, ſine ſenſu principis contumeliam paſsi : ſic fit in corpore Chriſti dum à malis ſuſcipitur. Nam ſenſiſſe Chryſoſtomum non de ſymbolis, ſed de ipſo Chriſti corpore,qui cibus eſt ſpiritualis corporis & animæ,ſequens eiuſdem Chryſoſtomi locus demonſtrabit : Nemo ſit Iudas in menſa, Hoc ſacrificiũ cibus ſpiritualis eſt. Nam ſicut corporalis cibus,quũ ventrem inuenerit aduerſis humoribus occupatum, & amplius lædet,magis nocet,& nullum præſtet auxilium: ita & ipſe ſpiritalis cibus, ſi aliquem repererit malignitate pollutum, magis eum perdet, non ſua natura, ſed accipientis vitio.Pura igitur mens in omnibus, pura cogitatio, quia & ſacrificium purum eſt. Audis hîc Lector, cibum ipſum ſpiritalem à malo ſuſcipi, atq; hunc fatentur etiam figuratores eſſe ipſum Chriſti corpus, cuius abſentis figuram ſacramentum dicunt, ſed quàm nihil dicant de abſentia,euincit hic locus,qui ſpiritalem Euchariſtiæ cibum præparatum docet & à malis ſumi, ſine aliqua de inſtrumento , quomodo nugantur figuratores, hæſitatione, hoc eſt,quomodo ingrediatur pollutum hominem? Sed ne quid ex illa de purpura ſimilitudine hæreat,illud etiam proferam ex eodem Chryſoſtomo:Quòd ſi hominis veſtem nemo temerè attingeret,quo pacto omnium domini corpus purum & immaculatum, quod diuinæ illius naturæ particeps eſt, propter quod & ſumus & viuimus, propter quod portæ inferi fractæ ſunt, & cœlorũ apertæ tanta cum ignominia accipiemus? Iſta Chryſoſtomi amplificatio, à veſte ad corpus gradatione facta,oſtendit illum non ſentire de ſymbolis, quæ tanquã veſtis ſint, & illa ſolùm à malis ſuſcipi: ſed ipſum adeò corpus,id quod iis verbis manifeſtè declarat.Quod & illa quæ ſequuntur apertè oſtendunt : Tu verò oblationem accedens, quam & angeli exhorrent,temporum circuitu rem tantã metiris? & quomodo comparebis ante tribunal Chriſti, qui manibus ac labiis immundis ipſius audes attingere corpus? & regem quidem nolles ore tuo fœtido adoſculari, regem verò cœli animo graueolenti oſcularis? contumelia eſt res iſta. Hîc non à purpura regis,ſed ab ipſo rege

Idem Homil.de proditione Iudæ.

Idẽ in epiſt. 1.Corin.10. Homil.24.

Idẽ in epiſ. ad Epheſ. Homil.3.

ge sit similitudo, & ne à solo animo graueolenti contumeliam dicas irrogari, & manus & labia nominantur immunda, quia secundum Tertullianum corpus & anima iunguntur opera, ne separentur mercede, siue bene gesserint siue malè. Quare quum ex Chrysostomo hæc tam manifesta sint, vno adhuc ex eodem prolato loco, pergam ad alios. Chrysostomus in homil. 17. in epistolam ad Hebræos sic scribit: Plurimi ex hoc sacrificio semel accipiunt in toto anno, alij bis, alij sæpius, ad omnes ergo nobis sermo est, non ad eos qui hîc sunt tantùm, sed etiã ad eos qui in Heremo sedent. Illi enim semel in anno participantur, fortassis enim & post duos annos, quid ergo est? quos magis acceptabimus? eós ne qui semel, an eos qui sæpius? an illos qui rarò accipiunt? neque illos qui semel, neque illos qui sæpius, neque qui rarò, sed eos qui cum munda conscientia, qui cum mundo corde, cum vita irreprehensibili, isti semper accedant, qui verò tales non sunt, neque semel, quid ita? quia iudicium sibi accipiunt, & damnationem & supplicium. Hactenus Chrysostomus, qui iis verbis eorum stultam ratiocinationem reprobat, qui corporalem pręsentiam impedire dicunt frequentiam cõmunionis, quam iste non exigit, sed munditiam conscientiæ quum accedatur, concludens illis Pauli verbis, (quæ nolunt Pauli sensu intelligere figuratores) Qui comederit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Sed nunc accedam ad Hieronymum, ex cuius dictis quædam carpunt figuratores, quæ illorum sententiæ suffragentur. Ideò non vno Hieronymi loco contentus ero, sed quatuor subiiciam apertissima. Primus est aduersus Iouinianum in hæc verba: Opponis mihi Gomor Mannę, vnãque mẽsuram, & vestitũ, & capillos & barbam & calceamẽta, ex æquo fuisse Israelitarum, quasi non & nos Christi corpus æqualiter accipiamus. Vna est in mysteriis sanctificatio, domini & serui, nobilis & ignobilis, regis & militis, quanquã pro accipientium meritis diuersum fiat quod vnum est, qui enim indignè manducauerit & biberit, reus erit violati corporis & sanguinis Christi. Nunquid quia & Iudas de eodẽ poculo bibit, de quo & cæteri Apostoli, vnius cum reliquis erit meriti? Hîc garriet Sectarius, fatebor (inquiet) reum esse corporis propter violata symbola, quoniã quæ illis fit iniuria, redundat in dominũ, ergo vt hic conuincatur, illud ex Hieronymo proferendum est. Polluimus (inquit Hieronymus) panem,

Tertull. de resur. carnis.

Chrys. hom. 17. in epist. ad Hebr.

Hiero. contra Iouinianum. lib. 2.

Idẽ in Malach. cap. 1.

panem, id eſt, corpus Chriſti, quādo indigni accedimus ad altare, & ſordidi mundum ſanguinē bibimus, & dicimus, menſa domini deſpecta eſt, non quòd hoc aliquis audeat dicere, & quod impiè cogitat, ſcelerata voce proferre: ſed opera peccatorum deſpiciunt menſam Dei. Hîc vides cauillum de ſymbolo & pane ſublatū, nam interpretatur ipſum Chriſti corpus pollui, & mundum ſanguinem à ſordidis bibi, quod nō ſignificat in malis, fidei inſtrumento bibi: ſed oris bibendi ſignificatione propria. Nam & de ipſo Iuda, quem malum fuiſſe non dubitamus, corpus tamen & ſanguinē domini ſumpſiſſe in cœna cum cæteris, ita tradit Hieronymus, illud (Qui ſi-

Idē in Psal. 54. mecum dulces capiebas cibos) enarrans: Cum mandatis vitæ & voluntate patris plerūque refectus es. Cibus enim dulcis eſt, patris facere volūtatem, vt illud, Qui intingit mecum manū in paropſide, leuabit contra me calcaneum ſuum, vel cibus dulcis, id eſt, corpus & ſanguis Chriſti, quod ipſe accepit indignus. Vides intelligere Hieronymum, Iudam accepiſſe dulcem cibum, id eſt, corpus & ſanguinem domini, non ſymbola ſola, dulcorem ſignificantia: ſed ipſum corpus & ſanguinē domini, verè dulciora ſuper mel & fauum. Vnde ab immundis ſuſcipi poſſe corpus Chriſti, & tamē à ſolis mundis ſuſcipi oportere, idem Hieronymus in verbis illis Pauli inter-

Idē in epiſ. 1.Cor.11. pretandis, & aperit ſimilitudine, & ex figura docet, iis verbis, Probet ſeipſum homo, &c. Si in lintheum vel vas ſordidum, non illud mittere audet, quanto magis in corde polluto? quam immunditiam Deus ſuper omnia execratur, & quæ ſola iniuria eſt eius corpori. Nam & Ioſeph ille iuſtus propterea ſindone munda inuolutum, in ſepulchro nouo corpus domini ſepeliuit, præfigurans corpus domini accepturos tam mūdam mentem habere, quàm nouā. Hæc de Hieronymo dicta ſint ſatis, ſequitur vt audiamus Auguſtinum, qui licet conſonum reliquis præbeat teſtimoniū veritati: tamen ex quibuſdam eius ſententiis argutantur figuratores, diſsimulantes quæ idem tam apertè, tot in locis manifeſtè dicat, quemadmodum ex te-

Augu. cōt. liter. Petiliani. lib. 2. cap. 47. ius huc citatis verbis tu Lector perſpicies, qui ſic ſcribit: Non dicunt iſta niſi qui de menſa domini vitam ſumunt ſicut Petrus, non iudicium ſicut Iudas, & tamen ipſa vtrique fuit vna, ſed non vtrique valuit ad vnum, quia ipſi non erant vnum. Ecce ſecundum Auguſtinum vnam menſam propoſitam Petro & Iudæ, reddita etiam

cauſa

causa, cur non esset vtrique vna, quid autem esset illa mensa ita aperit Augustinus, etiam de Iuda loquens. Tollerat (inquit) ipse dominus Iudam, diabolum, furem & venditorem suum, sinit accipere inter innocentes discipulos, quod norunt fideles precium nostrum. Quî potuit exprimi significantius & efficacius, vt istis cauillatoribus præcidatur omnis materia argutandi? An symbola scilicet dicent precium nostrum? Sed insignis est Augustini locus ad Crescouium grammaticum, vbi sic habet: Quid de corpore ipso & sanguine domini, vnico sacrificio pro salute nostra, quanuis ipse dominus dicat, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam. Nónne idem Apostolus docet, etiam hoc pernitiosum malè vtentibus fieri? Ait enim, Quicunque manducauerit panem & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini, ecce quemadmodum obsunt diuina & sancta malè vtentibus? cur non & hoc modo baptismus? Hîc quũ Augustinus susciperet sibi probandum diuina & sancta malè vtentibus obesse, profert in argumentum corpus & sanguinem domini, quæ verè diuina sunt, quæ illa emphasi (etiam) exprimat, vt non de symbolis quæ significent, sed de corporis sentiat veritate, & ideò sic loquitur: Quid de ipso corpore & sanguine domini? & addit, vnico sacrificio, quæ verba (ipso) & (vnico sacrificio) de nudis appellationibus corporis & sanguinis nõ possunt intelligi, aut de symbolis, sed ipsam veritatem penetrant, & scriptura citata ab Augustino, de carnis & sanguinis veritate loquitur. Quæ quum ita sint, nisi idem corpus à malis verè sumeretur, nihil probasset Augustinus, nec rectè citaret Apostolum dicere, hoc esse perniciosum malè vtentibus, nam illud hoc corpus repetit & vnicum sacrificium. Sed tibi facio iniuriam Lector, qui in tam apertis diutius moror, sed istis cauillatoribus nihil est satis apertum, ergo alium ex Augustino locum proferam. Cùm verò (inquit Augustinus) boni & mali idem verbum Dei simul audiunt, & simul Dei sacramenta percipiunt, & tamen dissimiles habent actuum suorum causas, & dissimiles gerunt voluntatis diuersitate personas, eundem cibum sanctum, aliis mãducantibus dignè, aliis indignè: nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ. Hæc Augustinus, in cuius verbis mihi videtur magna vis, ad excludẽdas cauillationes, quòd dicat eun-

Idem. epist. 162.

Idem cont. Crescou. li. 1. cap. 25.

Idem post collationẽ. cap. 7.

dem cibum sanctum, aliis manducantibus dignè, aliis indignè su-
mi. Nam quatenus dicit (cibum) non symbola quæ videntur sen-
tit, sed de vero carnis cibo, illo videlicet spirituali nutrimento, san-
cto & inconsumptibili, (vt Cyprianus loquitur) qui est ipsum
Christi corpus, quod symbolis significatur verè adesse. Atque hoc
Idē in Apocalypsin. Homil. 2. corpus malos accipere, illis verbis Augustinus docet, dum sic ait:
Vincenti dabo manducare de manna abscondito, id est, de pane qui
de cœlo descendit, cuius figura fuit manna in Heremo, quam sicut
ipse dominus dixit, multi manducantes mortui sunt: sed & nunc
quicunque manducat indignè, iudicium sibi manducat. Hîc vides,
panem qui de cœlo descendit, ipsam figuræ veritatem, indignè ho-
die manducari secundum Paulum, quemadmodum figuram olim
Idē ad fratres in Herem. ser. 28 indignè manducarunt patres. Vnde verbis apertis sic dicit alibi Au-
gustinus: Corpus domini quod bonum est, malis malum est, & car-
nis stimulus malus est, & Paulo bonus est. Et alibi: Manducant de
In Psa. 48 corpore mali, sed non saturantur. Et alibi: Et tamen corpus Chri-
De Baptismo, lib. 5. cap. 8. sti nihilominus est iis qui indignè accipiunt, & idem odor, sed qui
non eodem suscipitur modo ab omnibus, & est modus quidam man-
In Ioann. tract. 50. ducationis quem vita sequitur & benedictio. Atque hoc Augusti-
nus annotauit iis verbis: Illud etiam quod ait, (Qui manducat car-
August. de verbis domini. Ser. 11. nem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in il-
lo:) quomodo intellecturi sumus? Nunquid etiam illos hîc pote-
rimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quòd iudicium sibi man-
ducent & bibant? Nunquid & Iudas Magistri venditor & tradito
impius, quanuis primùm ipsum manibus suis confectum sacrame-
tũ carnis & sanguinis eius, cum cæteris discipulis (sicut apertiùs L-
cas Euangelista declarat) manducaret & biberet: mansit in Chri-
sto, aut Christus in eo? Multi denique qui vel corde ficto carne
illam manducant, & sanguinem bibunt, vel quum manducauerin
& biberint, Apostatæ fiunt, nunquid manent in Christo, aut Chri-
stus in eis? sed profectò est quidam modus manducandi illam car-
nem, & bibendi illum sanguinem, quomodo qui manducauerit &
biberit in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocunque
modo quisquam manducauerit carnem Christi, & biberit sangui-
nem Christi, manet in Christo, & in illo Christus, sed certo quo-
dam modo, quem modum vtique ipse videbat, quando ista dice-
bat

bat. Hæc Augustinus, qui hoc vno in loco & cõfirmat malos idem sumere cum bonis, & confutat quæ viderentur obstare. Confirmat enim quatenus concludendo (vt omittam alia) apertissimè fatetur, ipsam Christi carnem quocunque modo sumi, vt in modo sumendi sit effectus varietas, non in re sumpta, quæ semper vna est, eadem est, ipsa veritas corporis & sanguinis est, sed quam mortales miseri non semper verè sumunt, nõ semper reuera manducant, hoc est, non vero modo comedunt, licet verum sit semper & idem, quocunque modo sumas, manduces, comedas. Et ideo te Lectorem cupio admonitum, vt quum legas in Augustino, illum non verè manducare, aut non manducare reuera corpus & sanguinem domini, qui non manet in eo. Illa vocabula (verè) & (reuera) determinant veritatem modi manducationis deesse, non veritatẽ eius quod manducatur, & ideò de malo rectè dicitur, quòd nec verè comedit, nec reuera manducat, quia nõ rectè manducat, nec vero modo manducat ad vitam, licet veram carnem manducet ad condemnationem. Et hinc est quòd dixi Augustinum confutare cauilla hoc loco, quòd ostendat ex modo manducationis variare effectum, quum res semper & bonis & malis sit eadem quæ manducatur, ipsa videlicet caro & sanguis Christi. Dices fortasse, & quísnã est iste modus quem sentit Augustinus, secundum quem si manducauerimus, manet in nobis Christus, & nos in illo? Age, quando id postulas, ex eodem disces Augustino. Videte fratres (inquit Augustinus) panem cœlestem, spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate, peccata etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite ꝙ dicatis, dimitte nobis debita nostra, &c. Et rectè inquam ego, qui enim spiritualiter non mãducat, haud potest dignè sacramentaliter manducare, & vtramque manducationem in bonis coire, & vt sacramentalis sine spiritali exitiosa est: sic spiritalis siue sacramentali angustior, iuncta verò vberior & augustior, vbi non solùm vt in spiritali, fidei & charitatis, sed ipsius etiam carnis sit arctissima coniunctio, vnde non solùm gratiam, sed fontem, authorem, & datorem gratiæ possideamus. Sed redeo ad authores. Atque hîc nobis occurrit Eucherius, qui sic scribit: Sacerdos qui arcam inconsiderata temeritate tetigit, ausus sui reatum immatura morte purgauit, vbi intueri necesse est, quan-

Idem de Ciuit. Dei. li. 21. cap. 25.

Idẽ in Ioã. tract. 26.

Eucherius in li. 2. Regum. ca. 6.

tum delinquat qui ad corpus domini reus accesserit, si deuotus ille sacerdos morte mulctatur, qui arcam illam, dominici videlicet corporis figuram, minori quàm debuit veneratione corripuit. Hæc Eucherius, qui quatenus figuram cum veritate confert, apertissimum dat testimonium malos ipsum corpus domini indignè dum sumunt attingere, nec de figura intelligere eum, quam externa symbolorum natura repræsentaret. His adiungendus est Oecumenius, qui Pauli verba interpretans sic scribit: Reus erit, Quod ait, reus erit corporis & sanguinis domini, hoc indicat, quòd quemadmodum Iudas eum tradidit, Iudæi verò in ipsum debacchati sunt: ita ipsum ignominia afficiunt, qui sanctißimum ipsius corpus manibus impuris suscipiunt, veluti tunc Iudæi eum tenuerunt, & execrando admouent ori. Quid potest desiderari his verbis clarius, qui sanctißimum corpus dicat manibus impuris tractari, & ori execrando admoueri? quæ verba veram corporis præsentiam testificantur, cuius perspicuitatis sunt alia eiusdem Oecumenij, eodem in loco, quæ sunt huiusmodi: Per hoc quod frequenter ait corporis & sanguinis domini: manifestat, quòd non sit nudus homo, qui immolatur, sed ipse dominus & factor omnium, vt videlicet per hæc ipsum exterreat à perceptione corporis & sanguinis domini, ac si ipse illud effudisset. Siquidem ipsi eum occiderunt, hic verò per indignitatem nunc eum videtur interimere. Quid habeat figurator quod hîc obganniat? An etiam non verebitur suam de symbolis cantilenam occinere? At ad hunc modum de symbolis non loquerentur interpretes, qui sedati & compositi tractant veritatem, atque id agunt vt veritatem aperiant, non celent figuris nominum & appellationum. Sed mittam figuratores, & agam quod agitur. Habeo enim ex Gregorio testimonium, dignum quod præcedentibus adiungatur, qui ita scribit: Valde ergo saturantur famelici, quia in donorum plenitudine super humiles sancti spiritus requiescit. Quod tamen contra negligentes sacri altaris ministros, atque audaces dominici corporis susceptores dici non inconuenienter potest. Repleti verò prius sunt, vitiorúmque cibo saturati, qui pro pane se locant, quia corpus ad susceptionem Eucharistiæ præparant, qui nimirum comedunt & saturari non possunt, quia etsi sacramentum ore percipiant, virtute sacramenti nequaquam

Oecumeni⁹ in epistola. 1.Cor.11.

Ibidem.

Gregorius in 1. Regũ, li.2.cap.1.

quaquam replentur. A virtute ergo sacramenti ideo ieiunant, quia prius repleti fuerant. Salutis quippe fructum non percipiunt in comestione salutaris hostiæ, quia ea quibus se repleuerant flagitia portant in mente. Non saturãtur ergo nisi famelici, qui à vitiis perfectè ieiunantes, diuina sacraméta percipiunt in plenitudine virtutis. Hęc Gregorius, qui quoniam malos dicit salutarem hostiam accipere, confitetur malos non symbola sola, sed quod continetur sacramento & significatur, ipsum domini corpus accipere, quod verè est hostia salutaris, & quatenus ad saturitaté alludit Gregorius, illud imitatur Augustini: Manducauerũt & adorauerunt diuites, sed non sunt saturati, quia non sunt imitati. Sed ex se est locuples Gregorij testimonium, & tam apertum, vt nec aliorum confirmatione egeat, nec nostra explicatione. Quare propero ad Bedam, cuius piam eruditionem & doctam pietatem ecclesia meritò veneratur. Hic quod ad hoc quod agitur attinet, ita scribit: Quid ergo miraris si datus est Iudæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo, quum videas datum Paulo angelum diaboli, per quem perficeretur Christo? Ita & malo bonum obfuit, & bono malum profuit. Recordamini vnde sit scriptum, Quicunque manducauerit panem, aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini, & de iis erat sermo, quum hoc Apostolus diceret, qui domini corpus veluti quélibet alium cibum indiscretè negligentérque sumebant. Hic ergo si corripitur, qui non diiudicat, hoc est, non discernit à cęteris cibis, dominicum corpus: quomodo damnatur qui ad eius mensam fingens amicum, accedit inimicus? si reprehensione tangitur negligentia cõuiuantis, qua pœna percutitur venditor inuitantis? Hæc Beda, iisdé cum Augustino verbis vtẽs, qui Pauli verba de indignè manducãtibus ita interpretatur, quòd illi etiam manducarent corpus domini, & eo condemnantur quia non diiudicant, sed vt reliquos cibos irreligiosè ederent. Non potest hîc prætermitti quod scribit Theophilactus, qui præter cæteros patres antecessores, præcipuè Chrysostomum dicitur imitatus, tempore posterior, sed pietate æqualis. Scribit autem de eo quod nunc tracto, hunc in modum: Ita quicũque manducauerit panem & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Corinthios arguit, quia inopes aspernarẽtur, veluti indignè mysterij huius participassent, nec secus

August. in Psal. 21.

Beda in Ioãnẽ, & August. in Ioã. tractatu. 62.

Theophilactus ĩ Pau. 1. Cor. 11.

qui id indignè ſumpſerit, ſceleri erit obſtrictus, quàm qui ſanguinē ipſum domini fuderit. Nam quemadmodum conſtat, qui tunc dominum pupugerunt, non potandi gratia pupugiſſe, ſed vt eius ſanguinem funderent: ſic & qui indignè hunc hauſerit, nullum ex eo fructum adeptus, fruſtrà ac temerè, Chriſti ſanguinem fudit. Atqui Iudæi regis clamydem diſciderunt, qui verò immeritò ſanguinis particeps fuerit, in cœnum ſuam animam mergit. Ita fit, vt nō æqua ob id & Iudæis, & indignè Chriſti ſumenti ſanguinem, obueniat ignominia, vnde & corporis hic & ſanguinis domini reus efficitur, eritque tanto obnoxius crimini. Hactenus recenſui Theophilactū, qui mihi videtur apertiùs loqui, quàm vt vlla egeat annotatione noſtra. Loquitur enim de indignè hauriēte ſanguinem, quem grauiùs peccantem facit, quàm Iudæos qui funderent per contumeliam & inuidiam. Sed idem Theophilactus eodem in loco habet, cur malis ita nocuerit indignè mādiucare, quod nō poſſum ſilentio præterire.

Ibidem. Sic enim ſcribit: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi māducat & bibit, nec ſanè ob myſteriorum naturam id dixerim, quippe quæ vitam in ſe & habent & largiūtur, ſed ob myſteria adeuntium indignitatem, quibus haud ſecus illa officiunt, ac ſolent oculorum valetudine laborātibus ſol ipſe obiectus officere. Hîc ego appello figuratores omnes, vt cum omnibus ſuis machinis adſint, ſi fortè queant hunc locum vel euertere, vel obſcurare tētaturi. Dicit apertis verbis Theophilactus, myſteria quæ manducāt mali, habere in ſe vitā, & largiri vitam. An aliud eſt vita ab eo qui dixit, Ego ſum via, veritas & vita? vel aliūde quam ab eo vita eſſe poteſt? Quid hic facit Allëoſëos figura, quid metonomia? quibus nominum fit permutatio & acquiſitio. An licebit de ſymbolis dicere, quòd habent vitam? Creaturis vt organis vtitur deus, quibus dona largiatur, ſed nihil habet vitam, præter ipſam vitæ eſſentiam, quæ in myſteriis cōtinetur, dum Chriſti corpus, quod eſt verbi proprium, adeſt, totus Chriſtus, deus & homo. Et quantus eſt is conſenſus primi & penultimi teſtis, Origenis dico, & Theophilacti? dominum indignos ingredi ille dicit, hic malos ſumere myſteria, habentia vitam, & largientia, quomodo omnes præterea patres interpretantur. Ergo pro epilogo ſit illud quod ſcribit Bernardus: Comeſtio itaque ſacramētalis, quantum ad viſibilem ſpeciem, & quātum ad corporis Chriſti

Bernar. ſer. in cœna domini.

verita-

veritatem, conuenit bonis & malis communiter, sed est alia comestio(sicut iam diximus)bonorum solummodo, quam per dei gratiã & per fidem ex dilectione operantem, vitæ meritum efficit, & affectus mentium in cordibus percipientium vel ministrantium, intercedēti spirituali & subtiliori quadam vnione capitis & membrorũ. Hæc ille, qui modum illum spiritualis comestionis, de quo loquitur Augustinus, explicat aliis verbis, sed eodem sensu. De sacramentali verò manducatione cum Patrum testimonio apertissimè consentit, vt nullus iam sit relictus ambigēdi locus, quoniam Eucharistiæ mysterium diuina omnipotentia constitutum, nobis in altari proponitur comedendum, in quo verum Christi corpus, & sanguis verus, verè adsunt, præsentia certa & reali, malos quum accedunt eandem sumere substantiam sacramenti, quam boni sumunt, hoc est, ipsum Christi corpus & sanguinem. Vnde omnis istorum figuratorum in veritatem Eucharistiæ machina fracta & dissoluta censeatur.

OBIICITVR 95.

VT DIABOLVS EST CIBVS IMPIORVM, *quos nutrit in omni iniquitate ad damnationem: Sic Christus est verus cibus membrorum viuorum corporis sui, quos nutrit ad vitam æternam.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Diabolus nutrit suos, non vt obsonator, sed coquus, qui operam tãtùm accommodat, non suppeditat materiam, nisi quatenus arte variet & condiat simplicia mala, & mangonizet. Diabolus enim quod ipsis iam inest impiis ad nequitiam pronum, suggerēdo, instigando, excitando, alliciendo, quasi coquit & condit, vnde malitiæ fouendæ cõmodum efficit nutrimentũ. Culpæ verò malum, quod à nobis vel ortum non sit vel accersitũ, haud potest diabolus in nos immittere. Christus cõtrà (si fas sit hac collatione vti, in quã me adegit istius ineptia,) Christus (inquam) idem nobis & obsonator, & obsonium, & coquus est, videlicet in omnibus omnia, quia omne bonum desursum est, & de se loquens, Sine me (inquit) nihil potestis facere, quum alioqui de malis dicatur, vnumquenque tentari à concupiscentia sua, & concupiscentia quum conceperit, parit peccatum,

catum,& in propheta,Perditio tua ex te Iſrael,& fructus carnis ſunt ipſa crimina, vt nihil poſsit hac collatione Chriſti cum diabolo adduci diſsimilius,vt interim non dicam reſipere blaſphemiam.Manducaſſe verò diabolum, vulgo eſt in manducante hyperbolica impietatis & nequitiæ ſignificatio, ſed eiuſmodi telis impetitur catholica fides.

OBIICITVR 96.

QVAERO, VTRVM PECCATOR IMPOEnitens *ſumens ſacramentum, habeat Chriſti corpus in ſe, vel non? Si dicant non: habeo propoſitum, id eſt,malos etſi ſumant ſacramentum corporis,tamen non ſumere corpus Chriſti.Si dicant etiam, tum quæro, vtrum ſimul habeat in ſe Chriſti ſpiritum,vel non? Si negant,ſoluunt Chriſtum, ſeparantes corpus à ſpiritu, humanitatem à diuinitate, ſin aiunt ipſum habere Chriſti ſpiritum in ſe, tum contradicunt ſcripturæ quæ dicit, Qui non habet ſpiritum Chriſti,hic non eſt eius: ſic qui habet Chriſtum in ſe,viuit, quia iuſtificatus eſt, quòd ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis,habitat in vobis; qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis,viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.*

RESPONDET CATHOLICVS.

MAgno hîc conatu nugatur in tanto myſterio excutiēdo. Quis enim non omnino inſanus fateatur impœnitentem peccatorem habere in ſe Chriſti corpus? Ergo inquit hic argutator,habeo propoſitum, malos nō ſumere.Itáne verò,quia non habet:ergo non ſumpſit quod non dignus ſit habere? ne in cæteris quidem valeat hæc argutatio, Non habet:ergo non ſumpſit, ſi fortè conſumpſit prodigus, quomodo hic certè nequam indignè manducans, malus, quod boni aderat diſsipauit ſuo vitio, vt non retineat quod in ſacramēto acceperat ſanctum.Sed iam eſt operæpreciū videre, quomodo qui veritatem quæſtionibus vexant, ſibiipſis reſpondent commoda, & ad calumniam oportuna, in quibus explicandis ludunt verbis, vt illudant veritati;nam & hic argutator,quod nemo dicturus ſit, confitentem facit aduerſarium,hoc eſt, (vel Chriſti ſpiritum à ſuo corpore diuulſum, vel ſpiritū Chriſti inhabitare peccatorē,)in quibus

quàm ſint abſurda aperiendis, quærit occaſionẽ fundendæ eloquẽtiæ. Breuiter, de re illud dicendum, ſumere quidem peccatorem corpus Chriſti in ſacramento, quod idem eſt ſubſtantia malis & bonis, ſed non habere tamen, quia non ille bonus, nec ſpiritum Chriſti habitare per gratiam in corpore ſubdito peccatis, etiamſi ſit & in bonis & in malis per potẽtiam vbique in omnibus, tam inane eſt quod hic argutator in hoc cornu dilemmatis explicando blatit.

OBIICITVR 97.

ADVERSARII SVNT MIRI PRAESTIGIA-*tores, qui poſſunt facere certis conceptis verbis, deum & diabolum ſimul habitare in vno homine, & eum ſimul templum dei & templum diaboli, atque ita tam cæci ſunt, vt non poſſunt diſcernere menſam domini à menſa dæmoniorum, ſi verum ſit quod affirmant, hominem ſubditum peccatis & membrum diaboli, habere in ſe Chriſti carnem, ſanguinem, animam, ſpiritum ſanctum, & deitatem.*

RESPONDET CATHOLICVS.

MEndacium eſt quod affertur manifeſtariũ, verbis inuidioſis ad fallaciam expreſſum. Nemo enim catholicus dixerit habitare Chriſtum in peccatore, vt in proximo reſpõſo eſt dictum, ſed recedit à peccatore dominus, nec dignatur manere, quo nõ colligitur tamen, illum per diſpenſationẽ non acceſsiſſe, qui ſolem facit oriri ſuper bonos & malos. Sed à non conceſsis, imò verò apertè negatis, & quæ concederentur abſurdis, frequens eſt iſtis ducere argumenta, quæ non eſt fallacia petitionis principij, ſed effrons impudentia cõficiendi mendacij. Catholica doctrina deum fatetur vbique per potẽtiam, ſecundum quam nihil eſt abſurdi, etiam in impiis fateri præſentiam, ſolis autem bonis adeſt per gratiam, vt in illis maneat, quia Chriſtus ait, Si quis diligit me, *Ioan.14.*
pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

OBIICITVR 98.

SENSVS ET RATIO NON PERTIN-*gunt ad corpus Chriſti, ſed ſola fide percipitur, At impij deſtituuntur fide: ergo nihil præter ſymbola poſſunt habere.*

RESPONDET CATHOLICVS.

SEnsus & ratio ad mysterium obstupescunt, quando sola fide, quod agitur, intelligatur, & sine fide cũ fructu non peragatur. Quod autem hic loquitur, corpus Christi sola fide percipi, propter ambiguitatem verbi (percipitur) quod & ad animum refertur, & ad corpus, nisi distinctione hac adhibita: neque negari neque concedi debet, ne anceps significatio verbi progignat errorem. Ergo corpus Christi sola fide percipitur, id est, intelligitur adesse, quod etiam manus & oris officio percipitur, quatenus sub visibilibus accidentibus nobis ab ipso Christo porrigitur in sacramento. Nam & qui sic scribunt patres, sola fide percipi corpus Christi, dum ab intellectu excludunt rationem & sensus, illi ipsi fatentur ore excipi, quod etiam percipi dici potest. Sed hic Argutator, à (percipere) quod posuit in antecedente, dilabitur in conclusione ad (habere), sentiens fortassis sola fide percipi, id est, sola fide sumi, & excipi, quod omnino est falsum, nam & corporis officio adhibito sumitur. Porrò si impios sentit Ethnicos, iam aliàs responsum est, si malos & indignos Christianos, qui fidei fecerunt naufragium, ad exitium mãducant vt Iudas, sed tamen manducant idem quod Petrus, & verum Christi corpus in os admittunt, nec habent tamen corpus, quomodo Christus verbum (habere) intellexit, quia qui non dignè fruitur, non videtur habere, sed quod habet, auferetur ab eo. Hoc argumentum vndiq; vitiosum est & ineptum.

Mat.13.

OBIICITVR 99.

QVICQVID DOMINVS INSTITVIT *id fecit vt nobis esset salutare, Sed mãducatio carnalis & corporalis non est impiis ad salutem: Ergo Christus eam huiusmodi non instituit.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVod dominus salubriter instituit, piis quidem est salutare, & idem impiis per occasionem in grauiorem cõdemnationẽ cedit, quod & in vniuersa Christi doctrina obtinet, de qua dicitur: Melius erat illis nõ cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditur.

2.Pet.2.

traditum est sancto mandato. Et de lege vetere scribit Paulus illam per occasionem operari peccatum, quæ non ideo tamen neganda sit à deo instituta, qui per prophetam dicit se nolle mortem peccatoris, quomodo argutatur hic Sophista, quasi quod minus prosit impiis, sit potius Dei institutioni, quàm impiorum malitiæ asignandum.

Rom. 7.

Ezech. 18.

OBIICITVR 100.

QVICQVID IMPII COMEDVNT IN SA*cramẽto corporaliter, nõ debet dici corpus Christi, nisi signo aut symbolo velis tribuere nomẽ rei: Ergo corporalis mãducatio in sacramẽto nulla est.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVod in Christi cœna comedit impiissimus Iudas, idem erat substantia cum eo quod comedit piissimus Petrus, Christo suum corpus porrigente ex æquo omnibus, non in signo aut figura sola, sed ipsa re, quod apud patres Catholicos est testatissimum. Itaque quod ab isto Argutatore proponitur, veluti inferendæ consequentiæ quam vult antecedens, vt falsum & vanum negandum est.

OBIICITVR 101.

CHRISTVS DICIT, QVI MANDVCAT *meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: Sed mali & impij homines non habent vitam æternam: Ergo non manducant carnem Christi & bibunt eius sanguinem, sed soli boni.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVoniam secundum Paulum eiusdem sacramenti non simplex est effectus, sed vitio mãducantium alius atque alius, non potest argumentum consistere, quod ab alterius effectuum destitutione inferat nobis totam negationẽ causæ. Nec enim refert, quòd vnus hic effectus mãducationis in Christi verbis explicetur, hoc est, vt qui manducent carnem, habeant vitam æternam. Docent enim ista propriam & peculiarem huius cibi & potus virtutem, quæ in hoc parantur vt prosint omnibus. Sed alius est effectus, qui non ex re nascitur, sed hominum indignorum vitio contingit per occasionem, dum non dignè manducent, de

1.Cor.11. quo effectu Paulus loquitur, qui est non vita, sed iudicium. Similiter
Mar.16. Christus vnum à re effectum in baptismo expresit salutarem. Qui crediderit (inquit) & baptizatus fuerit saluus erit. Et tamen Simonē Magum credētem & baptizatum legimus, nec saluatum tamen, qui à gratia quam acceperat, suo vitio perierat. Quare hæc propositio, Nō erat saluus: non infert necessariò, Ergo nō fuit baptizatus, quomodo hic Argutator, Non habent mali vitam: Ergo non māducarunt carnem. Imò secundū Paulum, Ergo non dignè manducarunt. Sacramenta enim quum sint semper eadem, ad vnum salutis effectum instituta, malitia tamen vtentium diuersum effectum sortiuntur, quemadmodum mollescit cera, durescit lutum, ab eodem calore vel solis vel ignis ad patientis discrimē effectu variato. Et notantur
August. de verbis domini. Ser. 11. quædam sententiæ scripturarū cum modo dictæ. Vnde Augustinus modum quendā manducationis esse scribit, secundum quē qui manducauerit, habet vitam, atque hic modus quoniam indignis abest: etiam si res adsit eadem, non sequitur tamen vitæ sed exitij effectus.

OBIICITVR 102.

CARO CHRISTI SEMPER EST VIVIFI*ca, dans vitam omnibus sumentibus, & curans naturæ nostræ morbos: Ergo caro Christi non sumitur à malis, vel aduersarij spoliant eam hac sua dignitate.*

RESPONDET CATHOL.

CHristus non venit perdere, sed seruare, vnde nomen impositum est suauissimum (Iesus). Ipse enim saluum faciet populū suum à peccatis eorum. Et tamē idem Christus de seipso dixit, Si eis locutus non essem, peccatum non haberent. Et de eodem spiritus propheticus verè dixit. Hic positus est in ruinam multorum. Non quin idem sit semper Christus, sed homines nō iidem, quibus se esset exhibiturus. Idem seminatur semen, sed est non omnis terra eadem. Vnde secundum Paulum indignè manducantibus, caro viuifica cedit in exitium, quemadmodum vitiosis & affectis corporibus cibus maximè salutaris noxius fit illis & perniciosus. Nihil igitur hîc spoliant aduersarij quos dicit: sed catholicam doctrinam bona fide tradunt.

Matth.1. *Ioan.15.* *Luc.2.* *2.Cor.11.*

OBIICITVR 103.

SI FIDE PERCIPIATVR TRANSVBſtantiatio, *Ergo docetur per verbum Dei. Sed verbum Dei prorſus neſcit tranſubſtantiationem: Ergo non nititur fide.*

RESPONDET CATHOLICVS.

VErbum Dei eſt, qui excuſsis piè ſyllabis emanat ſenſus, qui verbi medulla Hieronymo appellatur, ſecundum quam verbi Dei acceptionem, quia ſenſus verbi (Tranſubſtantiationis) verum ſcripturæ ſenſum exprimit, rectè eiuſmodi eſt Tranſubſtantiatio, cui innitatur fides, tanquam veritati ſacris ſcripturis proditæ conſentaneum. Quod ni ita eſſet, de confectione myſterij Euchariſtici illis verbis patres locuti non eſſent, per ſingulos ætatis gradus, iam inde à primordiis repetitæ. Cyprianus panis mutationem nõ natura ſed effigie fieri ſcripſit. Emiſſenus hanc habet ſententiam, Nec dubitet quiſquam primarias creaturas, nutu potentiæ, præſentia maieſtatis, in dominici corporis tranſire poſſe naturã. Hęc Emiſſenus, qui quũ tranſitum dicat in naturam dominici corporis, mutationem panis refert, quam expreſsit Cyprianus. Quin & idem Emiſſenus verbo (mutationis) vtitur, ſic ſcribens: Quanta itaque & quàm celebrãda officia vis diuinæ benedictionis operatur, & quomodo tibi nouum & impoſsibile videri non debeat, quòd in Chriſti ſubſtantiam terrena & mortalia commutantur? His verbis Emiſſenus commutationem dicit, quod alibi tranſitionem, & quod antea in naturam dixit, nunc dicit ſubſtantiam, quod eſſe argumento certo poteſt, illum verbo (naturæ) ſignificare ſubſtantiam, qua ſignificatione vſus eſt Cyprianus, dum panis naturam ſcribit mutari. Quod verò Emiſſenus dicit ſubſtantiam Chriſti, alibi apertiùs loquens dicit ſubſtantiam corporis & ſanguinis, iis verbis: Inuiſibilis ſacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, ſecreta poteſtate conuertit. Hæc Emiſſenus, qui iis tribus verbis, conuertere, mutare, & tranſire, vnum quid in actione illa myſtica ſignificat, qua ex natura (ſecundum Cyprianum) creaturarum, fiat ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, quod vno verbo exprimitur, tranſubſtãtiationis. Sed de hac operatione myſtica, quomodo alij loquantur audia-

Cyprianus de cœna domini.

Emiſſenus oratione de corpore domini.

Ibidem.

Ibidem.

Hysichius in Leuit.li. 2.cap.9. mus. Hysichius sic scribit: Vt ergo gloria domini videretur, id est, vt aduentus celebraretur, spiritus, iste est sermo inquit, quem præcepit dominus, facite. Sermonem autem legislator ex consuetudine illud vocat, quia plus sermone subsistit huius dispensatio mysterij, maximè dominico verbo ea quæ apparēt in aliud aliquid maius & intelligibile transferēte. Hæc Hysichius, qui ea quæ apparēt dicit trāsferri in aliquid maius, quo verbo (transferre) eum (commutare) ex

Idē lib.6. cap.22. aliis eius verbis licet intelligere, dum sic scribit: Sanctificationem enim mystici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia translationem siue commutationem, ei qui verus est sacerdos, videlicet Christo, oportet dari, id est, ipsi de eis miraculum cedere, & imputare, quia per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum, quę videtur tam sanctificata sunt, quā cunctū carnis excedūt sensum. Istis verbis multa dicuntur, quæ istos figuratores premant, & eos qui cauillantur de miraculo, quasi nusquā reputetur à quoquā pro miraculo, sed illud nūc agitur, vt ostendam cum reliquis consentire de mutatione, & tali, quæ carnis excedant sensus. Dices fortasse, speciosa hæc verba illud non apertè exprimere, quod maximè quæritur, de corpore Christi, cuius nulla fit mentio. Fateor, & ea potissimùm gratia protuli, vt videas patres de tanto mysterio tectius loqui, & fidelibus minimam tum significationis notam de magnitudine mysterij suffecisse, cùm nondum exortis contentionibus de veritate mysteriorū, nullę (vt nunc) verbis ac literis fierent insidiæ. Et quod in iis locis magnitudine rei insinuauit, in eo quod sequitur verbo exprimit, sic scri-

Ibidem. bens: Israel autem addens, populum fidelem per hoc significauit, id est, eum qui per mysticum hoc sacrificium Deum videt, & propterea propriè Israel appellatur. Hi quæcunque consecrant domino, id est, quæ ex semetipsis in dominicum sacrificium offerunt, sancta sanctorum fiunt. Corpus enim ex eis conficitur Christi, qui quia primitiæ est nostræ conspersionis, rectè ex nostris primitiis conficitur. Hæc Hyschius, quem audis hoc loco nominare, ipsum Christi corpus confici, ex eis quæ nos offerimus, cuius miraculum antea dixit cedere oportere Christo, qui verus est sacerdos, cuius virtute & verbo fit illa de qua antea locutus est commutatio, quibus Hysichij testimoniis cōiunctis liquet illum eam commutationem sensisse, quæ verbo transubstantiationis hodie docetur. Basilius de hac mutatio-

ne

ne in Liturgia sua loquitur iis verbis: Fac panem hunc, ipsum preciosum corpus domini & seruatoris nostri Iesu Christi, hunc calicem, ipsum preciosum sanguinem domini Dei & seruatoris nostri Iesu Christi, mutans spiritu tuo sancto. Hæc Basilius, cui consentit Liturgia Chrisostomi, vbi sic legimus: Benedic domine sanctum panem, fac panem hunc preciosum corpus Christi tui, quod autem est in hoc calice, preciosum sanguinem, mutans spiritu tuo sancto. Qui Chrysostomus, quam senserit mutationem, ostendit alibi quum dicit, substantiam corporis vinum & panem absumere, quomodo ecclesia hodie docet in transubstantiatione desiisse substantiam panis, & succedere substantiã corporis Christi. Ambrosius apertè de hac mirabili mutatione sic tradit: Quòd si tantũ valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa cõsecratione diuina, vbi verba domini saluatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? Hæc Ambrosius, qui de mutatione loquitur specierum, quod hoc loco est, ne panis sit amplius panis, sed fiat aliud, videlicet corpus Christi. Et hoc vocabulum (species) interdum naturam rerum, interdum formam significat. Ergo quum Theophilactus sic dicat, seruari species elementorum, formã significat exteriorem, quæ manet. Hîc quum dicit Ambrosius species mutari, necesse est species elementorum, naturam, id est, substantiam eorum intelligi, quomodo natura in Cypriano intelligẽda est. Atque hæc obiter tracto, vt istorum occurram calumniis, qui ex singulis apicibus occasionem captant cõtendendi. De hac mirabili mutatione, vnde trãsubstantiationis veritas confirmatur, ita tradit Euthymius: Itaque sicut vetus testamentum hostias & sanguinem habebat: ita & nouum, corpus videlicet & sanguinem domini. Non dixit autem, hæc sunt signa corporis mei: sed, hæc sunt corpus meum & sanguis meus. Oportet ergo non ad naturam eorum quæ proponuntur aspicere, sed ad virtutem eorum. Quemadmodum enim supernaturaliter assumptam carnem deificauit (si ita loqui liceat) ita & hæc ineffabiliter transmutat in ipsum viuificum corpus suum, & in ipsum preciosum sanguinem suum, & in gratiam ipsorum. Ista Euthymius, cuius verba istos figuratores arguunt cum suis signis

Basilius in Liturgia.

Chrysost. in Liturgia.

Idẽ Homil. in Enceniis

Ambrosi⁹ de iis qui initiantur. cap. 9.

Theophilactus ĩ Marcũ. cap. 14.

Euthymius in Matth. cap. 64.

& figuris, & ecclesiæ doctrinam de transubstantiatione confirmant, quatenus de transmutatione loquitur Euthymius, transitum insinuans ipsius naturæ, id est, substantiæ, de qua illo antiquior loquitur Cyprianus. His cõsentanea scribit Damascenus: Neque & hoc etiam dicit promptum, quomodo naturaliter per comestionem panis, & vinum & aqua, per potionem in corpus & sanguinem comedentis & bibentis transmutatur, & non fit aliud corpus præter id quod erat ipsius. Sic & propositionis panis, vinúmque & aqua per inuocationem & aduentum spiritus sancti supernaturaliter transmutatur in corpus & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum & idem. Hæc Damascenus, cuius verba alibi tractauimus, quæ hîc tamen recitare operæpretium est, quoniam hac similitudine aperit, quid transmutare significet, videlicet substantiam in substantiam conuerti, vt vnum sit corpus in quod desinat substãtia mutata, nam ita panis substantia transmutatur in corpus nostrum per modum alimenti, vt non sint duæ substantiæ, videlicet alia panis, alia corporis nostri, sed vna substantia nostri corporis. Et ita fit in transmutatione mirabili, hactenus (inquam) ita, ne duæ sint substantiæ, sed vna corporis Christi, in eo autẽ deficit similitudo, quòd corpus Christi non augetur pane vt nostrum. Et hæc similitudo est transmutationis, quam spectasse videtur Cyprianus, dum de mutatione naturæ loquitur, & in ipsis ecclesiæ primordiis insinuasse. Iustinus martyr, quatenus dicit Christum accepisse cibum qui secundum mutationem transit in carnem nostram, vt in tractando illo Iustini loco dixi fusius. Hanc similitudinem de transmutatione, spectauit Theophilactus iis verbis: Attende autem quòd panis qui à nobis in mysteriis manducatur, non est figuratio quædam carnis domini, sed ipsa caro domini. Non enim dixit, Panis quem ego dabo, figura est carnis: sed caro mea est, trãsformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionẽ, & accesionem sancti spiritus, in carnẽ domini, & ne quem conturbet quòd credendus sit panis, caro: etenim in carne ambulante domino, & ex pane alimoniam admittẽte, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum & sustentationem conferebãt, iuxta humanum morem igitur & nunc in carnem domini mutatur. Hæc Theophilactus, superioribus patrum testimoniis tam

Damascenus lib. 4. cap. 14.

Theophilactus in Ioã. cap. 6.

euidenter consentiens, vt non sit opus nostra explicatione. Ipsam autem transsubstantiationem, vt apertè descriptam videas, illa subiiciam ex Bernardo: Quemadmodum (inquit Bernardus, de Eucharistia loquens) species ibi videntur, quorum res vel substantiæ ibi esse non creduntur: sic res veraciter & substantialiter creditur, cuius species non cernitur, videtur enim species panis & vini, & substantia panis & vini non creditur, creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi, & tamen species non cernitur, proponitur igitur species panis & vini, vt doceatur plena & perfecta esse refectio in sumptione corporis & sanguinis Christi, plena refectio cibi & potus. Cibi autẽ & potus substantiæ principales sunt panis & vinum. Hæc Bernardus, qui analogiã egregiam & aptam facit, dum aperit sensum transubstãtiationis, qui verbo Dei (quomodo ex testimoniis Patrum constat) est consentaneus, vt obturatur huic argutatori os, qui pro argumento ad impugnandam veritatem, profert nudam asseuerationẽ, fronte dura & impudenti vallatam, dum dicit, Transubstantiationem nescire verbum Dei.

Bernardus, Ser. de cœna domini.

OBIICITVR 104.

ACCEDIT VERBVM AD ELEMENTUM, *& fit sacramentum, vt ait Augustinus, non autem tollit elementum: sed transubstantiatio tollit elementum: Ergo est cõtra naturam sacramenti, destruens vnam eius partem.*

RESPONDET CATHOLICVS.

SVbseruit elementum conficiendo sacramento, & qui omnia portat verbo virtutis suæ, de mysterio Eucharistico sic pronuntiat, Hoc est corpus meũ, quo verbo accedente ita fit sacramentum, vt iam propter sententiã verbi prolati, substantia sit sacraméti Christi corpus & sanguis, & quod visibile est elementi maneat ad significationẽ, substantia eius per conuersionem in meliorẽ substantiã desinente, quod non est tollere elemẽtum, sed quomodo Christus eleméto vtatur, ex fide catholica intelligere. Verba autem Augustini non exigunt vt elementum in sacramento maneat totũ, sed vt sacramento conficiendo adhibeatur, vt sacramentũ ex verbi Dei veritate, iuxta institutionẽ eiusdẽ æstimetur.

OBIICITVR 105.

OMNIA SACRAMENTA CONSTANT *materia & forma, forma est verbum Dei, materia est elementum, ad quod accedit verbum, vt panis materialis in hoc sacramento. Sed quod componitur ex duobus, non debet abiicere alterum, vt nihil ex eo remaneat præter accidentia: Ergo debet remanere substantia panis.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVod in sacramento Eucharistiæ speciale est, nō potest ad generalem sacramētorum normā exigi, vbi quum Christus verbis disertis definiat se dare substantiam corporis sui, quid sit de pane dicendum, consulere potius oporteret fidei nostræ regulas, quàm de sacramentis communiter intelligendis magistrales. Et tamē qui hîc argutatur quid sit materia, quid forma in Eucharistiæ sacramento, (quomodo catholici qui hæc pie tractant, intelligunt) non assequitur. Illi enim Eucharistiam, quod ad materiæ & formæ rationem attinet, à cæteris sacramentis sic distinguunt. In cæteris enim, quoniam in actione consistunt & ipso vsu: elementum ipsum esse materiam sacramēti, verba, formam dicunt, vbi quia forma in prolatione verborum transit, sacramentum vnà cum forma desinere necesse est. Eucharistia verò iam consecrata, quia sacramentum est permanens, habet pro forma visibilem speciem, & ipsum Christi corpus materiam, vnde visibilibus sacramentis corruptis, quia forma desinit, desinat esse sacramentum. Consecratio verò Eucharistiæ, quòd non ipsum sacramentum, sed sacramentale sit, habet pro forma, verba sacra, & pro materia, panem & vinum aqua mixtū, vt verbis super hæc integrè prolatis, tanquam forma eius, perfecta fieri dicatur consecratio, & protinus existere Eucharistiæ sacramentum, in vsum futuræ manducationis præparatum. Quoniam autem consecratio mutationem substantiæ panis mirabilem efficit, non potest ea per mysterij veritatem permanere.

OBIICITVR 106.

NATVRA ET DEFINITIO ACCIDENTium *est esse in subiecto, & si non sint in subiecto aliquo, non sunt omnino, Ergo manet substantia panis & vini.*

Si defi-

RESPONDET CATHOLICVS.

SI definitionem accidentis ſpectemus ſeorſum, non eſt ineſſe ſubiecto, ſed aptitudinem habere vt ineſſe poſſit. Quicquid alteri ineſt, accidens eſt ſecundum naturam, nō autem quia eſt accidens, neceſſe eſt alteri ineſſe, ne dicamus primam cauſam non poſſe ſolam, quod cum ſecunda poſſet, quod philoſophus negat. Itaque cōuenienter dicitur, Si ſubſtantia, quæ ſecunda eſt cauſa, vi primæ cauſæ accidentia ſuſtinet, quídni poſsit ſuſtinere accidētia ipſa prima cauſa, iam deficiente ſecunda, quæ eſt ſubſtantia, vt accidentia etiam maneant? & in ſua natura maneant, apta iterum ineſſe ipſæ ſubſtantiæ, ſi quando redierit, ipſa prima cauſa operante? quum quidam non abſurdè fieri credunt in viſibilibus Euchariſtiæ ſpeciebus, quum corrumpatur & ex iis aliud generetur. Miraretur adeò philoſophus candidus myſterium Euchariſtiæ, in quo manerēt ſine ſubiecto accidentia, non à ſuis definitionibus carperet, (vt iſti) qui à non eſſe per naturā, inferunt nō eſſe abſolutè, ridiculi philoſophi & Theologaſtri reprobi, qui myſteriū ad naturæ regulas, (quas non exactè tenent) conantur excutere.

OBIICITVR 107.

SOLENT DICERE, CORPVS ET SANguinem *Chriſti velari accidentibus, ne videamur crudis carnibus veſci & cruore potari, Sed hæc ratio (ſi verum dicant) non prohibet quin crudis veſcantur, nam vt coquantur, neque per eos, neque per ſcripturas inducitur ratio.*

RESPONDET CATHO.

HYſichius celebris author, corpus Chriſti, in ſacramento nobis exhibitum, appellat ſacrificium de ſartagine, quòd illud non crudum nos, ſed in ara crucis tanquam in ſartagine aſſum comedamus. Et iſte (ſi ſuperis placet, Argutator, audebit cruditatem per irriſionē obiicere, ore prophano conſpuens myſterium. Quod catholici de crudis carnibus aut ſanguine loquuntur, ad ſenſum carnalem qui myſteria neſciat, quod dicunt intelligunt. Quod verò diuinum eſt & ſpirituale, nunquam poteſt fidelibus videri crudum. *Hyſichius in Leuit. li. 2. cap. 6.*

OBIICITVR 108.

IN CORPORE QVOD PRO NOBIS *tradebatur, non sunt accidentia panis, Sed in sacramento sunt accidentia panis: Ergo in sacramento non est corpus Christi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

IN corpore Christi in Eucharistia præsenti, non sunt accidentia panis, nemo id dixerit, & tamen hoc dici oportuisset, vt à prima propositione huius argumẽti ad conclusionem rectà eatur, vel quomodo nunc assumit, conclusio deberet esse, Ergo sacramẽtum non est corpus Christi, vel aliquid esse in sacramento, quod non est in corpore Christi, quod ipsum & Catholici fatentur, nec sacramentũ esse corpus Christi, nisi tropus adhibeatur. Et quæ hîc tracto, à magno quodam Rabino profecta, qui velut Atlas sustinet ferè omnem hanc machinam.

OBIICITVR 109.

SI PANIS MVTATVR, FIT CORPVS *Christi, sed non fit, nam non generatur: Ergo non mutatur.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVod virtute diuina conficitur mysterium, quoniam modum suum habet, quem mente & cogitatione non assequimur, tantum abest vt ἀκριβῶς explicemus oratione, non est in verbis hærendum, & de syllabis mouenda controuersia. Istud enim fieri corpus Christi in sacramento, nihil est aliud quàm exhiberi, & fit corpus ex pane, exhibẽdi ordine. Ipsa porrò mutatio est mirabilis in pane, quæ ab illis mutationis modis in natura notatis dissidet, quoniam hîc quod mutatur nõ supersit. Sed hic argutator sic loquitur, quasi mutationis modos secundum naturam ipse nesciat, qui omnes ad vnam generationem contrahit. Itaque dico, mutatur panis, quia nõ est quod erat, fit corpus Christi, quia in mysterio sub panis accidẽtibus, iam adest quod antea erat, sed non aderat.

SACER-

OBIICITVR 110.

SACERDOTES (VT AIVNT ADVERSArij) *conficiũt illud quod comeditur & bibitur in cœna domini. Sed illud aiunt eſſe Chriſtum, deum & hominem: Ergo ſacerdotes Papiſtici conficiunt & deum & hominem. O blaſphemia.*

RESPONDET CATHOLICVS.

A Verbis & (conficiendi) & (faciendi) non abſtinuerunt patres catholici, qui myſterij Euchariſtici conſtitutionem explicant. Et Hieronymus conficere ſacerdotes corpus Chriſti ad verbum dicit, non ea tamen ſignificatione quam hic calumniator ad inuidiam catholicorum inſinuare vellet, quò locum faceret exclamationi, (O blaſphemia:) ſed rei quæ agitur conuenienti, & veritati exprimẽdæ idonea, ſecundum quam inuiſibilis ſacerdos (vt Emiſſenus ait) panẽ & vinum in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui ſecreta poteſtate conuertit, miniſtro homine agente, quæ iubetur ac docetur facere, vbi quum myſterium peragitur, Chriſtus deus & homo non conficitur vt ſit, qui eſt heri, & hodie idem, etiam in gloria perpetuò futurus: ſed conficitur præſens, nobis exhibitus ad alimoniam cœleſtem ac ſpiritualem, ſub panis & vini ſpeciebus, vt mihi iure liceat in iſtum calumniatorem veriùs exclamare contrà, O malitia.

Hieronyj.in epiſt. ad Titum.1.

Emiſſenus orat. de corpore et ſan.

OBIICITVR 111.

CORPVS CHRISTI CRVCIFIXVM NON *fuit factum ex pane. Sed corpus in cœna ſumptum factum eſt ex pane (vt aiunt aduerſarij:) Ergo corpus ſumptũ in cœna, non fuit idem quod corpus crucifixum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NVgatoria eſt fallacia in ambiguitate vocabuli, quia in corpore Chriſti dum in ſacramẽto exhibeatur, (fieri ex pane) nõ eſt ex pane generari, quemadmodum corpus ex virgine generabatur: ſed conuerſione elementi ſub panis ſpecie in myſterio exhiberi, hoc verbo (factum eſſe) ſignificatur. Quatenus autem negat corpus Chriſti factũ

ex pane, illud videlicet crucifixum: negandum est secundum sensum, quem ex illis verbis (ex pane factum esse) concipit ecclesia, id est, panem Christi verbis in corpus verti, nam eo sensu, corpus illud crucifixum, in cœna ex pane factum erat.

OBIICITVR 112.

SI CORPVS CHRISTI CRVCIFIXVM *non sit factum ex pane, & corpus Christi crucifixum idem fuit cum eo quod sumebatur in cœna: Ergo corpus Christi sumptum in cœna ni fuit factum ex pane.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Istud est verbis ludere, vt tam sublimi mysterio illudatur, (factum esse) non semper significat generationem (vt dixi,) nam qui idem istis impiè lusit (verbi gratia) ex catholico factus est hæreticus, nō generatione quidem refictus, sed malitia obcæcatus, & tamen hoc sophismate iocatur, quasi vna sit significatio verbi (factum esse.) Ego verò alieno à ratione mysterij exemplo vsus sum, sed ad hominem istum designandum competenti, in quo (factum esse) qualitatis mutationem significat, eadem substantia adhuc manente, vt alius fictus absque generatione noua.

OBIICITVR 113.

SI CORPVS CHRISTI SVMPTVM IN COE*na sit idem cum eo quod crucifigebatur, & corpus Christi sumptum in cœna, factum ex pane: Ergo corpus Christi factum est ex pane.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Otium hominis beatum, in quo istis cauillis concinnandis vacetur, hæc conclusio commodo sensu intellecta, nihil haberet absurdi, quia verum corpus Christi, crucifixum ipsum, in cœna sacra haud dubiè factum fuit ex pane, quum discipulis sub specie panis exhiberetur. nec dissimilis esset hæc ratiocinatio illi. Corpus in quo Christus cū discipulis versatus est, idem est cum corpore crucifixo, sed corpus in

quo

quo versabatur Christus, transfiguratum est ante discipulos, ergo corpus crucifixum, transfiguratum est, quod nihil absurdi, pro distinctione temporum intellectum, continet, sed huius argutatoris ineptiam demonstrat.

OBIICITVR 114.

SI CORPVS CHRISTI IN SACRAMENTO *fit ex substantia panis & vini, & idem corpus conceptum fuit in virginis vtero: Ergo corpus Christi in vtero virginis, factum est ex pane & vino.*

RESPONDET CATHOLICVS.

IActat hic Sophista quantũ valeat reductionibus, sed dissimulans interim differentiam, ex virgine fieri secundũ generationem, & in mysterio sub panis accidẽtibus fieri præsens per conuersionem, quod ita tamen effertur à catholicis ex substantia panis fieri corpus, ordine videlicet designato, quo fiat, non veluti materia posita, ex qua fiat. In vtero virginis Christus ex materia carnis quam sumpsit, factus est homo, in sacramento ex conuersione materiæ factus est in mysterio nobis pręsens, quas res tam diuersas, an non summa est in hoc argutatore impudentia eodem verborum sono confundere? nec sensum distinguere qui singulis conueniret?

OBIICITVR 115.

CORPVS CHRISTI IN VTERO VIRGInis *non fuit factum ex pane & vino, sed corpus Christi in sacramento fit ex pane & vino: Ergo corpus in sacramento non est idem quod conceptum est in vtero virginis.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVAS fallacias scholæ in homine & asino solebant exprimere, puerorum videlicet progymnasmata, hîc in dei & hominis mysterio expugnando referuntur, non ferenda profectò licentia, si vigerent mores. Nam non potuit iste verborum contortor nõ intelligere, quàm non leui discrimine eiusdem

dem verbi significatio, pro rerum quibus accommodatur natura, varietur, vt tandem puderet, (si quis esset pudoris sensus) eandem toties fallaciam vsque ad nauseam inculcare. Dicétes se esse sapientes, stulti facti sunt (inquit scriptura,) non illo verbo (facti) regenerationem significans, ne quis vnam eiusdem verbi significationem arbitretur, quod ipsum etiam is quisquis has fallacias edidit, vel ipsa experientia videtur didicisse.

Rom. 1.

OBIICITVR 116.

CHRISTVS NATVS IN VTERO VIRGI*nis secundum corpus, factus est ex nulla alia substantia quàm ex substantia matris, Sed Christus in sacramẽto factus est ex alia substantia, Ergo est alter Christus, & non idem & vnus.*

RESPONDET CATHOL.

NON videt hic argutator quãtum intersit, fieri ex alia substantia, quasi ante non sit: & fieri ex substantia, quæ conuersione desinat, vt quod ante factum erat, nunc nõ esse incipiat, sed adesse. Christus, vt sit homo, factus est ex substantia virginis, integro homine assumpto, vt verò iam factus ex muliere fiat nobis præsens in sacramento, cõuersio fit mirabilis substantiæ panis & vini, non ex qua fiat, sed quæ in illum transit.

OBIICITVR 117.

SACRAMENTVM NON EST TRANSVB*stantiatio, Sed illud quod ego capio, sacramentum est: Ergo illud quod ego capio, non transsubstantiatur.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVI sacramentum Eucharistiæ quoad eius potest explicant, sacramentum, & rem sacramẽti, quæ in hoc mysterio est, verum corpus Christi notant. Nemo dicit sacramentum esse transubstantiationem, sed in sacramento diuina virtute conficiendo transsubstantiationem fieri, & vide quàm cum dolo & fallacia progrediatur hæc ratio, quæ à transubstantiatione orsa referente actionem, in consequentia per mutationem definit in (transubstantiatur) patiendi verbum, quum ex forma argument-

menti consequeretur, Ergo quod ego capio non est transsubstantiatio. Et vide in alia materia collectionem similem. Cibus non est coctio, sed illud quod ego comedo cibus est: ergo quod ego comedo non est coctum, quum consequentia esset, Ergo quod ego comedo non est coctio. Sed (vt paucis dicam) ab hoc argutatore & re & forma peccatur. Quis enim sic loqueretur? Sacramentum est transsubstantiatio, vt huic opus sit negare? & minor propositio manca est, nam qui manducat, rem manducat sacramenti, secundū catholicorum doctrinam. Maior propositio fatua est, minor minus plena, vbi pars veritatis siletur, conclusio prorsus aliena à præmissis.

OBIICITVR 118.

SI MANERE POSSVNT ACCIDENTIA *panis vnà cum corpore Christi, quare non item substantia panis retinebitur? Et quid dignitatis aut priuilegij habent accidentia, quod negatur substantiæ panis, quum sit dignior creatura?*

RESPONDET CATHOLICVS.

ISTA sunt irridentis & myctērismo insultātis in catholicam fidem, quasi per gratiam humano more mysterium definiretur, deterioríve conditione fuerit elemētorum substantia, quæ cœlesti cessit cōuersione mirifica, quàm accidentia quæ manent, quæ non videt interim hic argutator tot obnoxia casibus, quorum euentus tamen idem ille pro argumento meminit, vt quum à muribus & canibus deuorentur: vt vel hinc persuadeat Christi corpus non adesse. Non agitur, ô bone, cur maneant potius accidentia quàm substantia? sed quid ex mysterij veritate confiteamur reuera manere?

OBIICITVR 119.

CHRISTVS VOCAVIT PANEM CORPVS *suum, eo quòd repræsentat corpus suum, non quòd sit corpus realiter, aut transsubstantietur in corpus suum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Istud commentum cum ſimplicitate verborum Chriſti non cohæret, qui diſertè dixit, hoc eſt corpus ſuum quod dabat, & quãuis quod viſibile erat manibus porrigeret: rectè tamen Chryſoſtomus ait nihil ſenſibile dediſſe Chriſtum, illis verbis nos admonẽs, vt veritatem myſterij ex eo quod inuiſibiliter datur, fide conſideremus, non ex ſpecie elementi, ſub cuius forma datur. Verbum (inquit) Chriſti non fallit, quum ſenſus fallant ſepiſsimè, quæ verba Chryſoſtomi prorſus ocioſa & intempeſtiua fuiſſent, ſi ſola eſſet per panem corporis ſignificatio. Quin etiam ſi ita ſenſiſſet Chriſtus, quomodo hic obiicitur: facilè id verbis expreſsiſſet dicens, hoc eſt figura corporis mei, quod non fuiſſe eo modo à Chriſto dictum, annotarunt patres: atque ea verborum forma magno nos errore Chriſtus liberaſſet, omnem eius quod agebatur ſtuporẽ auferens. Quid enim miri fuiſſet, quum ſignificationes tam ſint liberæ vt dicantur ad placitum, pane triticeo ſignificare corpus? Cæterùm quum ab ipſis fidei incunabulis myſterium in iis verbis ſanè quàm reconditum fideles agnouerint, inepta ſit oportet omnis interpretatio, & à re aliena, quæcunque myſterij rationem altam & abditam extinguat prorſus, & in ordinem id redigat communis ſenſus hominum, quod ſola nuda & exquiſita fide comprehendatur, quatenus fas ſit per ſpeculum in ænigmate perſpicere. Quare quum ſubſtantiam panis triticei, quam acceperat in manus, conſecratione effecerat corpus, vt iam quod ceret ſubſtantia eſſet corporis, quam benedictio conſecrarat, nos quod in veritate geſtum eſt ſignificanter confitentes, conuenienter fatemur tranſubſtantiationem, vocabulo ſanè apto & competenti.

Chryſo. in Mat. ho. 83.

OBIICITVR 120.

SI CHRISTVS NON ADNIHILAT PANEM *(vt aiunt aduerſarij) ſed ex eo facit corpus ſuum: Ergo iungit ſibi panem in vnitate & naturæ & perſonæ, quod eſt Chriſtum impanari & inuinari, quæ coniunctio eſt arctior quàm incarnatio, quæ eſt vnius perſonæ non naturæ.*

No

RESPONDET CATHOLICVS.

NON intelligit hic argutator medium quiddam esse inter adnihilationem & impanationem, cui autem nihil omnino succedat adnihilatio prorsus est, quod in hac mirabili conuersione non fit, in qua ipsa substãtia panis desinit in preciosissimam substantiam corporis Christi, quæ succedit. Hic autem argutator somniat adnihilationem à catholicis negatã, significare ipsam substantiam manere, etsi non ad nihilum redigatur, adhuc superesse, quæ ita demum vniatur corpori Christi, sed de sensu errat verborum quæ non intelligit, vnde nihil aliud quàm aerem verberat hoc argumento.

OBIICITVR 121.

TRANSVBSTANTIATORES APERIVNT *fenestram hæresi Marcionis, nam dicunt, videtur panis & non est, quod idem Marcion aiebat de carne & corpore Christi, quod non fuisset vera caro, sed tantùm appareret.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CAtholicorum simplicitas etsi pia prudentia à verbis interdum abstinet, quæ malè intellecta promoueant errores: sensus tamen veritatis integros nihil verentur apud fideles vbique profiteri, quo magis ecclesia ædificetur, nihil eo deterriti, ꝙ hæretici verè dicta protrahant ad calumniam. Non audebimus propter Marcionistas quos Loth excepit hospitio, sub humana specie angelos verè fuisse confiteri? ne id statim arripiat Marcionistarum quispiam, & stulta collectione, hoc est, dialectica peculiari hæreticorum mox inferat, Ergo Christus non est verè homo quomodo videbatur, sed sub humana specie angelus? Qua consecutione quid infirmius & elumbe magis? vt quod in aliquo sit singulare, ad alia extẽdatur, vt quod ibi, igitur hîc: & quod semel, ideò semper, quomodo solem Epicurei ineptè dicebant bipedalem, ne aliquando sensibus diffisi, nunquam vnquam fidem illis auderẽt adhibere. Sed quod ad Marcionistas attinet, illi potius horum errorẽ promouent, qui ad naturæ modum excutiũt omnia, & quæ à Christo agebãtur virtute dei, à naturę vi cõmodè non distinguũt, nã inde Marcionistis præcipuũ est argumentũ, quod in Christi humanitatẽ Gene.19.

intenderet, quomodo corpus verè solidum & naturale super aquas ambularet, euanesceret ab oculis, ianuis clausis intraret, quæ ista virtute diuina fieri, (quomodo etiam Christi corporis exhibitio in mysteriis fit) & supra naturam fieri, ac speciali modo, quoniam malitia obcæcati intelligere nõ poterant & nolebant, ad nostrorũ hæreticorum exemplũ, secundum inferioris naturæ regulas, quæ Christus in corpore agebat, expendentes, illi similiter vt isti à veritate rerum turpiter exciderunt. Nostri verò figuratores, non fenestras, sed valuas Marcionistis aperiunt, qui verba Christi tam aperta, tam dilucida, tanto cõsensu de corporis veritate interpretata, de sola figura volũt intelligi, verbi (cuius annũtiationi fides nostra nititur) illusionẽ inducentes, ne corpus credamus esse corpus, sed figurã solã, vnde (vt quidã scribit) euenturũ sit vt omnis nostra religio figuris & significationibus euanescat, tanquã in re nihil sit solidi, sed phãtasia mera.

OBIICITVR 122.

DANT ETIAM OCCASIONEM VT IN- *troducatur hæresis eorum, qui dixerunt Christum non fuisse crucifixũ, sed pro eo Simonem Cyrenæũ, etiamsi populi aspectui videbatur Christus crucifigi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NON tam hæresis illa, quàm mera dementia fuit, quæ hunc etiã vexat, qui excellentissimi Eucharistiæ mysterij veritatem ideo nõ plenè confitendam censet, ne omnia nõ
Luc.24. tribuantur iudicio oculorum. Quin Lucę euangelio intendit calumniam, quo Christum à discipulis euntibus in Emaus nec oculis nec sermone cognitũ fuisse narratur, sed in fractione panis, Oculi (inquit) eorum tenebantur. Et ista rei gestæ veritas, si somnium suum pergant tueri dementes, expungetur? Quòd si minimè hæc, cur illa obsecro dissimuletur veritas, Corpus verè in mysterio dedisse Christum, quum tamen ad oculorum iudicium nil nisi panem daret, oculorum dico qui incredulitatis glaucomate essent infuscati? Iam verò, si adesse corpus Christi oculis nescientibus confitemur, cur panis substantiam abesse insciis oculis vel repugnantibus etiam profiteri cunctemur, quãdo doctrina catholica sic

explicet

explicet myſterium? Imò, inquit hic argutator, ne Symonem Cyrenæum credãt aliqui pro Chriſto crucifixum. An par eſt inſanos ita vereri, ne ſanam doctrinam proferre audeamus? Sed ego vnà inſanio, qui hæc tracto pluribus.

OBIICITVR 123.

CHRISTVS A SENSIBVS PROBAVIT SE *non eſſe phantaſma, ſed verum habere corpus, dicens, Palpate & videte. & recepiſſe proprium corpus, demonſtratis clauorum fiſſuris. Sed ſi detur locus tranſubſtantiationi, vt aliud ſit, aliud appareat: argumentum Chriſti nullius eſſet roboris, ſed meritò diceretur Chriſtus eſſe præſtigiator, & illudere ſenſibus noſtris, quod eſt impium dicere: Ergo non eſt tranſubſtantiatio.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CHriſtus ſuorum infirmitatem craſſo ſenſuum teſtimonio ſubleuans, non hoc agebat, opinor, vt de ſenſibus axioma confirmaret nobis, videlicet, Senſus corporeos nũquam falli poſſe, vt ea religione de ſenſibus non ſit fas poſteris dubitare, ne reſurrectionis Chriſti fidem imminuere videantur, id quod tamen qui iſta obiicit, videtur ſignificare. At verò Chryſoſtomus in concione ad populum sacroſanctum Euchariſtiæ myſterium tractans, ne ſenſibus fidant admo- *Chryſoſt. in*
net, quoniam ſæpe fallunt, inquit, & ad verbi Dei veritatem audi- *Matt. Ho-*
tores reuocat, & notat Chriſtum dixiſſe, Hoc eſt corpus meũ. Quid *mil. 83.*
igitur eſt? Chriſtus non à ſenſibus veritatem probauit, ſed infirmorum ſenſibus exhibuit per miraculum ſui corporis veritatem, vt omnifariam inclareſceret reſurrectio. Qui tamẽ vt ſenſibus omnem probationis prærogatiuam adimeret: Quia vidiſti me Thoma, in- *Ioan. 20.*
quit, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderũt, vt non renuntiatione deinceps oculorum, ſed annuntiatione verbi conſtaret fides, cui certi & ſecuri auſcultemus.

OBIICITVR 124.

QVEMADMODVM IN SACRAMENTO *baptiſmi ſpiritus ſanctus confertur, nullus tamen dicit aquam tranſubſtantiari: ſic in Euchariſtia, etſi credentibus conferatur corpus Chriſti: non tamen requiritur tranſubſtantiatio.*

RESPONDET CATHOLICVS.

TRansubstantiatio in sacramento Eucharistiæ secundũ veritatem mysterij docetur, propter verba Christi, qui illud mysteriũ institués dixit, Hoc est corpus meum, simul porrigens, de quo id affirmasset. De aqua verò baptismi, quoniã nihil dicitur eiusmodi, cur videatur transubstantiata, id quod non constat, non docet Catholica veritas, non enim de aqua dicitur, Hoc est spiritus sanctus, Hoc est sanguis Christi, quæ iustisima causa est, vt quæ sacramenta author distinxit institutionis forma, ecclesia ne confundat in doctrina, quæ doctrina non à similitudine, (quod hic vult argutator) sed ex ipsa veritate attemperanda est, vt quodcunque sacramentum suis modis & terminis constet, non alteri à quo discrepet, nostra ratiocinatione adæquetur, vt ne locus sit vllus huic (quemadmodum,) à quo verbo nimis ineptè progreditur hoc argumentũ, quasi doctrina ecclesiæ vndarũ instar fluctuet, nec ad fixam ecclesiæ columnam sit alligata.

OBIICITVR 125.

SI SIT VLLA CONSECRATIO ET CONuersio panis in corpus Christi, vel est ante prolationem propositionis (Hoc est corpus meum:) vel post, vel simul. Si post, tum propositio pro tempore prolationis est falsa, quia tum non est corpus Christi, si ante, tum fit conuersio non vi verborum quæ sequuntur, sed alterius rei, dicant si poßint, cuius vi fit? Si simul cum prolatione: Ergo conuersio est succeßiua, & non in instanti, vt sunt cætera Christi opera.*

RESPONDET CATHOLICVS.

GRegorius Nazianzenus quum ad tam inepta respondere cogeretur, verbo notauit ἐρωτημάτων παίγνια, quum huiusmodi quæstionistæ nihil aliud quàm ludãt quæstionibus, quas quum in cornua arte digesserunt, sibi ipsis pollicentur contra veritatem victoriam. Ego quæstionum præcipitia fugiens, simplicẽ opponam veritatem. Non dicam videlicet post prolationem verborum factam consecrationẽ, ne sit quum profertur, minus vera propositio, Hoc est corpus meũ. Nec dicam ita simul fieri, vt succesiua sit Christi operatio, quod fa-

tecor

teor libẽter in inſtanti fieri. Sed quum inuiſibilis ſacerdos (vt habet Emiſſenus) ſecreta poteſtate hæc agat, illud dico, nos miniſtros (vt faciamus quod fieri à nobis debere ſpiritus Chriſti nos docuit, & tradidit eccleſia) curare oportere, & in verbis ac factis Chriſti ſummã veritatẽ citra hæſitationem agnoſcentes: perplexos quæſtionũ labyrinthos vitare, dum velut inſidiæ ad fidem eccleſiæ euertendam protendantur, nec quicquam omnino habeant ædificationis. Et illud ſuum antiquum obtinent hæretici, cornutis dilemmatis impetere myſteria, vt quiduis protinus negent, quod non ſit protinus explicabile, qui videlicet in Deum patrem vſi ſunt hoc dilemmate, Si pater eſt, inquiebant, vel ab exiſtentibus eſt, vel à nõ exiſtentibus. Si ab exiſtentibus quidem dicas, illa priora fuiſſe fatearis, tanquam à quibus ſit. Si à non exiſtẽtibus, ergo (inquiebant) ex nihilo eſt, quod ita refellit Nazianzenus, vt dicat non neceſſe habere ſe alterum horum concedere. In myſteriũ incarnationis ludebant alij, Deus verbum, aut mutatione factus eſt homo, aut manens idem quod erat, factus eſt homo. Primum eſt abſurdum ipſa ſententia, Secundum ſeipſum perimit loquendi modo, & eſt ἀσύστατον, quia ſi manet quod erat, quomodo fiat quod non erat? manere enim quod erat, negat fieri quod non erat. Atque hoc Iuſtinus in expoſitione fidei, & ſubdit, ſimplicitate fidei vitari captionem, vt credas nihilominus quod nequeas explicare. Et in noſtro Sophiſta hęc temporum diſtributio huc ſpectat, vt diuinæ operationis momenta, ad minima temporis puncta explicemus, quò noſtrę cognitionis imbecillitas haud queat penetrare. Cur igitur, inquiet, ponitis verba cõſecrationis? Reſpondeo, quoniã iis verbis nos certos reddit Chriſtus ſe conſecraſſe, dum velut ab ipſius ore profertur à miniſtro, Hoc eſt corpus meũ, quod quia ante plenam verborum prolationem fides non certò concipit, quæ verbo nititur, ſana eſt doctrina de vltimæ ſyllabæ pronuntiatione expectanda, non quòd vltimæ ſyllabæ maior ſit vis quàm reliquarum: (quod quidam per calumniã obiiciunt, quum nemo Catholicus id dixerit) ſed vt fidei noſtræ ſit plenum & ſolidum fundamentum, quæ Chriſti verbis ſuperſtruitur. Feciſſe Chriſtum quod dicit, certò ſcimus, quum ſermonem efferat non indicatorium, ſed operatorium, cuius tamen operationẽ momentis ſyllabarum metiri non poſſumus, ne curioſius in myſteria inquiramus. Qui Chriſtum

Iuſti. Mar. in expoſitione fid.

quum benediceret consecrasse dicunt, piè quidem sentiunt illi, & aliis verbis quod sentiunt eloquūtur, nec vllam de mysterio mouent controuersiam, sed in eandem tendunt mysterij confecti veritatem. Hanc quisquis in quæstionum labyrinthis se senserit impeditū, protinus apprehendat, qua se ab iis tricis expediat, ne perplexis quæstionum inuolucris irretitus, ideò absurda concedat, quia nequeat vera explicare. Scholastici verò, qui asidua inquisitione quærēdi cum pietate veri, sensus in iis habeant exercitatos, ita dicerent, verba hæc: Hoc est corpus meum, signum esse sensibile à Deo institutū, & tanquam ad consecrationem instrumentum, quo plenè prolato, virtus Dei adhærens & verbis asistens, in vltimo instanti efficit consecrationem, quoniam loquentis ministri intentio plenam etiam verborum prolationem spectat, & ad absolutam prolationem verba præcedentia refert, non vt veritas succesione prolationis accrescat, sed quasi vno mométo prolatis (si fieri posset) omnibus, protinus à prolatione integra, veritatem totius sententiæ, pluribus verbis enunciatæ, Deo operante, subesse intelligat & credat, atque etiam cum Deo tanquam minister in instanti cooperetur, dum quod est Dei instrumentum, semel efferre & pronuntiare conetur.

OBIICITVR 126.

DICVNT CONVERSIONEM PANIS IN *corpus Christi, esse in vltimo instanti prolationis horum verborum, Hoc est corpus Christi. Ergo hæc syllaba, um, in fine, habet totā vim & virtutē mutandi & deificandi panem. O præstigias & mera incantamēta.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Hoc argumentum rectè dilueretur cōtraria exclamatione, O vanitatem & mera mēdacia. Nemo tam insanit vt vim omnem ponat in vltima syllaba, & esse tamen qui vltimæ syllabæ prolationem exigant, scio, & qui simul docent Christi actionem non successiuam esse, sed peragi in instanti, vt loquuntur, etiam hoc scio, quod tantundem valet quasi dicas, à nobis distingui temporum momentis aut syllabarum terminis Christi actionem non posse, quibus nobis incumbit, quod mandatur: diligēter obire, & tum demum nos certos

tos de diuina actione fore: quum quod iussum est, plenè absoluerimus. Et quàm ineptè argutatur iste, quasi quod ad integritatem desideretur, sit ipsa integritas. Veluti, dictio integra non est, nisi vltima adsit syllaba: ergo in vltima syllaba est vis omnis, & integritas ipsius dictionis. Et nisi verbis plenè pronuntiatis non confertur baptismus: ergo in vltima syllaba (spiritus sancti) quæ est, ti, consistit omnis baptismi vis. Hoc fallaciæ genus est notatum à veteribus hoc exemplo, aut quadrante diuitem fieri, aut nunquam fieri, vbi cumulo in minutas partes conciso, tanquam omisso quod præteriit, de præsenti semper quæritur, quod tamen reuera nihil efficit, nisi quatenus reliquo cumulo annumeretur. Et iis fallaciis impetitur tantum sacramentum, cum deprauatione verborum, quasi deificetur panis secundum doctrinam ecclesiæ, quod est vanissimum, & alibi queruntur panis destructionem, alibi deificationem, tam garriunt inconstantia. Tum autem verba Christi expendunt quasi incantatoria essent, quæ vim haberent inhærentem, quum vis omnis quæ verbis tribuitur, in Christo hæret, qui verbis prolatis adest, quibus ad exhibitionem gratiæ vtitur vt organis, quibus ipse quasi adhæret, qui gratiam quam in momento operatur, verbis tamen quæ successionem syllabarum habent, illam gratiam exerit nobis, & (si fas sit conferre exemplum) quemadmodum animi nostri notiones minimo momento comprehensæ, si quando proferantur verbis, vt aliis innotescant longo verborum tractu, videntur dilatatæ, & tum demum à nobis egredi cœpisse quum vltima syllaba prolata sit, nisi fortè alterius ingenij acumen, celeri coniectura ex prolatis proferenda coniectarit: Ita Christi consecratio, quoniam verbis adest, quibus ad exhibendam nobis suam gratiam vtitur, absoluta demum pronuntiatione effecisse quod intendit, dici potest. Quod & illi videntur intellexisse, qui nisi vltima syllaba prolata, nihil fieri scripserunt, videlicet qui scripserunt, hoc est, si qui scripserunt, quibus esset authoritas doctrinam edere.

OBIICITVR 127.

TRANSVBSTANTIATIO VENIT A ROMA, *synagoga diaboli, Ergo vt error abominabilis, non vt veritas amplectenda. Nam Scholastici aiunt, in sacramentis tenendum, sicut tenet Romana ecclesia, etiamsi verba Christi, facilius, verius & conuenientius scripturæ exponi poßint.*

RESPONDET CATHOLICVS.

SCotus, ex Scholasticis primus, agnoscit scripturas nó esse priuatæ interpretationis, & eodem spiritu explicandas, quo fuerant scriptæ, quæ verba ita attemperat, vt non loca aut homines, sed cõsensum & vnanimitatem in domo domini spectasse videretur, quæ vt ostenderet quanti faceret, & quanti vellet ab omnibus æstimari, amplectitur ille quod de transubstantiatione patres cõfesßi sunt, etiamsi facilius & verius in apparentia, vt dicit, potuissent scripturæ interpretari. Quæ verba (facilius & verius in apparentia) eam vim habeant, vt captiui intellectus ostenderent in Scoto argumentum, facilè cedentis iudicio spiritus, non authoritati hominum, vt suo exemplo prouocaret cæteros, ne ingeniorum facilitati & apparentiæ veri confidentes, ab ipso deficiant & desciscant vero, quod in declaratione transubstantiationis agnoscit. Ergo, inquies, sentiebat, facilius & verius in apparentia posse interpretari scripturas citra transubstantiationem. Ne id quidem, sed quasi per concesßioné, etiamsi ita esset, sequendum tamen ecclesiæ consensum, vt eorum retunderet audaciam, qui suæ prudentiæ innitentes plus sapiunt quàm oportet sapere, nec sapiunt ad sobrietatem. Vigebant illis temporibus ingenia maximè, quum lingua iaceret inculta & horrida. Confessus est ergo Scotus facilitatem & veri apparentiam transubstantiationi obstare, vt ansam præriperet cæteris inuestigandi, & omnes secum duceret in obsequium intellectus. Hic argutator omisit verbum (apparentia), quod ita detrahit verbo (verius) cui annectitur, vt prorsus reddat, pro vero significare falsum. Quicquid enim apparentia verum dicitur, innuitur reipsa verè falsum ac simulatum esse.

INNO-

OBIICITVR 128.

INNOCENTIVS TERTIVS, PRIMVS IN-*uenit & decreuit tranſubſtantiationẽ, in Laterano, Ergo eſt doctrina Papiſtica & nõ Catholica, & incognita omnibus ſanctis patribus ante eũ.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVI abditas veritates aliis atque aliis verbis, ſed ſenſu conſono iam expreſſas, in vnam vocis conſonantiam redigit, quomodo rerũ quaſi ab eo nunc primùm inuentarum author dicitur, qui præter vocẽ nihil addidit nouitatis? An veritatẽ conſubſtãtialitatis inueniſſe dicendi ſunt Niceni patres, quòd veritatem arcanam quidem illam, ſed catholicorum ſenſu conſtantem, verbo nouo (ὁμούσιον) apto & ſignificante extulerũt? Ad quod ſanè exemplum ab Innocentio eſt factum, conuenientibus patribus in Laterano, vt arcanæ in Euchariſtia mutationis ſenſus, ſemper apud catholicos idem & conſonus, vna & noua tranſubſtantiationis voce exprimeretur. Quo fieret, vt hæreticorum (qui in verbis diſsidiũ quærunt) linguæ ſaltem quoad eius fieri poſſet, compeſcerẽtur. Ergo ſub Innocentio veritas quæ re ſemper vna eſt, voce etiam vna conuenienter expreſſa eſt, non homine Innocentio, qui nihil aliud quàm præfuit, tanquam ſua induſtria inueniẽte, ſed illo dictante veritatis ſpiritu, qui ipſam ſcientiam habet vocis.

OBIICITVR 129.

PATRES ARGVMENTABANTVR CHRI-*ſtum fuiſſe verum hominem, quia eſuriuit, dormiuit, & paſſus eſt, Ergo ſimiliter licet nobis colligere, eadẽ eſt figura, idem ſapor, idem color qui panis eſſe cõſueuit: ergo verè eſt panis in ſubſtantia. Alioqui dicent hæretici, eſuriem, ſitim, ſomnum, paſsionem, poſſe locum habuiſſe in Chriſto, quamuis abſit eorum ſubſtantia, id eſt natura humana.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ARgumẽtorum varia eſt ratio, quædã videlicet veritatem euincunt, & reluctantem aduerſarium trahunt inuitum, quædam verò ſua ſponte ſequentes & pronos animos, in præſentis veritatis cognitionẽ penitiorem & clariorem,

quaſi manu ducunt. Ergo dormire, eſurire, ſitire, fatigari, algere, & quicquid eſt præterea à corporis affectione argumenti, hactenus valuerunt: vt humanitatis in Chriſto veritatem receptam explicarent apertiùs, non vt euincerent apud hæreticos controuerſam, qui hæc iſta ſimulari potuiſſe cõtenderent. Vnde & Marcioniſtæ, quum frequentem horum mentionem in ſcripturis legiſſent, non ſunt tamen à ſua inſania reuocati. Quare ſi argumenta à ſenſibus petita veritatẽ controuerſia implicatam nequeât expedire, multò minus receptam valeant improbare, & ne quid illis incõſultis pro veritate habeatur, tanquam tribunitia poteſtate intercedere.

OBIICITVR 130.

PATRES PROBANT DVAS PERFECTAS *naturas in Chriſto eſſe, per ſimilitudinem ab Euchariſtia ductam: ergo licet ſic bene argumentari, Sicut in Chriſto ſunt duæ naturæ, non mutatæ, ſed diſtinctæ ſine alterius confuſione: ſic in Euchariſtia ſunt duæ naturæ, id eſt, panis & corpus Chriſti, diſtinctæ & non confuſæ per mutationem alterius in alteram.*

RESPONDET CATHOLICVS.

SI is qui hæc proponit illa ipſa perſuaſa habet, quomodo obſecro illos fert qui Euchariſtiam ex pane & corporis Chriſti figura conſtare dicunt, quum nemo dixerit figuram eſſe naturam perfectam eius corporis cuius ſit figura? Quòd ſi ſola figura corporis ſecundum illos pro corpore præſenti habeatur, quum reuera (vt illi volunt) abſit: quî minus ſpecies panis pro pane præſente habeatur? Atque hæc in hominem dicta ſunto, qui de perfectis naturis id citra ſcripturas proponit magiſtraliter, quod omnem illam de figura doctrinam ſemel euertit, ne ſi, vt ille vult, alterius naturæ figura in ſacramento aſſeratur, ſit item in Chriſto alterius naturę ſola figura. Sed quomodo quæ fingunt cohæreant, nihil vident, & memorem oderunt diſputatorem vt compotorem, quod fingendi & refingendi ſibi vendicant licentiam. Ego verò conſtanter nego patres hoc agere ſimilitudinibus iis, quæ vel ab Euchariſtia, vel ab hominis conſtitutione petuntur, vt eam quæ eſt in Chriſto naturarum perfectionem

nem oſtendant,ſed naturarum diuerſæ conditionis cõſiſtentiam ſolam. Nam vt de homine videamus,qui ex anima rationali & corpore conſtat,is ex duabus naturis perfectis non conſtat, quum in homine conſtituendo alteram altera natura perficiat, vnam ex vtriſq; perfectam hominis efficiens naturã : & tamen quia naturæ ipſæ iſta conſtitutione non confunduntur in homine, & licet anima corporata aut corpus animatũ dicatur & ſit:anima tamẽ ſuæ naturæ proprietatem retinet,corpus autem in ſua corruptionis & grauitatis cõditione manet. Hactenus quidem certè ſubſeruit ab homine ſimilitudo,vt duas in Chriſto naturas non probet quidem , ſed perſuaſis explicet,non omnibus tamen numeris,ſed ex parte, eo videlicet tẽperamento,vt ſemper ſubſeruiat quod in ſimilitudinẽ adducitur,nõ contendat ex æquo,quod eſt par eſſe, non ſolùm ſimile, cuiuſmodi quiddam quod par ſit, ad explicationem principalis in Chriſto myſterij non reperitur : nam hoc ſi fieret non eſſet amplius ſingulare, quod nunc eſt verè ſingulariſsimum. Quin illud maximè eſt obſeruandum,vt ſuus cuique myſterio modus & ratio cõſtet, cui vis verborum omnino ſubſeruiat,non præiudicet,ne vltrà quàm fas ſit verba vrgeamus. Itaque quum dicimus Chriſtum perfectum hominẽ, non dicimus tamen Chriſtum hominis ſumpſiſſe perſonã, ſine qua perſona cæteri homines non ſunt perfecti, quod velle videbantur Neſtoriani, qui ad rationem numeri naturarũ duas in Chriſto fingebant perſonas,quod eſt abſurdum. Nempe enim ſi hominis perſonam ſumpſiſſe Chriſtum diceremus, fateremur hominẽ ſeorſum plaſmatum in vtero virginis, & in perſona ſubſiſtentem primùm, ac deinde eum ſibi adunaſſe Chriſtum,vt ſicut duæ naturæ, ſic duæ perſonæ dicãtur in Chriſto vnitæ,quod eſt abſurdum, ne hinc quaternitatem inducamus. Quare ne ita myſteriũ incarnationis Chriſti intelligeremus, ita loquuntur patres verbum deum in vtero virginis complaſmatum,ſignificantes in ipſo homine formando vnionem naturarum admirabilẽ fieri cœpiſſe,quæ perſonarum eſſe ante perfectum hominem non poſſet. Vnde tantummodo naturarũ fuit, atq; hinc beata virgo θεοτοκός dicta eſt, quod ante vnionem formato homine dici non poſſet. Quæ tamen nihil obſtant quominus perfectum hominem ſumpſiſſe Chriſtum rectè confiteamur, ſed ſalua ratione conſtituti myſterij, ne hominis perſona intelligatur aſſum-

pta, vnde quidpiã fidei noſtræ regulis aduerſum conſequatur, quod eſt ſemper ſummopere præcauendum. Hæc prefatus ad Euchariſtiã venio, cui conſtituẽdæ perfecta natura panis & vini adhibetur quidem, vnde ex viſibili elemento & vero Chriſti corpore & ſanguine dicatur conſtare, quod & verum eſt, atque hæ naturæ ita conſiſtunt vnum cõficientes ſacramẽtum, vt quod terrenum eſt, à ſua proprietate non recedat, neque enim naturæ ſuæ fines in ipſa conſiſtentia egreditur, aut ab illis digreditur, ſed quod antea viſibile erat, manet etiamnum viſibile, & quod palpabile, ſimiliter palpabile. Ipſa rurſum cœleſtis & diuina ſubſtantia corporis Chriſti ab hac terrena natura non afficitur. Itaque hinc ad explicationem myſterij in perſona Chriſti, ſimilitudo cõuenienter petitur, quatenus altera natura qu. parte manet ab altera, non confuſione aut affectione extinguatur aut alteretur, ſed in ſua proprietate manent ſingulæ, vt itidem ſit in Chriſto, ne humanitatem putent Eutychiani abſorptam à diuinitate, nec ex diuerſis naturis vnum quid ſubſiſtere. Neſtoriani put. abſurdũ, qui ſingulis in Chriſto naturis, ſingulas perſonas tribuebant. Quòd verò ad perfectionem & integritatem naturarum attinet, ſua eſt cuiuſque myſterij propter diuerſum conſtitutionis modum, peculiaris ratio. Nam vt de myſterio incarnationis loquar, verbum caro factum eſt, complaſmatum in vtero virginis, quomod. habemus catholicè interpretatũ, nulla mutatione, quæ in diuina natura abſurda eſt cogitatu, in humana verò carne ſi eſſet mutati. imminueret illius naturæ integritatem huiuſmodi paſsio, quod æquè abſurdum dicere, ergo ſola fuit in illo myſterio aſſumptio: adunatio carnis humanæ, vt in ea natura humana integra, à verb. aſſumpta & adunata, redemptionis noſtræ myſterium perageret. In Euchariſtia verò conſtituenda quod fuit ſubſtantiæ panis, e. deſiit, vt adeſſet quod antea ibi non erat, ſubſtãtia corporis Chri. neque enim fidei regulæ patiuntur nos dicere Chriſtum panem aſumpſiſſe aut adunaſſe; ſed ita ſe in myſterio exhibuiſſe præſenter. eo videlicet ordine, vt mirabili conuerſione, ex panis ſubſtantia eſſet ſubſtantia corporis Chriſti, vbi deſinente ſubſtantia panis, qu. Chriſti corpus ſuccedit, nulla eſt adnihilatio, nec perire de natu. creaturæ dici debeat, quod in tantã dignitatem ſit euectũ, vt deſineret in ſubſtantiã creatoris. Quare ſicut in myſterio principali, h.

est personæ Christi, quum de perfecto homine confitemur in eodẽ quod verum est: insanum est illud perfectum ita vrgere vt ratio vera mysterij minuatur. Sic & in Eucharistia est dicendum, vt de terrenæ naturæ integritate altius non quæramus, quàm quatenus cum ratione constituendi mysterij conuenit. Vnde quia Christus vnum quid entis in substantia quod manibus tenebat, definiuit esse corpus suum, quod cõsecrãdo effecerat, quòd ipsum antea esset panis quod in manus acceperat: propter illa inquam Christi verba substantiam panis non manere ecclesia docet, licet reliqua accidentia in sui natura integra maneant, ad significationis & obuelationis vsum, adeò vt nec visibilia palpabilia, aut etiam corruptibilia esse desinant, quæ terrenæ naturæ in Eucharistia remanent, licet cum cœlesti natura ita consistant, vt ex duabus naturis vnum Eucharistiæ sacramentũ constituatur, quemadmodum ex corpore & anima vnus homo, denique ex deo & homine vnus Christus, sed magno discrimine. Nã in Eucharistia naturæ duæ sine vnione, commixtione, aut mutua affectione consistunt, nam neque corpus Christi illis accidentibus, neque accidẽtia Christi corpore de suæ naturæ proprietate patiũtur alterationem. In homine verò duarũ naturarũ non solùm est consistentia, sed etiã vnio, & talis vnio, quæ vnam efficiat naturam perfectam, videlicet hominem. In Christo verò vnio illa naturarũ ineffabilis, tertium quid perfectæ naturæ non efficit, quemadmodum in homine: sed vnitatis in persona mysterium respicit, vt vnus sit Christus, deus & homo, ex duabus naturis non confusis, sed vnitis constans. Atque hæc quum ita sint, negandum est perfectas in Christo naturas vllis similitudinibus ostendi posse, aut similitudinẽ ab Eucharistia ideo fuisse adhibitam, sed ea demum gratia, vt ostendatur duas in Eucharistia naturas ipsa cõsistentia se non afficere, quin maneant in suę proprietate naturę, & quemadmodum quod corruptibile est, non desinit esse corruptibile, etiamsi cũ cœlesti natura consistat in Eucharistia: sic nec corpus Christi incipiat esse spiritus, ꝗ cum spiritu consistat in Christi persona, id quod maximè cõtendebant Eutychiani, contra quos adducebantur hę similitudines. Sed hic argutator quum ex eo quod falsum est, sibi sumit licentiam argumentandi, id infert argumento, quod doceat in Eucharistia naturarum distinctionem sine confusione, quod est concedendum, nã

illa

illa mutatio substantiæ panis nullam efficit in Eucharistia confusionem, quasi maneat in Christi corpore quod substantiæ panis fuit, quod est falsum, quemadmodum nec in igne manet quod ceræ absumptum est, & hac similitudine transubstantiationẽ notauit Chrysostomus. Adeò si quis huius argumẽti partes consideret, videbit in hoc argutatore confusum animum, & inter concinnandũ hoc argumentum mutatũ, qui à perfectis naturis orsus, dilabitur in cõfusionem, quæ ex perfectis naturis fieri quidem potest si confundantur, quæ in Christi persona nulla est, nec item in Eucharistia, sed earum quæ sunt, distinctio secundum cuiusque mysterij modũ intelligẽd.

OBIICITVR 131.

PER TRANSVBSTANTIATIONEM IMPE*ditur præcipuus Eucharistiæ finis, id est, cõmemoratio Christi & mortis eius, nam hîc tota mens & animus istorum occupatur in credend. transubstantiatione, & eorum sacrifici, quum venitur ad communion. hoc tantùm vrgent, aliis præteritis.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVI rerum veritatibus assentitur per fidem, animum ill. profectò fixum & tranquillum habet, nullis rationu. insultibus, aut argumentorum procellis obnoxium. Vn- Iaco. 1. de diuus Iacobus opponit fidei hæsitationem & fluctuationem. Postulet (inquit) in fide, nam qui hæsitat, similis est fluct. maris. Ergo quum rerum non apparentium certissimum sit argumentum fides, de eo qui fide sit persuasus, sanè quàm ineptè dicit. mentem eius in credẽdo occupari, quasi iactatam & agitatam fi. quæ summam quietem & tranquillitatem habet, & ventos om. arcet qui cierent fluctus. Et tamen hic noster sic loquitur, Occupatur (inquit) mens & animus in credenda transubstantiatione, qu. ipsa summæ est simplicitatis, vt credam videlicet nunc esse corp. Christi, quod antea erat panis, vt ex fide fidelis, quia credo quod cr. do, & sentiam & loquar, altiora me nõ quærens, & ex fide quæ præcepta sunt faciens. Carnales autem laborant, quia non credunt, credendi humilitate contempta, quæ vna exigitur, de mysteriis p. superbiam iudicandi scientiam arrogant, quæ negatur, quonia. de. superb.

ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Iſti autem fidei hoſtes ægrè ferunt illam inculcari, & ideo notatur apud argutatorem ſacrificus, quòd communicaturos admoneat huius fidei, qua tamen perſuaſa, illa ſua ſponte comitantur, quæ hîc conqueritur velut prętermiſſa. Quomodo enim poteſt non meminiſſe mortis Chriſti, qui ipſum qui paſſus ſit Chriſtum, quo mors eius efficacius annuntietur, in illis myſteriis præſentem, non phantaſia & imaginatione inani, ſoláve figura, ſed ipſa re, oculis fidei contemplatus, & corde credat, & ore, aut certè totius corporis ſermone, dum venerabundus adeſt, confiteatur? Et quæ eſt hæc peruerſitas? vt pro impedimento notetur, quod id de quo agitur, promoueat maximè? Tum autem, verbum fidei, quod abbreuiatũ ſit, quæſtiones omnes reſecãs ſecundũ Paulum, labor iis & occupatio reputetur, vt quũ cætera defuerint argumenta, tanquam onus & pondus reiiciatur ab ocioſis.

OBIICITVR 132.

EX HAC TRANSVBSTANTIATIONE SEquitur aliud falſum dogma, quod poſt communionem ſacramentorum in reliquiis continetur realiter corpus Chriſti extra vſum, ſed hoc probatur falſum comparatione aliorum ſacramentorum, quæ omnia actione conſiſtunt, & poſt actionem ceſſant eſſe ſacramenta: Ergo ſimiliter fit in hoc ſacramento.

RESPONDET CATHOLICVS.

QVAE veræ reliquiæ ſunt, quas hic argutator eſſe fatetur, eius cuius ſunt reliquiæ conditionẽ, retinere eas omnino neceſſe eſt, vt congrua appellatione reliquiæ eſſe dicãtur, qua vna reliquiarum nota à cæteris ſacramentis Euchariſtia diſtinguitur, quorum quoniam in actione ſola miniſtrantis & ſumentis conſiſtant & durent, nihil eſt quod expleto demum miniſterio ſupereſſe dicatur reliquum. Ideò nullæ ſunt baptiſmi reliquiæ, pœnitentiæ nullæ, aut ordinis, & item de cæteris. Euchariſtia verò, quoniam futuræ manducationi dei omnipotentia præparatur, adeò quidem vt ante ſumptionem cõſiſtat ſacramentũ, donec quod paratum eſt fuerit totum manducatum, neceſſe eſt aliquid ſupereſſe manducandũ, quod ipſum poſt expletam præſentium cõmunionẽ,

Cyrillus ad Colosyriū.

reliquiarum nomen obtinet, & seruatum (vt Cyrillus ait) non amittit virtutem, quum vel mox à clericis quod superesset consumi, vel in vsum manducationis vt sit quod deferatur ægrotis, solebat cõseruari, adeò nunquam propriè dicatur superesse quid reliquiarum extra vsum, etiamsi propter futuri vsus expectationem supersint reliquiæ extra actionem. Quare ecclesiæ dogma de reliquiis falsum dici non debeat, quod veritati esse consentaneum ipsa mysterij ratio indicat, piorum patrum probat authoritas, consensus denique ecclesiæ confirmauit. Illud autem ineptum, vt in quo à cæteris sacramentis Eucharistiæ ratio discrepet, ab illorum similitudine prolatis argumentis, non sua conditione, sed illorum æstimetur, quo disparis rationis instituta adæquentur, & varia sacramentorum ratio cõfundatur. Age verò, summatim perstringam, in quibus Eucharistia à reliquis sacramentis distet. In aliis sacramentis celebrandis forma profertur ministri nomine, dicit enim in baptismo minister, Ego te baptizo: At verò hîc, ex ore Christi dicitur, hoc est corpus meum. In aliis sacramentis vt fiant, vsus materiæ in conferendo sacramento exigitur: In hoc verò, materia ante vsum consecratione præparatur. In aliis sacramentum & perceptio, tempore non distinguuntur: In hoc sacramentum consecratione confectum, integrum proponitur, & manet ad futuram perceptionem. In aliis res sacramenti est domini gratia, In hoc, panis est dominus, vt inquit Augustinus, vt res sacramenti sit doni dator, qui in iis qui dignè suscipiunt, operatur gratiam. Et quomodo consistet illa consecutio, quæ à cæteris sacramentis ducitur? vt ad eorum modum Eucharistia, quę tot nominibus ab illis discrepet, æstimetur? Rectè admonuit Iurisconsultus, in iis quæ specialem causam, & rationem habent, non posse nos sequi regulam iuris.

OBIICITVR 133.

PANIS IN VETERI TESTAMENTO FVIT *figura huius panis sacramentalis, vt panis Melchisedech, & panis propositionis, Et mittamus lignum in panem eius, Sed aduersarij hunc panem sacramenti auferunt, & solùm figuram nobis relinquunt: Ergo ponunt figuram figuræ, vt nil solidi subsistat.*

Veteris

RESPONDET CATHOLICVS.

Veteris testamẽti figuræ, quæ tum in pane materiali exprimebantur, vmbræ erant, non panis materialis, qui in lege noua pro veritate exhiberetur, vt idẽ esset vmbra & corpus, nec quicquam interesset inter figuram & rem. Imò terrenæ ille substantiæ pro figuris datæ veteribus, corporis Christi iam cœlestis substantiæ & viuificæ, panis veri qui de cœlo descendit, sub specie panis verè exhibendi figuræ fuerunt, quod & Hieronymus in commentariis ad Titum annotauit. Et si tam sit absurdũ, vt est verè absurdissimum, figurã figuræ dici, (nisi quæ hîc iam geruntur, ad ea quæ in cœlis speramus futura referantur:) iam videãt isti figuratores, noui veritatis catholicæ aduersarij, num suo se hac allegatione iugulauerint gladio? & quatenus de sola figura in Eucharistia affirment, num ore id suo rursum improbent? qui figuram figuræ non ponendam fatentur. Nam si quod est spirituale & cœleste in sacramento Eucharistiæ, videlicet corpus Christi, res est figuræ & vmbræ corpus, ac veterum in pane materiali significationum vera exhibitio, nõ iam externa nostrorum, cum illorũ externis sunt comparãda, sed res nostræ internæ, cum illorum internis significationibus conferendæ, vt in Christo & institutis ab eo sacramentis, ac præceptis datis, legem & Prophetas impleri cernamus, & vmbras ac figuras, succedente veritate, meritò euanuisse. Adeò non impetit hoc argumentum catholicam fidem, vt à multis adeò aduersariorũ cauillis subleuet, si non iniquo iudicio expendatur. Et vide quàm iniqua huius garruli sit conquestio, quæritur scilicet nos nihil relinquere, qui pro substantia panis substantiam illã sanctissimam corporis Christi confitemur præsentem, quam ille pro nihilo ducit, nec quicquam vt videtur, in rebus æstimat, quod sensibus nõ sit cognatum & naturale.

OBIICITVR 134.

EODEM MODO SE HABET FRACTIO *panis ad paßionẽ Christi, quo se habet panis ad corpus Christi, quũ fractio sit symbolũ paßionis, vt panis corporis. At fractio nõ mutatur in paßionẽ, ita vt verè illam ac realiter præsentẽ faciat: Ergo nec panis mutabitur ita in corpus, vt illud præsens esse carnaliter efficiat.*

RESPONDET CATHOLICVS.

De elemento panis in cõstitutione Eucharistiæ quid fiat, illud propter verba Christi secundum fidei regulas intellecta, creditur à fidelibus, Panis substantiam cum substantia corporis Christi non manere, ne incidat absurdũ impanationis. De fractione autem quæ fit in mysterio, ne credatur illa in ipso vero Christi corpore præsente fieri, illæ ipsæ fidei regulæ omnino vetant, ne quotidie à nobis patiatur Christus, quasi repetita & iterata passione, qui licet à nobis in cœna sacrificetur: fit tamen ἀθύτως, & amplius non moritur, sed semel peracta mors, in sacra cœna annuntiatur donec veniat. Ergo fractio per figuram præteritum respicit, species verò panis corpus Christi indicat verè præsens vt longissimè absit à vero quod ab hoc argutatore pro cõcesso proponitur, videlicet eodem se habere modo panem & fractionem. Vnde à tam vanis & falsis principiis nihil censeatur vi consecutionis illatum, sed inepta est admodum illa loquendi forma, (fractionem non mutari,) quæ fractio si ad instar panis conuersione (si quæ esse eiusmodi posset) desineret esse: quomodo passionem vlla figura repræsentaret? Hoc argumentum vanissimum est, ex falso proposito & assumpto stolido cumulatum.

OBIICITVR 135.

QVI IN EVCHARISTIA TOLLVNT NVtritionem corporis, quæ fit per verum panem: idem auferunt rationem sacramenti, Nam vt corpus Christi pascit animam: ita panis corpus humanum. Qui igitur tollunt grana & granorum compositionem, qui tollunt nutritionem & substantiam panis, meo iudicio sunt sacramentarij, quia tollunt similitudinem sacramenti.

RESPONDET CATHOLICVS.

PErquàm ille iniquus est rerum æstimator, qui eos potius dicat sacramentarios, qui verbis auferant substantiam panis (quod veritas suggerit) quàm qui ipsam corporis Christi substantiam ab Eucharistia tollant per mendacium. At hic totus est in nutritione corporis, in cuius gratiam

inuertit

inuertit ſimilitudinem, vt iſto authore dicamus, quemadmodum Chriſti corpus paſcit animam: ita panis corpus humanum, quaſi nobis ſit probandum, quomodo panis nutriat corpus? quod ipſa diſcimus experientia. Sed ego ab hoc egregio diſputatore quæſierim, vtrum nutritionem iſtam corporis, quam tantoperè exigit, in actu ponat nutriendi, an in potentia? Si de actu intelligit, ſequeretur non eſſe ſacramentũ quum in altari proponitur, ſed quum corporis cœperit fieri nutritio, quam quoniam morbus in affecto corpore impedierit, cauſa eſſe poſsit, vt morbum eo nomine dicamus ſacramentarium, qui totam tollit ſimilitudinem ſacramenti. Sin de potentia intelligit nutriẽdi, ineptè loquitur de nutritione ipſa, quæ ad ſacramenti vel conſtitutionem vel effectum neceſſaria non eſt. Nam & antequam à nobis ſumitur, conſtituitur Euchariſtia, & in nobis agit gratia, etiã quum poſt ſumptionẽ natura defuerit, in alendo corpore. Et notauit cõcilium Nicenum, ad ſanctimoniam ſumi hoc ſacramentum, non ad ſaturitatem, tum autẽ apud veteres legimus obſeruatum, vt in ipſo mortis momẽto in os inſereretur morituris. Quin & iſtam nutritionem, quam hic diſputator tantoperè vrget, non eſt veritus Chryſoſtomus diſertis verbis reiicere, qui nihil vult hic æſtimari ſimile cæteris cibis. Et tamen ſcio analogiam à patribus notari, quam hac tractatione non reprobo, ſed in adhibitis creaturis ſimitudinem ſolam, & naturarum proprietatem, non etiam præſentẽ nutriendi effectum ita conſiderarunt illi, quaſi eo deſtituto non videatur fieri ſacramentum. Illud autẽ obſeruetur, vt panis & vinum adhibeantur conficiendo ſacramẽto apta & idonea nutriendo corpori, quæ nobis hactenus pro viſibili ſint verbo, vt quid inuiſibiliter agatur, ipſa ſui ratione inſinuent, vt quemadmodum illa ex granis & racemis multis in ſuam vnamquanque creaturæ ſpeciem coagmentata ſunt: ſic nos inuicem vt membra, Chriſto vniamur, quibus etiam vt vita hæc ſuſtentatur temporalis: ita illa ſpirituali alimonia & vita nobis augeatur, & conſeruetur æterna. Sed hæ ſimilitudines & ſignificationes creaturis quũ adhiberentur conſecrandæ, ita expreſſæ ſunt, vt non ſit neceſſe ea cauſa manere integras, quũ veluti verba audibilia ſignificationes illas & ſimilitudines iam in mentibus noſtris impreſſas reliquerunt, ipſis licet quemadmodũ verbis audibilibus euaneſcentibus. Et ſunt ex huius grege, qui ita

interpretantur verba, Surſum corda, quaſi eo ſenſu dicantur, ne animi ſymbolis affigantur, quod ita explicant, ne quantum ad fidem, ſymbola reſpiciant, quæ tamen hic vult eiuſmodi eſſe, vt ab illorum nutritione æſtimetur ſacramentum. Sic enim garrit, Qui tollunt nutritionem, tollunt rationem ſacramenti. Quos tandem accuſat iſte? quum catholici fateantur ſpeciali Dei miraculo fieri, vt deſinenti ſubſtantia, maneant in vera proprietate naturæ accidentia. An non ſatis eſt quòd hæc maneāt ad ſignificationem, quam tantoperè exigit, vnde fiant, quomodo alant? Minimè gentium, inquit, ſola enim ſubſtantia alit, Quibus authoribus? Reſpondebit, opinor, philoſophis. Ergo, inquam, Theologi perſonam exuat, & induat Philoſophi, vt ex prophanis principiis conuellat myſteria. Sancti martyres, quum ſuum eſſent profuſuri ſanguinem, corporis opinor, in domini calice non quærebant nutrimentum, quod iſte facit: ſed corporis & animæ (vt Cyprianus ait) munimētum. Et qui panem ſuperſubſtantialem credit adeſſe, iniquè queritur de ſubſtantia triticea, tanquam de corpore ſollicitus, quî ſuſtentetur? At iſti argutatores nihil credunt, vt non ſit mirū de pane eos contendere, quum vnum illum panem cogitent, quem ſenſus, quem ratio, quē caro intelligat. Myſteria non ex ſcripturis æſtimant, aut eccleſiaſtica traditione, ſed ingenio ſuo, & quum ſint iudicio ſuo ſubuerſi, non verentur tamen proferre nobis pro oraculo iudicium ſuum. Nam & hic dicit, iudicio meo, Leui videlicet & inani, quum nullum à ſcriptura pondus, nullam inde ſoliditatem habeat, ſed ſola aſſeuerātis temeritate nitatur, vanis ſuppoſitionibus & ſtultis aſſeuerationibus prodito. Tollunt, inquit, grana & granorum compoſitionem, quum grana iamdudum abierant in ipſa mola, dum frangerentur & efficerentur farina, vt iſti ſit de granis querela cum molitoribus, vbi granorum compoſitio etiam facta fuit, ſine qua panis nunquam fuiſſet. Nutritionem autem non tollunt catholici, quam confitentur miraculo fieri, quod eſt verè fieri. De ſubſtantia docent cum fide, quod acceperunt ex fide, nec rerum veritates mouent, ſed exprimunt, non ex ingenio ſuo, ne fides ſit ex homine, vt inquit Baſilius: ſed ex doctrina eccleſiæ, quam ſpiritus induxit in veritatem. Illi verò ſacramentarii & verè appellantur & verè ſunt, qui quod ex verbis Chriſti verum Chriſti corpus conſtat in myſterio adeſſe, id negant per malitiam.

Cyprianus li. 1. epiſt. 2.

myſterium

mysterium tanto dono euacuant, & diuinum quum sit quod agitur, inferioris rationis luce conantur detegere, quod sola tamen fide intelligatur.

OBIICITVR 136.

EVCHARISTIA EST SACRAMENTVM *non tantùm corporis Christi, sed etiam corporis mystici, Vnde Paulus, Vnus panis, vnum corpus multi sumus, Sed panis non transubstantiatur in corpus Christi mysticum: ergo nec in corpus Christi verum, quum vtriusque corporis ex æquo prædicetur sacramentum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Corpus quidem mysticum hoc sacramento significatur, iuxta Paulum, quum dicat, Vnus panis, vnũ corpus, multi sumus. Verumenimuerò Christus corpus mysticum à naturali suo corpore apertè distinxit, quũ adderet, quod pro vobis tradetur, cuius Christi corporis substantia data est, in quam quia panis substantia est conuersa, transitio fuit substantiæ in substantiam, non mystici corporis, sed naturalis, quod pro nobis traderetur. Qui verò exactius singula discutiunt, aliud esse sacramentum, aliud rem sacramenti notant. Porrò rem sacramenti sic diuidunt, vt in Eucharistia corpus Christi mysticum, quod estis vos, inquit Paulus, sit res tantùm significata, corpus verò naturale Christi, sit tum significata, tum contenta, quam explicationem scripturæ apertè probant. Quæ quum ita sint, non est verum quod affingit hic argutator vtriusque corporis ex æquo prædicari sacramentum. 1.Cor.10.

OBIICITVR 137.

EVCHARISTIA INSTITVITVR IN PANE *& vino, vt significent nobis nostrum spirituale nutrimentum ex corpore & sanguine Christi, Sed si corporale nutrimentum sit phantasticum, non manente pane & vino: ergo spirituale nutrimentum etiam erit phantasticum, & non in veritate.*

Nutri-

RESPONDET CATHOLICVS.

NVtrimentum quod accidentibus panis & vini in Eucharistia manentibus fit, verum nõ phantasticum dici debeat. Quatenus enim nutriunt, vel proprietate naturæ nutriunt, quæ in accidẽtibus maneat, vel speciali miraculo. Si proprietate naturæ nõ sine miraculo manente, phantasiam excludit ipsa proprietatis veritas. Sin miraculo, constabit ab authore miraculi alimenti veritas, ne quod in alendis tot millibus hominum tantulo pane à Christo factum est, obiiciamus calumniis, fuisse phantasticũ, sed Christus de se verè dixit, Ego sum veritas, qui quum Eucharistiæ sit author vtriusq; alimenti, tum quoad corpus terreni, tum quoad corpus simul & animã cœlestis, summam credamus veritatem, ne argumentum ab altero ductum, quod hic veretur, alterius impetat veritatem.

OBIICITVR 138.

ITEM HOMINES QVI TINGVNTVR, *veterem hominem deponunt, & rursus generantur, nec vlla tamen in eis fingitur transubstantiatio. Quòd si dicant generationem illam nouã, esse spiritualem, cur idem facere dedignantur in Eucharistia, & ad spiritualem manducationem omnia non traducunt?*

RESPONDET CATHOLICVS.

ECclesia nihil fingit, & spiritus quo authore ducitur & docet, odit omne fictum, quod satis est causæ, cur Christi institutum non abroget, & ad vnam spiritualem manducationem traducat, quæ vocem sponsi, sacramentalem instituentis manducationem, & audit & sequitur. Quod autem hic argutator notat hominem in baptismo regeneratum, non transubstantiari tamen, iocus est hominis ociosi in re tam seria nimiũ festiui, vt hominis substantia vel in aquã conuertatur, vel in spiritum sanctum. Et orthodoxi fatentur in homine baptizato adeò manere priorẽ substantiam, vt feces originalis peccati, soluto tamẽ reatu, hæreant etiamnum & maneant, in quibus prorsus expurgãdis militet & se exerceat mens spiritu instructa per omnem vitam, pugna, sola morte corporis dirimenda.

VT NOS

OBIICITVR 139.

VT NOS MVTAMVR IN CHRISTVM, *ſic panis in corpus Chriſti, Sed nos non tranſubſtantiamur in Chriſtum: Ergo nec panis in corpus Chriſti.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVod hîc proponitur, vt nullis ſcripturis conſtat, nulla patrum authoritate traditur: ita à ratione eſt alienum. Eſſe noſtri mutationem in Chriſtum fatendum eſt, propter regenerationem & innouationem. Et Paulus dicit, Vos eſtis corpus Chriſti, quæ eſt magna noſtri mutatio, & in Chriſtum. *1.Corin.12.* Sed illud eſſet huic probandum, quomodo nos mutamur qualitatibus mutatis, ita & in pane fieri. Et ita deiiciet hic argutator conditionem humanam, vt adæquetur pani? aut panem ita euehet, vt adæquetur in participando Chriſto nobis? & membrum de membro, caro de carne efficietur panis, non ſecus ac nos homines? quod fieret omnino ſi mutatio æquaretur, quia & panis eo pacto templum efficeretur Dei, in quo inhabitaret, quod iſti ex eadem ſchola Sectarij derident. Quod hîc argutatur, ſi quid eſſet in veritate catholica nutans aut vacillans, ad eius confirmationem ita valeret, quòd qui illam impetunt, tam vana, tam abſurda, tam aliena proferre ſe non ſentiant, tanquam in reprobum ſenſum dati, quoniam à veritate aberrant.

OBIICITVR 140.

IN OMNI SACRAMENTO PONENDA *eſt analogia ſignorum ad res, vt in hoc ſacramento, confectio ex multis granis ſignificat myſticum corpus, & operatio panis in alendo, confirmando & ſuſtentando, ſignificat verum corpus Chriſti, Sed ſi non maneat ſubſtantia panis, tollitur analogia ſacramenti, quæ non poteſt tribui accidentibus: Ergo tranſubſtantiatio non eſt ponenda.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVI patres, ſacramentorum rationem pia conditione tractantes, analogias huiuſmodi obſeruarunt: illi iidem in ſacraméto Euchariſtiæ tranſubſtantiationem aut verbis expreſsis tradiderunt, aut eius certè quod in myſterio a-

gitur explicatione insinuarunt. Nomino ex vetustioribus Cyprianum, qui non apertè transubstantiationem ad verbum, sed ad sensum docuit, quum panem non effigie, sed natura factum carnem scribat omnipotentia verbi, & idem analogiam annotauit. Ex recentioribus non sit necesse nominare quenquam, quum schola vniuersa Theologorum, quæ analogiam docet, vnà etiam doceat transubstantiationem. Et certè quod substantiæ elementi conuersione decessit, mysterio confecto, quamuis ad subsistentiæ veritatẽ non amplius adsit: ad analogiæ tamen rationem, secundũ integritatem materiæ adhibitæ æstimandam, non videatur prorsus abesse, quum tota elementorum integra & vera proprietas retineatur in accidentibus, quæ ex multis granis & racemis multis, in eam rerũ conditionẽ venerunt, & nutriendi virtutem etiamnum per miraculum habent.

OBIICITVR 141.

MAIOR EST CONIVNCTIO CHRISTI *ad nos, & cum illis qui communicant, quàm est cum symbolis, quia coniunctio propter istam inuenta, quum igitur quo ad nos minimè requiratur transubstantiatio, multò minus in symbolis.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVantus hîc se prodit hominis error? qui sic arguatur, quasi transubstantiatio sit quidam coniunctionis modus corporis Christi cum pane, atque adeò omnium arctissimus, quum potius quatenus transubstantiatio est, ad disiunctionẽ magis spectet, quàm coniunctionem, quando secundum Chrysostomum, substantia corporis Christi absumat substantiam panis, non aliter atq; ceram ignis. Cúmque coniunctio vt minus ex duabus substantiis sit, transubstantiatio solitudinẽ substantiæ indicat, quæ omnem cõiunctionem prorsus excludit. Nam quod ad accidẽtia panis attinet, si quæratur à catholico vtrũ Christi corpori accedere incipiant? quiduis potius dicet, quàm vt fateatur tam absurdũ, sed nec corpori Christi inniti, vnde & quidam vt hæc absurda vitaret, ne nihil diceret, dixit in aëre pendula. Quæ quum ita sint, apparet ab hoc argutatore disiunctũ animum, qui transubstantiationis disiunctionẽ cum coniunctione nostri cum Christo

Christo confert, quasi maioris coniunctionis causa futuræ, substãtia panis esse desierit, quomodo ille notatur præ amore exclusus foras. Et quasi dicas Christũ quia minus dilexit hominis naturam, substantiam eius sumpsisse in vtero, vt verò secundũ maiorem amoris modum propius adiungere se pani, substantiã eius desinere fecisse, dum sui corporis substantiam sisteret. Ista sunt insanorum deliramenta. Nostra substantia vnitur Christo, vt maneat in eo. Panis substantia desinit in Christi corporis substãtiam, vt hæc nobis adsit ad efficiendam vnionem. Symbola in sacramento subseruiunt nobis, authore Christo, qui ita illis vtitur, vt licet ad sacramẽti constitutionẽ adhibita, vnũ cum cœlesti natura cõstituant sacramẽtum: nulla tamẽ fit, vt nobiscum, vnio naturarũ, vnde hæc argumẽtatio proficiscatur. Atq; hoc tam ridiculum argumentũ, quasi Achilleum putatur, & inexpugnabile telum, quódque à se excogitatũ illorum Coripheus iactat.

OBIICITVR 142.

PAPISTAE NESCIVNT QVID FIT CVM *corpore Christi post sumptionem vel corruptionem accidentium. quidam aiunt auolare in cœlum, quod est falsum, nam illic antea fuit, non audent dicere corrumpi vel verti in substantiam corporum & animarum nostrarum: ergo nesciunt quid de eo fit, & ideo non est ponenda corporalis præsentia.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ADeón' huic mirum videtur, si vias domini non norint homines, quũ ab ipso domino per prophetam dicatur: Non sunt viæ meæ sicut viæ vestræ? Quod in vniuersa ferè natura ignoratur, quomodo quídque fit, quod tamen esse scimus, hic argutator exigit in explicando mysterio, quod si non liquido fiat, iustam esse rationem putat, vt à nostra in modo ignorantia colligat non esse. Et quando id nequeã expedire, quomodo Christi corpus in mysterio adsit, quod scio adesse, hic argutator postulat vt doceam quo tandem modo absit quũ desinat adesse. Et addit aliquos dicere auolare in cœlum, quod non arbitror verum. Detulisse angelos in cœlum qui dicerent legi, & angelis ministrantibus nobis afferri, quæ verba sunt nõ propriè ex-

Isaiæ 55.

plicantium modum eius quod agitur, ſed diuino operi miniſterium angelorum adeſſe ſignificantiũ, & per anguſtiam ſermonis vbi nullus eſt motus localis, verbis tamen quæ motum ſignificent, quando alia deſint, abutentiũ. Sic enim ratio ex verbis colligit: Si defertur ab angelis in cœlum, ergo ibi non erat. Rurſum, ſi affertur ad nos, ergo ibi deſinit eſſe. Sed ita res eſt, quemadmodũ animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus: ſic humanus ſermo non exprimit propriè opera ſpiritus: nec enim poteſt. Atque hoc notauit Gregorius Nazianzenus verborum noſtrorum occaſione fieri, vt ingerant ſe ſæpius humana diuinis, fiátque vt de deo cogitans, etiam ſi mente ſe & cogitatione à viſibilibus ſegreget, non arceat tamen omnem viſibilium ſimilitudinem. Nam vix eſt, inquit, vt ſpiritum eſſe Deũ cogitanti, non obrepat ſimul de fuſione & aliquo lationis motu cogitare. Et Deus per prophetã ſic loquitur: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. vbi nihil eſt motus quomodo verba ſonant. Vnde Chriſtiani quod in myſteriorum enarratione dicitur aut tradatur, non ad verborum vim exigunt, quam eadem verba in prophanis obtinent, ſed ea interpretatione accipiunt, quæ à veritate myſterij non recedat, cui omnis velut captiuus ſubiiciatur intellectus. Ergo quum lego ab aliquibus ſcriptum, corpus Chriſti vt ſit præſens, afferri per angelos, aut in cœlum quum defuerint, accidentia deferri: in hoc opere diuino non intelligo motum, quem afferre & deferre in prophanis ſignificant, ſed in efficienda præſentia, & item abſentia, diuinam fieri operationem, cui aſsiſtunt angeli tanquam adminiſtratorij ſpiritus, ſed modo nobis prorſus inexplicabili. Et ridiculè quærit hic de diuinis, qui tot neſcit humana, præſertim id vnum, quid fiat interim eius anima quum ſyncopi laboret grauiori, quo tempore videatur ea corpus deſtituiſſe, aut in anguſtias coacta, quas haud ſit facile explicare. Et de morbo loquor ſatis familiari. Cæterùm quod addit hic vereri catholicos fateri corpus Chriſti in noſtrum corpus verti, rectè dicit, non ſunt videlicet frontones catholici, quos nihil pudeat mentiri. Illud certò ſciunt & credunt, Chriſtum à nobis in ſacramento non pati, ſed ſi à nobis dignè manducetur, nos ſanctificare, nec vllis illi auolationibus aut deuolationibus, ad hoc myſterium peragendum opus eſſe, ſed virtute diuina efficere, vt in cœlo regnans Deus & homo, ſit etiã totus nobis præſens in

Iohel. 2.

ſens in ſacramento, modis quibus ille nouit inenarrabilibus, deficientibus autem viſibilibus ſacramenti ſpeciebus, deſinere adeſſe. Ergo veritatem eius quod agitur, quia credimus, loquimur: in modi verò explicatione quod non aſſequimur, fateri nos ignorare non erubeſcimus.

OBIICITVR 143.

CORPVS CHRISTI EST VBIQVE, ERGO *eſt in ſacramento tam bene antè quàm poſt, & ſic nulla eſt mutatio panis poſt conſecrationem, ſicut nō fuit ante. Antecedens probatur ſic, Diuinitas Chriſti & humanitas ſunt inſeparabiliter coniunctæ, ſed diuinitas eſt vbique: Ergo & humanitas.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CHriſtus ita aſſumpſit naturam noſtram, vt nec ille deſineret eſſe deus, nec natura aſſumpta deſineret eſſe humana. Quare licet vnio fuerit inſeparabilis, nō intelligimus tamen naturam diuinitatis, quæ eſt verè infinita, ad finitæ naturæ modum fuiſſe cōtractam, quod ſi factum fuiſſet, nō deus manſiſſet verbum quod erat, ſed in naturam hominis finitam conuerſus eſſet, quod blaſphemum eſt dicere. Ergo verbum factum eſt caro aſſumptione, nunquam poſtea deſerens quod aſſumpſit, vt verum ſit, vbicunque ſit Chriſti caro, ibi propter vnionem diuinitatē adeſſe, non contrà, ne humanam in Chriſto naturam, non à Chriſto aſſumptam, ſed abſorptam cum Eutichianis ſomniemus. Qui ruſus humanæ in Chriſto naturæ modum ita defendūt, vt illius vſum dei virtuti eximant, impiè verentes ne deſtruatur, & ideo negant ſine loco exhiberi in myſterio poſſe: timore trepidant vbi non eſt timor, & ſeſe manifeſtæ ſtultitiæ coarguunt, quia vſus ſecundum dei virtutem nihil poteſt imminuere de naturæ veritate.

OBIICITVR 144.

TRANSIIT TEMPVS HVMILITATIS ET *dimiſſionis Chriſti, Ergo quid oportuit per hanc tranſubſtantiationē illū rurſus dimittere, quoad corpus in fauces & ventriculos cōmunicantiū? etſi non inde lædatur: at patrū decet tā diu ſub accidētibus detineri Chriſtum, vt quum illa diſſoluta fuerint, corpus tanquam liberum à carcere auolet in cœlum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

TEmpus humilitatis Christi in conuersatione visibili & terrena præstandæ planè præteriit, sed humilis dispensationis tempus eousque manet, donec tradiderit regnum deo patri, subiectis omnibus, in quo regno perficiendo, & corpore suo mystico exædificando, pro nobis & nobiscum agit variis adhuc modis & decentibus, vtcunque rationi carnis crassę secus videatur. Nam quæ ab hoc argutatore recensentur, fauces, ventriculi, carcer, detentio & auolatio, carnali iudicio molestarum rerū vocabula, illi dispensationi quæ in mysterio peragitur, ineptè & per inuidiam attribuuntur, quæ ipsa à prophanis cogitationibus manāt & efferuntur, quo catholica de mysterio fides, maligno spiritu id agente, vanis persuasionibus extenuetur. Nihil enim patitur in sacramento Christi corpus, sed agit in nobis sanctificationem modo mirabili & ineffabili.

OBIICITVR 145.

HOC SACRAMENTVM EST CORPVS *Christi veraciter, Iste panis est hoc sacramētum: Ergo iste panis est corpus Christi veraciter. Tum sic, Iste panis est corpus Christi: ergo iste panis est, & per consequens panis manet, & sic simul est panis & corpus Christi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

FAllacia est ex pluribus terminis in ambiguitate verbi (Sacramenti) latentibus confecta. Nam quum dicitur, (Hoc sacramentum est corpus Christi:) ibi materia prædicatur sacramenti, in minori, sacramenti forma, etiamsi verum esset (iste panis est sacramentum,) quod negatur à catholicis, quia non panis, sed visibilis panis species, est forma sacramenti. Adeò scatet erroribus hæc argumentatio. Nam maior figurata est locutio, vbi per Synecdochen pars prædicatur de toto, videlicet corpus Christi de sacramento. Minor est falsa & fallax, vnde quod ex his infertur, vanum est.

OBIICITVR 146.

DEVS NON DESTRVIT NATVRAM IMpeccabilem, *nec confundit notitiam naturaliter nobis datam, niſi ſubſit maior vtilitas & maior probabilitas rationis, Ergo quum panis nihil peccauit, non deſtruitur à deo.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Αὔξησις eſt ridicula, quaſi deſtruatur quod in vſum tãti myſterij deſiit eſſe, & ita deſiit, vt tanta tantæ melioris conditionis ſubſtantia ſuccederet, deinde quod dei opificio fit, culpare magis quàm admirari, blaſphemum eſt. De vtilitate non eſt dubitandum quin ſit maxima, quæ à tanto authore proficiſcatur.

OBIICITVR 147.

TRANSVBSTANTIATORES STATIM DE*ſtruunt quæ deus creauit, quia materiam primam quam deus ordinauit eſſe perpetuam, deſtruũt, & nihil innouãt huic mũdo, præter hoc quod mentiuntur, ſe facere inaudita mirabilia, quæ haud dubiè non deus poteſt, & ſic vt fingunt, faciunt nouum mundum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVanta eſt hæc ſermonis vanitas? Verba hominum nihil aliud quàm verba ſunt, à rebus diſiunctiſsima, niſi quatenus veritati innitantur. Adeò quum mentiũtur homines, ſuæ ipſorum fidei detrahunt, rebus ſaluis & integris, de quibus loquuntur. Qui militari iactantia legiones ſe militum fudiſſe falſò prædicaret, homines non attigit, ſeipſum turpi mendacio conſpurcauit. Et hic argutator ineptus vult tranſubſtantiatores deſtruere mundum, quos ſimul fatetur mentiri, à quibus tamen, (ſi ille non mentiatur) nihil eſt mundo periculi, quem non attingunt factis, vtcunque ſe verbis efferant tanta mirabilia agere. Quod autem hic argutator de deo tam conſtanter affirmat, haud dubiè non poſſe illum: iam ſalua res eſt, ſecurus ſinat, quos tam odit trãſubſtantiatores mẽtiri, quod illis cedet in cumulum damnationis. Sin illi de deo vera prædicent, & quod fiat miraculi, illi tribuunt, quod certiſsimè

faciunt:

faciunt: non hæret in transſubſtantiatoribus hæc contumelia, ſed deũ vſque penetrat, & iam non contumelia, ſed blaſphemia appelletur.

OBIICITVR 148.

LICET CHRISTVS VOCATVS FVERIT *homo auſterus à ſeruo pigro, nunquam tamen tam ſeuerè alicui ſignificabili malè dixit, quin remanſit eius ſubſtantia, vt in ficu, Mat. 11. At iſti in conſecratione ſuæ hoſtiæ benedicunt panem & vinum in nihilū, & ſua benedictione deſtruũt creaturam dei. Sed laudemus Ieſum Chriſtum, quòd author huius mendacij non eſt ille, qui dixit & facta ſunt, ſed potius ille mendax, qui dixit & deſtructa ſunt.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Pſal. 14. AD nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus, inquit Pſalmiſta, non dei auſteritate, ſed impietate ſua, nec ita redactus ad nihilum vt non ſit, ſed vt in miſeria ſit, & viuat immerſus exterioribus tenebris. Hic malignus argutator in myſteriis irridendis ſibi videtur feſtiuus, alludens ad maledictionem ficus, in qua explicanda ſuam iuſtitiam proponit irridendam, quum ficum factam aridam, & proinde mortuam, in ſua ſubſtantia manere affirmat, nec diſtinguit ſubſtãtiam ſtipitis emortuæ à ſubſtantia arboris viuæ, ergo huic canis mortuus eſt canis, & ſi quis plantas aridas pro virentibus reddidit, eaſdem videretur reddidiſſe plantas, vt viui radices à mortuis nullo in diſcrimine ponat. Tum autem benedictionem, quam inuiſibilis ſacerdos ſua ſecreta poteſtate facit, per contumeliam miniſtro aſsignat, & mirabilẽ mutationem, deſtructionem impia transnominatione appellat. Scurratur lingua maledica, non diſputat, vt quum vires dicẽdi defecerint, ipſa expuat conuicia, qui eſt exitus iſtorum calumniatorum.

OBIICITVR 149.

Ignatius. OBIICITVR EX IGNATIO AD PHILAdelphenſes: *Rogo vos vt inſtetis vnæ fidei, vni prædicationi, vna gratiarum actione vtantes, vna eſt caro domini Ieſu, & vnus eius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, vnus etiam panis pro omnibus confractus, & vnus calix totius eccleſiæ. Vide panem remanere qui frangatur.*

Si

RESPONDET CATHOLICVS.

Si ipse se audisset hic disputator, dum hæc Ignatij verba ad infirmandam catholicæ ecclesiæ fidem proferret: fidem profectò in Eucharistia non deseruisset suam, vt aliã nouam erueret argumentis, quæ vna non esset cum priori. Et rogo (inquit Ignatius) vt vni fidei instetis. At illa hic argutator surda percurrens aure, post confractam fidei tesseram, à verbo (fractionis) sumit argumentum, quum hic Author Ignatius catholicã fidem luculentissimè exprimens, fractionem mysticam sentit, non quatenus in materia visibilis elementi explicatur, sed quatenus in vno pane, id est, Christi vero corpore per mysterium intelligitur, vt ipsa Christi mors & passio significantiùs fidelibus exprimatur. Et quemadmodum apud Paulum, dum scribit nos de vno pane participare, non intelligitur de pane vno materiali, qui vnus non suffecerit omnibus, sed de vno pane cœlesti, vero Christi corpore, quod participatione non minuitur: sic etiam hic vnus panis confractus significat vnum corpus Christi in mysterio datum, & vnus calix vnũ sanguinem, quum Christus sit idem omnibus, in se vnus, & vnus nobis. In hoc verò Ignatio quoniam vna Christi caro, secundum modum œconomiæ, alia atque alia dicitur, vt alia sit illa crucifixa, alia quæ manducanda detur, (quod notauit Hieronymus) & non ipsa visibilis secundum Augustinum, sed ipsa tamen spiritualiter intellecta manducanda detur: conuenienter fit, vt abstineatur in significando sacramento à nomine carnis, & pro eo vnus panis confractus subiiciatur, quia in fractione huius panis cognoscunt dominum fideles, & panem hunc vnum illum esse dominum substantia cõstet, qui in figura & visibili signo permittit fractionem, hoc est amplius quiddam quàm in cruce est factum, vt Chrysostomus annotauit, sed signum frangitur, ipsum verò signatum pati non potest.

Hieron. in ad Ephes. cap.1.
August. in Psal.98.
Chrysost. in epist.1.Cor. 10.ho.24.

OBIICITVR 150.

OBIICITVR EX DIONYSIO ARIOPAGIta *de Hierarchia ecclesiastica cap.3. Pontifex opertum panem, & indiuiduum aperit, & in frusta concidens. Hic panem in frustra concisum dicit.*

Dionysius.

RESPONDET CATHOLICVS.

NImia profectò est hominis impudentia, qui veritatē corporis Christi in Eucharistia neget, eundē audere Dionysium istum, tantū virum laudare authorē, & verba quasi furtim ab eo decerpta, ad verum concutiendum per fraudem proferre. Ego quod verba huc citata apud Dionysium præcedit, adiiciam, vt quid senserit Dionysius, ab ipso Dionysio, integra sententia perspecta, tu lector æstimes. Sic enim est apud illum:

Dionysius de ecclesia. Hierar. ca. 3. specul.

Quocirca reuerenter simul & ex pōtificali officio, post sacras diuinorum operum laudes, quod hostiam salutarem (quæ supra ipsum est) licet, se excusat ad ipsum primo, decenter exclamans, Tu dixisti, hoc facite in meā commemorationem, deinde tanto ministerio ad imitationem dei instituto, dignus fieri postulat, & similis ipsi Christo pro viribus euadere, vt & sacramenta sanctè conficiat & castè distribuat, & qui ad communionem accessuri sunt dignè participent, sicque venerandissima mysteria & laudata oculis subiicit, in signis sanctè propositis. Sanè opertū panem & indiuisum aperit, in partes concidens, & vnū singularem calicem omnibus impartiens, vnitatē signāter multiplicat, atq; distribuit, ínq; his cōsummat cœleste mysterium. Hæc Dionysius, cuius verba si excusseris, cōperies de magnitudine mysterij cū catholicis sensisse, vnde hostiā dicit salutarem litari, quo vno verbo (hostia) notatur Christus, extra quem non relinquitur nobis hostia pro peccatis. Appellatione panis, quod est visibile sacramenti notat, quod & faciūt catholici, sed dicit cœleste mysteriū, Eucharistiæ rem cœlestē, notans hostiā salutarem, quæ nō est alia à Christi corpore & sanguine, quæ pro nobis oblata sunt in cruce ad pretium, quomodo nunc in mēsa proponuntur in edulium; tum autem notat Dionysius multiplicari vnitatem, vt integrum & vnum Christum multis dari insinuet atque distribui, non verò diuidi illum, sed multiplicari vnitatem. Sed quid in verbis iis excutiendis immoror? quando idem Dionysius, quid arcano hoc mysterio contineatur & adsit, adoratione quam verbis expressit, apertè declarauit, sic orans:

Ibidem.

O diuinum penitus sanctúmque mysterium, obducta tibi significantium operimenta signorum dignanter aperiens, nobis palàm atque apertè lucesce, nostrósque spiritales oculos singulari & aperto tuæ lucis fulgore imple. Hæc Dionysius, qui numi-

numinis veritatem agnoſcit præſentem, quam luce clariore optat illuceſcere, vt nemo dubitet credidiſſe eum, totum Chriſtum, deum & hominem, in Euchariſtia præſentem.

OBIICITVR 151.

OBIICITVR EX IVSTINO APOLOGIA. II.

Iuſtinus.

qui in hunc modum ſcribit, quòd panis, aqua & vinum in hoc ſacramēto non ſumenda ſunt vt cæteri cibi & potus communes, ſed ſunt cibi ordinati ad hoc vt gratias agamus deo, & ideo dicuntur Euchariſtia, & etiam vocantur corpus & ſanguis Chriſti, & quòd fas eſt nemini ex eis comedere & bibere, niſi qui profitentur Chriſtum, & viuunt ſecundum Chriſtum, & tamen idem cibus & potus (ait ille) mutantur in carnem & ſanguinem noſtrum, & nutriunt corpora noſtra. Vnde apparet Iuſtinum credere, panem & vinum remanere, nam alioqui non potuit cōuerti in carnem & ſanguinem noſtrum, & nutrire corpora noſtra.

RESPONDET CATHOLICVS.

MAli & nequam homines, fide mala & dolis catholicā fidem adoriuntur, ſyncerum nihil afferunt, ſed corrūpunt omnia. Vel hic Iuſtinus qua (bone deus) impudentia profertur, non ſuis verbis loquens, ſed alienis, & ſi quæ ſint eius, ita loco motis, vt ſententiam efficiāt à Iuſtini mente alienam, cuius verba ſubiiciam, illud præfatus, non agere hoc Iuſtinū eo loco, vt myſterium ἀκριβῶς explicet, ſed vt myſteriorum veritatem ſimpliciter attingat, illud nimirum agens, vt intelligant quibus ſcribit, Chriſtianorum myſteria ſumma veritate niti, à deo videlicet inſtituta primùm & edita, non quaſi ab aliis accepta ſola imitatione vigere, & nuda hominum traditione conſiſtere. Verba Iuſtini ſunt hæc: Καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μεταχεῖν ἐξόν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτως βιοῦντι ὡς ὁ χριστὸς παρέδωκεν. οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ιησοῦς χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν: οὕτω καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντας Ιησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκεν ἐντετάλται αὐτοῖς τὸν Ιησοῦν, λαβόντα ἄρτον εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἀνάμνησιν

μοῦ, τοῦτ' ἐστὶ τὸ σῶμά μου. καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λάβοντα καὶ εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου. Quæ ſic facio latina. Atque hoc illud eſt alimentũ quod apud nos Euchariſtia dicitur, in cuius communionis partem venire nemini fas eſt, niſi qui pro veris habet ea quæ à nobis docentur, & lauachro regenerationis in remiſsionẽ peccatorũ tinctus eſt, & ad eũ modum vitam inſtituit. Non enim vt cõmunem panẽ, neq; vt cõmune poculum hæc accipimus, ſed quemadmodũ Ieſus Chriſtus ſeruator noſter per verbũ dei factus caro, & carnẽ & ſanguinẽ noſtræ ſalutis cauſa habuit: ſic etiam cibum illum ex quo ſanguis & carnes noſtrę per mutationẽ nutriuntur, poſtquã per verbum precationis fuerit ab eodẽ benedictus, edocti ſumus eſſe carnẽ & ſanguinẽ illius Ieſu qui pro nobis fuit incarnatus. Apoſtoli enim in cõmẽtariis quæ feciſſent, quæ dicũtur Euangelia, ſic tradiderunt præcepiſſe illis Ieſum, quũ accepiſſet panẽ, & gratiis actis benedixiſſet, dicere, Hoc eſt corpus meum, & poculum ſimiliter quum accepiſſet, & gratiis actis benedixiſſet, dicere, hic eſt ſanguis &c. Hæc Iuſtinus, qui vt ſignificantiſsimè exprimeret veritatem præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti, confert eam cum veritate carnis & ſanguinis ſumpti ex virgine. Tum autem incarnationis & Euchariſtię exæquat miracula, tanquam eiuſdem verbi dei omnipotentia facta vtraque, neque dicit (quomodo noui figuratores docent) quemadmodum corpus paſcitur ſymbolis panis & vini, ſic anima paſcitur corpore & ſanguine Chriſti, etiamſi hoc ſuo loco dictũ ſenſu ſano dicatur: ſed oſtendit cibum illum qui nos nutrit ſecundum mutationem per verbum precationis, benedictione demum peracta, eſſe carnem & ſanguinem Ieſu, tacitè inſinuans illis verbis interiectis, de mutatione cibi naturalis in carnem & ſanguinem noſtrũ, illam mutationem mirabilem quam verbum operatur in benedictione, vt ex pane & vino fiat caro & ſanguis Chriſti. Et ideo quanquam non loquatur apertè, vt Cyprianus, Panis factus eſt omnipotentia verbi caro, non effigie mutatus ſed natura: tamen quia dicit hic Iuſtinus, panem & vinum (quæ vno cibi nomine coniungit) eſſe carnem & ſanguinem domini potẽtia verbi, tectè quomodo id fiat inſinuat mentione mutationis, quam natura in eodem cibo in noſtris corporibus efficit, vbi ſubſtãtia panis & vini per alimẽti rationẽ cõuertitur in ſubſtantiam noſtram, quod reliquit Iuſtinus fideli æſtimandum

mandum, videlicet ſubſtãtias ſimiliter panis & vini, myſtica Chriſti benedictione in ſubſtantiam carnis Chriſti & ſanguinis conuerti, nec eam collationem expreſsit fateor, ſed ita loquitur, cibum illum vnde per mutationem ſanguis & carnes noſtræ nutriuntur, eſſe carnẽ & ſanguinem Chriſti. Vnde neceſſe ſit colligere ſubſtantiam illius cibi iam mutatam miraculo, quomodo mutatur in corpore per naturam, & quia cibus dicitur nutrire ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum ſubſtantiam in carnem noſtram & ſanguinem quum nutrit verti: colligamus nunc ſubſtantias panis & vini, eſſe per potentiam verbi corpus & ſanguinem Chriſti, mutatione item, ſed mirabili, & pati creaturas illa mutatione in hoc myſterio, ne magis ſint amplius panis & vini ſubſtantiæ, quàm poſt mutationem per modũ alimenti naturalis in corpore noſtro dicantur ſupereſſe. Adeò quod natura operatur, eſt quædã manuductio ad mirabilem virtutis Dei operationẽ, vt quod natura quodam æquabili caloris temperamento, vi quadam congenita, in mutatione ſubſtantiarũ efficiat ſucceſsiuè: id in inſtanti efficiat virtus verbi Dei. Atq; huc progreſsi ſumus duce naturæ ſimilitudine, & ne nos in præcipitium adigat, vt nouas Chriſto carnes, nouum ſanguinem gigni cogitemus: tenendæ ſunt firmiter fidei regulæ, vnũ eſſe Chriſti corpus verũ, quod iſta diſpenſatione nec minuitur nec augetur, ſed in cibo hoc dominico, modo mirabili exhibetur, quod in fide perſuaſiſsimum habẽt fideles, propter authoritatem verborum Chriſti, qui dixit, Hoc eſt corpus meũ, vt hic Iuſtinus citat, qui cibum hunc à fidelibus Euchariſtiam appellari, paulò antè dicit iis verbis, καὶ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, & cibus hic vocatur à nobis Euchariſtia. Ecce à me prolata ipſa Iuſtini verba, quatenus fidem Catholicam aſtruant, explicaui. Nunc confer, quid colligant iſti figuratores, veritatis catholicæ hoſtes. Panis, inquiunt, vinũ & aqua, ſunt cibi ordinati ad hoc, vt gratias agamus Deo, & ideò dicuntur Euchariſtia, & vocãtur corpus Chriſti. Hæc illi, quando Iuſtinus ipſe dicat cibum benedictum illum vocari Euchariſtiam, poſt benedictionẽ, & tum tam verè eſſe carnem & ſanguinem Chriſti, quàm verè idem Chriſtus ex virgine carnẽ & ſanguinem ſumpſerat, adeò de nomine Euchariſtiæ dixit καλεῖται, id eſt, vocatur: de re verò nominis dixit εἶναι, id eſt, eſſe carnem & ſanguinem. Deinde quum de mutatione naturali loquitur in nutritio-

ne corporis, naturam cibi adhibiti ad consecrationem exprimit, non gratiã quam affert benedictio, extenuauit, quod omnino faceret, si iis verbis de nutritione corporis eius cibi post consecrationẽ exprimeret, de animæ vero nutrimento non etiã adiungeret, quod non fecit, sed (vt antea dixi) adhibiti ad conficiendum sacramentũ cibi naturam expressit, vt cuius in natura, quum communiter nutriret mutationẽ senserimus, eiusdem credamus verbi diuini potentia in mysterio conuersionem, vt hinc sit analogiæ vna ratio, Sicut panis substantia extra sacramẽti vsum mutatur in carnis nostræ substantiam, mutatione naturali: sic mutatur substantia panis in substãtiam corporis Christi, mutatione mirabili, quoniam Christus dixit, Hoc est corpus meum. Itaque constat cum fide ecclesiæ hæc Iustini locutio, illum cibum qui secundũ mutationem nutrit corpora nostra, esse carnem & sanguinem Christi, à natura videlicet ad gratiã facto per mutationem progressũ, quem vis verborum Iustini intelligendum exigit, quod in similibus locutionibus obseruatur, vt (aquam vinum factum) vbi quod aliud fuit, nunc aliud effectum significatur.

OBIICITVR 152.

Irenæus. OBIICITVR EX IRENAEO ADVERSVS *hæreticos Valentinianos, lib. 4. cap. 34. Panis terrenus, inquit, accepta vocatione à verbo Dei, non amplius est communis panis, sed efficitur Eucharistia, quæ constat ex duabus rebus, nimirum terrena & cælesti. In primis non negat Eucharistiam panem esse, nisi illum communem feceris. Posteà dicit, ex duabus rebus constare, quarum vna terrena est, vt panis, altera cœlestis, vt corpus Christi. Atque vt ex vna parte retinetur veritas, scilicet quoad corpus Domini: ita in altera est conseruanda, videlicet quoad panem. Et addit per similitudinem, ita corpora nostra illam sumentia, non sunt amplius corruptibilia.*

RESPONDET CATHOL.

QVatenus dicit Irenæus, ex duabus rebus constare Eucharistiam, quarum altera terrestris est, altera cœlestis, cœlestem autem esse corpus Christi: improbat aperte eos qui figuram corporis Christi statuũt, ne corpus reipsa præsens esse putetur, quum tamen figura res cœlestis non sit, vt altera pars Eucharistiæ meritò appelletur. Panis autem

appellatione etiamsi Irenæus vtatur: notat tamen post acceptam vocationem à verbo Dei, nō amplius esse communem panem, quibus verbis quídni dicam innuere eum arcanā illam mutationem, quam æquales eius sensisse videntur, & Cyprianus ac deinceps alij verbis apertis prodiderunt? Terrena res est, quod ex pane in accidentibus manet. Item vera res est, miraculo subsistens, & retenta ad significationem terrenæ naturæ proprietate integra, denique quatenus vim alendi etiamnum habeat, panis appellatione generali propriè gaudet, & quod panis olim fuit specialiter, etiamnum panis dici posit, quod integram quum adhiberetur naturā significaret. Neque enim quòd ex duabus rebus constare Eucharistia dicitur, parē in vtriusque rei consistentia integritatem exigere debemus. Nempe enim calix benedicēdus constat ex vino & aqua, & tamen aquæ substantia vino tanquam potiori cesit per naturam, ipsa adeò cōfusione quodammodo extincta, & tamē Iustinus vinum & aquam, quod est in calice distinctis appellationibus denotat. Quæ non ideò dico, quasi panis substantia, quomodo illa aquæ, desinat esse per confusionem, tanquam in rem cœlestem per confusionem translata, quod est absurdum: sed cœlesti benedictione mirabiliter mutata, vt melior succederet, in quam desineret, ne sit adnihilatio. Ergo in terrena natura eatenus veritas retinetur, quatenus cum veritate constituti mysterij consentiat, quod mysterium vnius esse substantiæ, videlicet corporis Christi, ipse Christus definiuit dicens, Hoc est corpus meum. Et si aqua dicitur esse in calice, cuius substantia per naturam abiit in vinum: cur non panis appellatio retineatur? cuius substantia mirabiliter mutata, in meliorem substantiam desinit per gratiam. Mysterij modus, qui est diuina operatio, rerum veritates non minuit, & quatenus integra panis natura mysterio subseruit, sine causa desideratur quòd pasum est mutationem, quando illo miraculo id fit salutiferum, quod superest ad sumptionē. An mutationis pœnitet, desinente substātia panis, adesse substantiam corporis Christi illis panis accidentibus obuelatam? At dices, speciosa verba afferri, quum de re quæratur, quid Irenæus senserit de pane, quē ille alteram statuit Eucharistiæ partem. Imò ostendo posse, quod ille de pane dicit, cum catholica explicatione conuenienter intelligi, quum veritatem præsentiæ corporis Christi tam luculenter affirmet, nam hæc veri-

tas reli-

tas reliquis veritatibus moderatur. Nempe enim quum Christi verba vnã tantummodo substantiam contineant, ea vel solius panis, vel solius sit corporis necesse est. Quum ergo Irenæus corporis Christi substantiam in Eucharistia dilucidè asserat, substantiam panis ipsa cõsequentia excludit, vtcunq; panis appellatione ad terrenæ naturæ restantis significationem abutatur. Quòd autem arcanam vim benedictionis similitudine exprimit, vt sicut Eucharistia non est communis panis, ita corpora nostra illam sumentia, non sunt amplius corruptibilia: tenuiter adumbrauit mutationis imaginem, non adæquauit effectus, quum in corporibus nostris sola sit qualitatũ mutatio in Eucharistia substantiarum, nisi verum Christi corpus ponamus in qualitate, quod est absurdum.

OBIICITVR 153.

OBIICITVR ITEM EX EODEM LOCO *Irenæi, in hunc modum: Quid intelligitur per cœlestem rem, nisi sanctificatio quæ venit per inuocationem nominis Dei? & quid per terrenam rem, quæ est ex terra, nisi verus panis, qui etiam (vt ait) nutrit corpora nostra vt communis panis?*

Irenæus.

RESPONDET CATHOLICVS.

NON ex verbis Irenæi, sed sententia, quam istis libet colligere, constat hæc obiectio. Irenæus rem sanctificationis, id est, sanctificatione effectam præsentẽ, exprimit esse corpus & sanguinem Christi, quam meritò cœlestem dicit Eucharistiæ rem. Est quidem cœlestis res sanctificatio, quæ & nominis Dei inuocatio est efficax, verũ quid nobis efficiat est fide contẽplandum, vt quod effectũ sit, cœlestem Eucharistię rem effectã cum Irenęo fateamur, non in efficienti hærentes, quoniam ipsum sit cœleste. Irenæus dicit rem cœlestem esse corpus Christi, quod sanctificatione fit, & isti cauillantur in verbo (sanctificationis.) Tum autem, Irenæus simpliciter loquitur de pane terrestri, quem verum adhiberi debere fateor, vt conficiatur sacramentum, sed substantiam in mysterio manere, non est necesse, imò mutatã sanctificatione confiteri, vt inde sit nobis præsens corpus Christi. Atque id etiam videtur Irenæus innuere, dum à communi con-

muni conditione panem segreget, ne putetur amplius vt communis. Qui Irenæus licet panis naturam ex communi conditione exprimens, dicat illum nutrire corpora nostra, vel etiam si de nutriendo corpore post sanctificationem diceret: non eò valebit vt de mysterij conditione quicquam illis verbis detrahamus, sed illum Irenæi verbis sensum accommodemus, qui cum reliquis eius sententiis cohærere, & cum vera fidei confessione consentire queat. Corpus videlicet Christi ad instar aliorum alimentorum mutari in corpora nostra, absurdissimum est vel cogitare, ergo nutrimentum intelligemus fieri, sed actionis modo, dum corpora nostra corruptibilia ad incorruptionis conditionem parat & præparat, & tanquam semine incorruptionis insparso, incorruptibilia reddit, cuius vi in resurrectione olim exurgent. Qui verò ita cōtendat, corpus Christi nutrire vt communis panis, insanit, nec id sensisse Irenæum poterit docere.

OBIICITVR 154.

OBIICITVR RVRSVS EX IRENAEO IN *hæc verba: Quomodo iustè dominus, si alterius patris existit, huius conditionis quæ est secundum nos, accipiens panem, suum corpus confitebatur, & temperamentum calicis sui, sanguinem confirmauit, lib. 4. cap. 57. Irenæus hîc planè ostēdit, quòd dominus accipiens panem, confessus est esse suum corpus, & vinum mixtum in calice confirmat esse sanguinem.* *Irenæus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NI Christum Deum omnis veritatis fontem, per blasphemiam mendacij arguere velimus, quod confessus est esse, verè effecit fieri, vt confiteri panem corpus, nihil sit aliud, quàm effecisse, quemadmodum Tertullianus loquitur, fecit panem corpus suum, quod tantundem valet, quasi dicas, fecit vt esset ex pane corpus, quod ipsum ecclesia apertè docet.

E

OBIICITVR 155.

Irenæus. OBIICITVR ITEM EX IRENAEO *lib.5. Quando ergo mixtus calix, & factus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia. Ex hoc loco Irenæi patet, quòd Christus accipiens panem verè materialem, vocauit illum corpus suum, cùm dixit, Hoc est corpus meum, & vinum etiam quo nos nutrimur, vocauit sanguinem suum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Hoc planè docet Irenæus, quum mixtus calix & factus panis, percipit verbum Dei, fiat Eucharistia corporis & sanguinis, ne quis contendat sanctificationem esse rem cœlestem sacramenti, quum ipsum sit corpus & sanguis. Quod verò additur in fine, (ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia) non explicat corporis & sanguinis Christi in alendo naturam, etiamsi aliquo sensu verum sit, sed eorum quæ adhibentur ad huius mysterij constitutionem, ex quorum nimirum substantia, per nutrimenti modum naturaliter mutata substantia nostri corporis cõsistit & augetur, quorum substantiam quum natura tam potis sit vt ad alimentum mutet, conuenienter credamus etiam in Eucharistia mutare gratiam, quod & Iustinus videbatur simili sententia insinuasse. Quatenus autem hîc dicit Eucharistiam fieri, vna illa appellatione totius mysterij modum arcanum significat, secundum quem verbo dei mutatio fit substantiæ elementorum, quomodo tradit & docet catholica fides.

OBIICITVR 156.

Irenæus. OBIICITVR PRAETEREA EX IRENAEO *lib. 4. cap. 32. Cùm qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit dicens, Hoc est corpus meum: & calicem similiter qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem conf[e]ssus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem. Hîc liquet creaturam panis, [...]ctam esse corpus Christi.*

Qui[...]

RESPONDET CATHOLICVS.

QVI ex iis verbis argutantur Christum secundum Irenæum vocasse panem corpus,& vinum sanguinem,quid inferunt postea, nisi Christum id quod consecrando effecerat,vocasse,& cum rei mutatione mutasse nomē? quoniam autem in corporis & sanguinis appellatione ipsam veritatem confessus est Christus,addit Irenæus,Christum docuisse noui testamenti nouam oblationem,quæ in nudo pane & vino, nō potest esse noua, nā in illis creaturis obtulit Melchisedech, præfigurans Christum, sed noua ecclesiæ oblatio, est veri corporis & sanguinis oblatio,quæ sub illis speciebus Christus obtulit,& docuit ecclesiam donec veniret offerre, vt oblationis quæ in cruce facta erat,ipsa recordatione in nobis vigeret memoria.Et hoc iuge sacrificium ecclesiastica doctrina iis notauit epithetis, vt sacrificium viuificum diceretur,propter verā præsentiam corporis Christi & sanguinis eius, quæ viuificant, & incruentum, quia mortis memoria agitur tantùm, & in mysterio recolitur, non etiam iteratur,& ideò sacrificium peragi dicitur ἀθύτως. Cæterùm vt ad Irenæum redeam, quatenus nouam noui testamenti oblationē Christum docuisse dicit, corporis Christi præsentiam quòd oblationis sit substātia,manifestè docet, & Eucharistiam esse noui testamenti oblationem, tradit Iustinus martyr in dialogo πρὸς τρύφωνα iis verbis: οὐκ ἔστι θέλημά μου ἐν ὑμῖν, λέγει κύριος, καὶ τὰς θυσίας ὑμῶν οὐ προσδέξομαι ἐκ τῶν χειρῶν ὑμῶν, διότι ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου ἕως δυσμῶν, τὸ ὄνομά μου δεδόξασται ἐν τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσφέρεται τῷ ὀνόματί μου, καὶ θυσία καθαρά, ὅτι μέγα τὸ ὄνομά μου ἐν τοῖς ἔθνεσι, λέγει κύριος, ὑμεῖς δὲ βεβηλοῦτε αὐτό. Περὶ δὲ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ἡμῶν τῶν ἐθνῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν, τουτέστι τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς εὐχαριστίας, προλέγει τοῦτο εἰπὼν καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ δοξάζειν ἡμᾶς, ὑμᾶς δὲ βεβηλοῦν. quæ sic reddo Latinè: Non est voluntas mea, dicit dominus, & victimas vestras non accipiam de manibus vestris, quia ab ortu solis vsque ad occasum,nomen meum glorificatum est in gentibus,& in omni loco incensum offertur nomini meo,& victima munda, quia magnum nomen meum in gentibus,dicit dominus, vos verò contaminatis illud. De iis quæ à nobis gentibus in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est,de pane Eucharistiæ,& de calice Eucharistiæ, prædicit tunc dicens & nomen ipsius glorificare nos,& cōtaminare

Iustinus ad Tryphonē.

vos. Hæc Iustinus alloquẽs Iudæos, quos dicit vos, sed manifestissimè astruit noui testamenti oblationẽ constare Eucharistia, quam in Apologia sua affirmat verum corpus & sanguinem domini, tam verè quàm Christum carnem sumpsisse ex virgine. Eant nunc isti figuratores & calumnientur oblationem ecclesiæ, quam in Eucharistiæ oblatione confitentur catholici commentũ esse nuperorum.

OBIICITVR 157.

Irenæus. OBIICITVR DENIQVE EX IRENAEO *lib.4.cap.34. Quomodo constabit eis, eũ panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium esse dicant? Ecce vocat panem corpus Christi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

HAEC verba Irenæi ostendunt magnum quiddam & mirabile illis verbis (Hoc est corpus meum) expressisse Christũ, quod nisi in propria significatione verborum intelligi non potest. Nam si tropus sit in verbis, vt isti figuratores cõtendunt, & nihil aliud significent, quàm, Hoc est figura corporis, verbum visibile quod suggerat vobis memoriam, ex nudi hominis ore prolatum, fidem veritatis facilè astrueret, ab enuntiatione sola, nam quum liberum sit cuique vel re vel verbis animi notionem & propositum efferre, quod quisque vult signum sui esse: ita sit sanè, quoniam vult, & id loquitur. Verumenimuerò in propria verborum significatione, vt dicat quis, Hoc est corpus meum, quod nihil habeat simile corporis: tum autẽ sine corporis geminatione manibus propriis porrigere quenquam corpus suum, vt inuisibiliter det alij quod visibiliter in se habet, nec desinat habere quod alij det: &, vt (quomodo Chrysostomus loquitur) clamydem Helizeo, id est ecclesiæ relinquens noster Elias, etiam in cœlum eãdem clamydem simul deferat: Horum veritatem humana ratio non capit, quoniam ab homine non fiunt, & nemo hæc facit, nisi fuerit Deus cum eo, imò ipse Deus. Quare quum Irenæus sic aiat, Quomodo constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant? quoniam authorem

tanti miraculi filium dei exigit, vt fides constet, & auferatur infidelitatis ambiguum: ostendit planè se de ipsa veritate præsentiæ sensisse, atque ita tum intellecta verba Christi, vt de vero corpore verè præsente & dato, non de figura sola acciperentur, quorum fides exigebat authorem deum. Quod autem sic loquitur, Panis in quo gratiæ actæ sunt: panem sentit consecratione effectum corpus Christi, ipsum videlicet corpus, panem vitæ, nempe Eucharistiã, quam deo offerentes, etiam gratias agimus, quia per ipsum, cum ipso, & in ipso sunt omnia, & per eum gratiæ nostræ sunt deo gratæ & acceptæ.

OBIICITVR 158.

OBIICITVR ETIAM EX IRENAEO, *lib.1.de Marco quodã impostore, qui in hoc Eucharistiæ sacramẽto mirificè illudebat simplicibus. Nã vini colorẽ immutabat, vt prorsus appareret cruor, & parũ vini sic excrescebat eius præstigiis, vt totum poculum impleretur ac redundaret. Ex hac impostura satis liquet, ea quæ à multis citantur miracula, non confirmare errorem hunc de reali præsentia, sed esse meras præstigias.* *Irenæus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

INcidit impostor in impostorem, in hæreticum hæreticus, quomodo prouerbium sonat, Semper deus simi lem ducit ad similem. Quin hîc vide lector, vt omnia subseruiant asserendæ veritati. Narratur fide, cui credatur digna, hunc Marcum illusisse simplicibus, dum in calice suis artibus efficeret, vt cruor oculis appareret intuentium. His præstigiis illusus est popellus, vt crederent se videre cruorem quum non esset. Ego verò illud quæro, qua fiducia sit hæc aggressus Marcus, vt cruorem in calice ostenderet? vbi populus doceretur nihil aliud esse in calice præter vinum merum, sanguinis absentis signum, quod isti figuratores contendunt. Quòd diceret cruorem visibilem in calice Marcus ille, hæreticus erat, quòd autem quum non esset, ostendere conaretur, impostor. Verumenimuero, nisi ea doctrina tum viguisset, verum in calice sanguinẽ exhiberi, perdifficilem ad imposturam aditum habuisset, & quam populus statim repudiasset. Postquam verò ex doctrina catholica didicissent, san-

guinem verum in calice esse, titillans sensuum curiositas instigauit, vt qui cruorem illum latentem in apertum producere posset, (quod Marcus profitebatur) ei auscultarent, vnde à veritate quam fide intellexerant, in errorem sensibus plausibilem facilè pręcipitabantur. Adeò Marci huius impostura, & sibi & quibus imposuit pestifera: ad detegendam alterius impostoris fraudem, fit nobis salutifera. Nã & inde argumentum existit dilucidum, doctrinam de Eucharistia, quæ nunc apud catholicos obtinet, illis etiam temporibus, hoc est, in ipsis ecclesiæ incunabulis viguisse.

OBIICITVR 159.

Tertullianus.

OBIICITVR EX TERTVLLIANO ADVERsus *Iudæos: Sic Christus reuelauit panem, corpus suum appellans, cum retrò corpus in panem prophetes nuntiauit. Hîc vides Christum panem corpus suum vocasse.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVod Propheta corpus Christi panis figura significauit occultè, Christus reipsa præstitit & impleuit, corpus suum panẽ verè cœlestem in cibum dans, vt intelligeremus, quẽadmodum miseram hanc vitã absque cibo carnali sustentare non possumus: ita nec cœlestem vitam, quam in regeneratione adepti sumus, absque cibo hoc spirituali haud possumus retinere, vt eundem Christum & authorem vitæ habeamus datorem, & conseruatorem, quod vt verum esse sermones Christi audiendo credentes cognoscimus: ita iuxta eiusdem institutionem, ipsius corpus dignè manducando sentimus, cognoscentes certius dominum in fractione panis, qui in cœna reuelauit mysterium à Propheta prædictum, panem appellans corpus suum quod idem Tertullianus aliis alibi verbis explicat, Christum fecisse panem corpus suum, quæ est vera reuelatio veritatis latentis, vt impleatur quod prædictum est, vt ex panis substantia, quod est vitæ temporalis certum & præcipuum alimentum, fieret Christi corpus alimonia spiritualis, & vitæ æternæ conseruatoria, quæque corpora nostra reddat incorruptibilia, vt Christus sit omnia in omnibus, vita, salus & resurrectio. Ergo nisi Christum intelligamus corpus suum

vere

verè dedisse, quod credit & verè confitetur ecclesia, sed figuram solam dedisse: non reuelauit ille prophetam, sed prophetæ obscuritatẽ imitatus est, qui Christus tamen lux est mundi, per quem gratia & veritas facta est. Adiunxit itaque Christus figuræ veritatem, & adhibita panis figura, dum panem corpus faceret, in externis visibilibus figuram quam videmus, & interius latentem exhibet quam credimus veritatem, veram veri Christi veri corporis substantiam, & eiusdem præsentiam veram, vt à veritate quæ fiant vera agnoscamus omnia.

OBIICITVR 160.

OBIICITVR EX TERTVLLIANO LIB. I. *contra Marcionem, vbi ait, Deum panem creaturam suam non abiecisse, quandoquidem illo corpus suum repræsentauit. Hic animaduerte repræsentationem corporis, non realem eius præsentiam.* *Tertullianus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NON loquitur Tertullianus de abiectione creaturæ, sed sensit istius artificis in verbi adulteratione & vim & fraudem. Nam Tertulliani verba hæc sunt: Sed ille quidem vsque nunc nec aquam reprobauit creatoris qua suos abluit, nec oleum quo suos vngit, &c. nec panem quo ipsum corpus suum repræsentauit, quin & quod emphasim intenderet (ipsum) expunxit hic argutator. Et iactant postea huiusmodi figuratores se agere fidei negocium, qui nihil cum fide tractant, omnia deprauant & corrumpunt. Verbum (abiicere) aliquid videretur habere cognatum cum transubstantiatione, apud calumniatrices aures, itaq; abiecit argutator verbum (reprobauit) & supposuit suum (abiecit,) vt saltem sono obstreperet mutationi substantiæ panis, ne facta videatur, quia deus non abiicit creaturam, quomodo hic loquitur Tertulliani nomine, nam ipse Tertullianus habet (reprobauit,) nec sanè vel reprobare vel abiicere dici possit creaturã deus, qui ea ad corporis & sanguinis sui exhibitionem in mysterio vtitur. Quod à Christo verè fieri Tertullianus exprimit iis verbis (ipsum corpus suum repræsentauit:) nã magna est huius verbi emphasis (repræsentare,) cuius significatio apud Iurisconsultos passim est obuia, vt quũ pretium rei repræsentari dicitur, & legatum eius

quod

quod in diem debetur, valere propter repræsentationem, sed & in Columella annotata est hæc significatio, dū sic scribit: Nulla est autem maior vel nequissimi hominis custodia, quàm operis exactio, vt iusta reddantur, vt villicus semper se repræsentet. Hæc Columella, vbi verbum (repræsentet) veram & realem villici præsentiam significat, quo exemplo sum vsus vt istorum cauillo occurram, qui ex verbo (repræsentare) colligerent, solam significationem, qualem figura efficit, intelligi. At dicet quispiam, illo pane secundum istum repręsentauit, fateor, atque hoc, inquam ego, tantundem valet quasi dicas, ex pane fieri præsentiam corporis Christi, mutata substantia, & ipsius accidentibus eandem præsentiam significari, vt visibilis natura panis, figura sit corporis, quod ex latente eiusdem substantia cōuersa repræsentatur. Vnde patet Tertulliani verba catholicæ fidei consona esse, si quis commodè citra calumniam interpretetur. Nā sensisse Tertullianum, ipsum Christi corpus verè dari & reipsa exhiberi, atque adesse sub visibilibus elementis in hoc mysterio: exaliis eius sententiis constat, sic enim alibi scribit: Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de deo saginetur. Et illud, Adlegantur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. proh scelus! Semel Iudæi Christo manus intulerūt, isti quotidiè corpus eius lacessunt, ô manus præcidendæ! Viderit iam an per similitudinem dictum sit, si te manus tua scandalizet, amputa eam, quæ magis amputandæ quàm in quibus domini corpus scandalizetur? Et alibi: Panē (inquit) corpus suum fecit. Et alio in loco: Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes? & si scierit: panem, nō illum credit esse qui dicitur. Nam (vt idem Tertullianus alibi habet) Christus carnem suam panem cœlestem pronuntiauit. Denique Tertullianus, etiamsi in quibusdam arguatur errasse: nemo tamen de Eucharistia illi mouet controuersiam, & assiduus eius lector Cyprianus dicitur fuisse, qui Eucharistiæ mysterium luculenter expressit, & ad ætatis illius rationem, quum nullæ iam de eo hæreses ortæ essent, satis clarè & explicatè.

De resurrectione carnis.

De idololatria.

Cōtra Marcionē, li. 4.

Ad vxorē lib. 2.

Obiicitur

OBIICITVR 161.

OBIICITVR EX EODEM TERTVLLIANO, *lib. 4. contra Marcionem. Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non esset, nisi veritatis esset corpus.* *Tertullianus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

BAsilius in epistola 64. eos notat qui verba Gregorij in calumniam raperent, quòd in discertatione de fide quam habuit cum quodam Aëliano Ethnico, ita diceret, mysterium Trinitatis explicans, πατέρα καὶ υἱὸν ἐπινοίᾳ μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ ἕν. Non animaduertunt (inquit Basilius) ὅτι οὐ δογματικῶς εἴρηται, ἀλλ' ἀγωνιστικῶς, ἐν τῇ πρὸς Αἰλιανὸν διαλέξει. & sequitur, τὸν Ἕλληνα πείθων οὐκ ἡγεῖτο χρῆναι ἀκριβολογεῖσθαι περὶ τὰ ῥήματα. Quod sic latinè efferam, dixerat Gregorius, patrem & filium, consideratione quidem duo, subsistẽtia verò vnum, quod (Basilius ait) non dicitur tanquam à præscribente doctrinam, sed vt à contendẽte, & à certamine occupato. Et sequitur, Ethnicum (inquit) persuadens, non necesse putauit exactam & absolutam diligentiam in verbis deligẽdis adhibere. Hæc Basilius, qui in perpendendis dictis patrum, vt ex verbis eorum argumenta producantur, illam distinctionem valere vult, num δογματικῶς dixerint, vel ἀγωνιστικῶς. Nam & hoc Gregorij dictum quum vrgerent hæretici, vnam hypostasin à tanto viro poni, multum illo verbo suam insaniam promouebant, & acerrimum inde telum in fidem catholicam aptabant, quod ab illis vibratum, auertit vno verbo Basilius, quòd non δογματικῶς id diceret Gregorius, sed ἀγωνιστικῶς, vbi verba, quatenus sine veritatis iniuria fieri posit, ad opportunitatem contentionis deflectuntur. Ergo Gregorius verbo (hypostasi) pro (οὐσίᾳ) in contentione vsus est, sed quomodo in dogmate ante eum catholicorum nemo, nam vnam in Trinitate οὐσίαν, tres verò ὑποστάσεις patres Niceni confessi sunt, quod & summo consensu ecclesiæ receptum est. Nunc venio ad Tertullianum, qui in cõtentione cum Marcionistis eam verborum Christi interpretationẽ explicauit, quam ante eum nemo, nec post eum quisquam catholicus, tanquam ex ore Christi, etiamsi, figuram, &, signum, dixerint, quamuis non solam. Licet enim visibilẽ

Neocæsariẽsem Gregorium intellige.

panis ſpeciem quæ manet, propter veram corporis præſentiam quæ ſubſit, & adſit, figura dicatur præſentis corporis, tum autem ſignum ſymbolum, ſacramentum: Chriſti tamen verba ſenſu ſuo proprio, dum diceret, Hoc eſt corpus, veritatẽ ſubſtantiæ corporis verè præſentis exprimunt, non ſignificãt figuram. Vnde Theophilactus annotauit, non dixiſſe Chriſtum, Hoc eſt figura corporis mei: ſed, hoc eſt corpus meum. Quæ quum ita ſint, nónne de Tertulliano nos, quemadmodum de Gregorio Baſilius, rectè dicemus, nõ dogmaticῶs, ſed ἀγωνιστικῶς ſcripſiſſe hæc Tertullianum, vt argumento à figura ducto, Marcioniſtas vinceret hæreticos, quemadmodum Gregorius Aelianum Ethnicum? Verũ ſenſit Gregorius, ſed verbo alieno quod ſenſerat expreſsit. Tertullianus itẽ de Chriſti myſterio ſerectè ſentire oſtẽdit, dum diceret Chriſtum feciſſe panem corpus ſuũ, deinde ex verbis Chriſti ſenſum eruit, qui illi pro argumento ſubſeruiret, verum illum quidem, quando viſibilem ſpeciem panis, corporis Chriſti præſentis figuram eſſe conſtat, ſed quem catholici non ex proprietate verborum Chriſti ſtatim exiſtere, ſed verborum ſenſum conſequi putant. Nam quatenus Chriſtus mutata panis ſubſtãtia corpus ſuum eſſe dicit, quod ſub viſibilibus adeſt: conſequenter colligitur figuram eſſe, myſterium & ſacramentum, quando modo tam arcano & recõdito ipſum corpus adſit, vnde quod videtur etiã corporis eſſe figuram. Secundum quæ dixit Hilarius: quod videtur, figura eſt, quod interius in veritate creditur, veritas. Tertullianus verò hoc ſuũ (id eſt figura corporis mei) ſic interpretatur, quaſi Chriſtus illo (hoc) quod erat viſibile, demonſtraſſet, quod eſt certè corporis figura, quemadmodum quod eſt interius, eſt corporis veritas. Non ſpectauit in contentione Tertullianus verborum ἀκρίβειαν, quomodo in dogmate cõſtituendo ſolet: ſed id vnum agebat, vt verum eliceret quod eſſet contentioni opportunum, vt à figura corporis quæ in viſibili conſiſteret, ad veritatem corporis probandam duceret argumentum, vnde infert, figura autem non eſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Neque verbũ, figura, hoc loco poſitum à Tertulliano, ad inſtar earum in veteri inſtrumento figurarum intelligẽdum eſt, quaſi ſit rei futuræ & abſentis indicatio, quæ ſolet opponi veritati: ſed id genus figuræ eſt, quæ præſentem veritatem velat, atque ita quaſi coniungitur veritati, quomodo in noua lege accipi ſolet, vbi

Hilarius Pontif.

modum

modum denotat potius exhibendæ rei, quàm vt detrahat veritati præsentiæ eius quod exhibetur, vt aliàs est à me tractatum fusiùs.

OBIICITVR 162.

OBIICITVR EX ORIGENE IN NVMEros, homil. 16. *Bibere dicimur sanguinem Christi, non solùm ritu sacramentorum, sed & quum sermones eius recipimus.* *Origenes.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CHristus multis modis se nobis exhibet, sed certiùs & præsentiùs in sacramentis, quod & hæc loquendi forma apertè indicat, in qua vt receptum & omnibus notum effertur illud de ritu sacramentorum, cui adiicitur per interpretationẽ piam, tum bibi sanguinem, cũ sermones auribus excipiamus, at non dicitur, eodem modo recipi, & pari mysterio recipi, aut virtute pari, etiãsi quod ad virtutem attinet, deus non est alligatus sacramentis, sed in sacramentis vberius se solet exhibere, quibus nos propter promissiones voluit firmiter adhærere. Hieronymus in Ecclesiasten sic habet: Hoc solum habemus in præsenti seculo bonum, si vescamur carne eius, cruoréque potemur, non solùm in mysterio, sed etiam in scripturarum lectione. Basilius carnis & sanguinis nomine, vniuersam Christi conuersationem designari censet, quam imitando quasi mãducemus. Quæ non dicuntur ab istis vt mysterij magnitudinem minuant, & quæ connumerent exæquent mysteriis: sed vt nihil omittamus facere, in quo vlla nobis Christi participatio esse posit. *Hieronym. in ecclesiasten. cap. 3.* *Basilius epist. 141.*

OBIICITVR 163.

OBIICITVR EX EODEM IN MATthæum cap. 26. *Panis iste quem Deus Verbum, corpus suum esse fatetur, Verbum est nutritorium animarum.* *Origenes.*

RESPONDET CATHOLICVS.

PEculiare est Origeni vt scripturas dilatet allegoriis, saluo tamen proprio & primogenio sensu, imò hîc sensum proprium ἐμφατικῶς, iudicio meo, exprimit dicens, deũ verbum fateri istum panem, esse corpus suum, quod nisi illo qui deus est efficiẽte, esse non posit, vt iã quia deus sit, posse eũ, fecisse autem, quod factũ fateatur ipsa veritas, nõ sit fas dubitare. Quod verò subdit esse verbum, alludit ad vim verbi, quo pascãtur omnia, non aufert quod dixerat de veritate corporis, neque enim allegoria literam euacuat. Illa verba (Panis iste) cibum significat dominicũ, secundum generalem appellationem, non triticeum panem, ex quo deus verbum effecerat consecratione corpus suum.

OBIICITVR 164.

Origenes. OBIICITVR EX EODEM IN LEVITIcum, homilia. 7. *Est enim & in Euangeliis litera quæ occidit, non solũ in veteri testamento. Si enim secũdum literam sequaris quod dictum est: Nisi manducaueritis carnem meam: & quæ sequuntur.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ECclesia literam non sequitur, quæ secundum Augustinũ videtur iubere aliquid scelerosum, & ideo carnem dei & hominis in mysterio porrectam, & datã in cœna ab ipso Christo, sic comedit quomodo ille iusit, non vt reliquos cibos, quod litera insonat, & quomodo carnalis intelligeret, sed quomodo Christus instituit, opificio spiritus, figura est quædam loquendi in iis verbis, quæ à carnalibus oculis obtegat mysterij veritatem, vt audientes ad instar Capernaitarum carnales, non audiant, & quis est iste filius hominis nescientes, quod hæc litera dictet: non intelligant, quum verba sint vitæ & spiritus, sine quo ipsa litera planè occidit.

OBIICITVR 165.

Origenes. OBIICITVR ETIAM EX ORIGENE, EOdem lib. homil. 9. *Non hæreas in sanguine carnis, sed disce potius sanguinem verbi, & audi ipsum tibi dicentem, Quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effunditur.*

Hæc

RESPONDET CATHOLICVS.

HAEC verba insinuant veram præsentiam veri sanguinis Christi in sacramento, quum alioqui inepta esset admonitio. Non hæreas in sanguine carnis, vbi nullus sit sanguis in quo possis hærere. Nemo dicit inopi, ne fidas incertis diuitiis, quod solis diuitibus secundum Paulum præcipitur. Ergo qui (ne hæreas) dicit, fatetur adesse in quo posis hærere. Nam quod additur (disce potius sanguinem verbi) non est mysterij eleuatio: sed amplificatio, vt discas sanguinem illum Dei verbi sanguinem esse, non cuiusuis hominis sanguinem, sed Christi verbi proprium, & diuinum sanguinem, quia Christus Deus & homo dixit sanguinem esse suum, vt intelligamus sanguinẽ esse viuificum, propter vnionem cum spiritu (qui vita est) ineffabilem.

OBIICITVR 166.

OBIICITVR EX EODEM IN MATTH. cap. 15. *Panis sanctificatus, iuxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum eiicitur. Hæc nefas est de corpore Christi cogitare.* *Origenes.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NON de Eucharistia loquitur Origenes, sed de pane sanctificato per verbum Dei & orationem, quẽ communiter manducamus, vel de eo qui solebat dari Catechumenis, (de quo Augustinus.) Tũ autẽ Erasmus in annotationibus suis refert, consuesse in veteri ecclesia, quod & ad nostra tempora durauit, panem sanctificare, qui Eucharistiæ memoriam refricaret. De quo etiam in suis Liturgiis Basilius & Chrysostomus faciunt mentionem, qua dicunt sacerdotem oratione peracta frustatim diuidere iis qui non communicauerant corpori & sanguini Christi, quod Græcè dicit ἀντίδωρον. Nam Origenẽ de tanto sacramento hæc scribere non est verisimile, quando etiã Chrysostomus eiusmodi cogitationes Christiano indignas arbitretur. Sed vt demus ita esse, materiæ nomine intellexit quod est visibile & palpabile, quibus accidentibus quum corrumpuntur, redire per miraculum substãtiam, vt quod à miraculo cœpit, in miraculum desinat, non sit omnino alienum ab hoc mysterio cogitare.

Augustin. de peccatorũ meritis, li. 2. ca. 26.

Basilius in Liturgia.

OBIICITVR 167.

Origenes. OBIICITVR ETIAM EX ORIGENE EOdem in loco. *Nec materia panis, sed super illum dictus sermo, est qui prodest non indignè Domino, comedenti illum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ISTVD ipsum est quod aliis verbis efferunt catholici, nõ naturæ opus esse, sed gratiæ, per quam materia m... tatur, ipso domini sermone id operante, vt domini sermonis, præsens ipse adsit, adeò ne indignè domin... manducemus, rectè admonet, vt panem sumamus d... minum, quomodo Augustinus loquitur. Atque hæc dici possent de Eucharistia loqueretur Origenes. Nunc verò de pane sancti... cato per verbum & obsecrationem loquitur, de quo edebant Cat... chumeni. Deinde vnde hæc citantur, fragmentum est Origenis s... spectæ fidei, de cuius authoritate nõ satis liquet, vt dilui aut dissol... mereatur.

OBIICITVR 168.

Origenes. OBIICITVR EX EODEM CONTRA Celsum lib. 8. *Vbi pro collatis in nos beneficiis, gratias diximus, ... tis panibus vescimur.*

RESPONDET CATHOLICVS.

HIC argutator si integra fide sentẽtiam integram pr... tulisset, ipsam cum veritate catholica consonantiã ... luce mõstrasset. Nam sequitur, vt in Greco habe... προσαγομένοις ἄρτοις ἐσθίομεν σῶμα γενομένοις διὰ τὴν εὐχ... γιόν τι καὶ ἁγιάζον τοὺς μετὰ ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους ... per precem sanctũ corpus fiunt, & sanctificans eos qui pura mẽte ... vtuntur. Hîc vides vesci panibus, sed qui fiunt corpus, vbi pr... appellatio retinetur etiam post mutationem, quæ fit dum fiunt cor... pus sanctum, & corpus dicit, nõ figura, & corpus sanctificans, quod præstare figura non potest. Deinde vsum in vno corpore notauit non in pluribus panibus, etiamsi de illis dixerat, vescimur, vt appa... reat corpus eos sumere, qui vtantur malè, quũ alioqui vsum nõ di... stingueret in ipso corpore, si soli benè vtentes sumerent. Postrem...

& illud, multi panes constituunt multas figuras, sed vnum est omnium corpus. Hic locus profectò insignis est, quod & hic fidei hostis vidit, ideóque sententiam protulit mutilam, ipsa sui parte meliori truncatam.

OBIICITVR 169.

OBIICITVR QVOQVE EX ORIGENE *super Matth. cap. 15. Impios corpus Christi non comedere, quia viuificum est, & qui illud manducat, in ipso manet.* Origenes.

RESPONDET CATHOLICVS.

NON tractat eo loco specialiter Eucharistiam, sed de vniuersa Christi œconomia loquitur, quæ instar est cibi refouendis fidelibus dati, imò verus est cibus animarum, quem nullus malus potest edere, quum quatenus hunc cibum edat, hoc ipso bonus est, quia quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, sed non omnes receperunt. Mali enim oculos ne videant claudunt, nec oculis affectis valeant lumen intueri, & tamen vt sol hic inferior oritur omnibus: sic sol iustitiæ Christus, exortus est omnibus, quem nemo malus excipit ad salutẽ, quum tamen in sacramento bonis tantùm parato ad vitam, mali se malè & indignè ingerẽtes, arripiant ad exitium & condemnationẽ. Ioan. 1.

OBIICITVR. 170.

OBIICITVR EX CYPRIANO EPISTOLA *sexta primi libri, ad Magnum. Dominus de multorum granorũ adunatione congestum corpus suum, panem vocat, & vinũ suum sanguinem de botris atque acinis pluribus expressum.* Cyprianus.

RESPONDET CATHOL.

CHristus mutat nomen vt ostendat mutationem rei, vocat ea quæ non sunt tanquam sint. Ex ore domini idem est vocare, facere, pronuntiare, cuius verba propter authoritatem dicentis, efficiendi vim habent, quoniam dixit & facta sunt, vt non sit quur de veritate rerum subsistentium ambigamus.

OBII-

OBIICITVR 171.

Cyprianus. OBIICITVR EX EODEM. DVM INTERpretatur orationem dominicam, corpus domini panem appellat.

RESPONDET CATHO.

IMitatur enim Christi phrasim qui dixit, Caro mea verè est cibus, & panis generali appellatione, cibum omnis generis & alimentum significat, secundum quam significationem, sanguinem Christi non absurdè panem dixerit. Et tamẽ eo loco Cyprianus panis verbum quod est in oratione dominica, exponit significare corpus Christi, vt panem Eucharist. petere intelligamur. Adeò non rectè citatur hoc loco Cyprianus.

OBIICITVR 172.

Cyprianus. OBIICITVR EX EODEM CYPRIANO *epistola 3. lib. 2. ad Cæcilium. In vino demonstrari sanguinem domini.*

RESPONDET CATHOLICVS.

IN vino demonstrari sanguinẽ dixit Cyprianus, quasi significans, quod etiam aperit postea: quoniam omnes scripturæ in vino sacramentum sanguinis notant, illud tanquam materiam conuenientem, exhibendo sanguini suo, Christus adhibuit, vt omnes in vino figuras ipsa veritate & reuelaret & impleret. Nunc enim videmus
Genes. 9, quid vino inebriatus Noë significat. Nunc Melchisedech in pane
Genes. 14. & vino præfigurationem cernimus expletam. Nunc illud intelli-
Prouer. 9. gimus, Miscuit in cratere vinum suum. Denique & illud, Lauabit
Genes. 49. stolam suam in sanguine vuæ. Christus ergo vinum adhibuit, & effecit sanguinem, vt reuelatis & apertis figuris ostenderet fidelibus veritatem. Vnde vt iungatur figura veritati, adhibetur vinum in quo cœlesti consecratione demonstretur sanguis, exhibeatur etiam ac detur. Sed tamen quoniam de reuelatione figurarum agitur, quæ tanquam in ænigmate tectè latebant: significanter dicitur ostendi vel demonstrari sanguinem in vino, qui sanguis in vini figura antea latebat. Admonet ergo Cyprianus vt dominica traditio seruetur, quoniam videmus (inquit) in aqua populum intelli-

gi-

gi, in vino ostendi sanguinem Christi, quasi dicat Cyprianus, ne propter significantiam materia vini omittatur.

OBIICITVR 173.

OBIICITVR ITEM EX CYPRIANO IN *sermone de cœna domini, Nos non acuere dentem, sed tantùm syncera fide panem frangere & manducare.* *Cyprianus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

FIDE minus syncera citatur hic locus, Nam apud Cyprianũ legitur, sanctũ, quod hic falsarius litera mutata non sanctè corrupit, & ex (sanctum) fecit (tantùm) vt illi inseruiret ad argumentum. Cyprianus in eo loco vnde hæc citantur, & sacramentalem manducationem tractat & spiritualem, & quid nobis porrigitur in sacramento exprimens, & quomodo nos dignè quod porrigitur tractare debeamus, animos exhibẽtes puros & defecatos, in meditatione cœlestium occupatos totos, quid de Christo sentire, quam voluptatem in susceptis ab eo beneficiis capere oporteret, explicat, atque ita subiicit. Hæc in Christi commemoratione retractantur à fidelibus & defecatis animis, carnis eius edulium non est horrori sed honori, potúque sancti & sanctificantis sanguinis spiritus delectatur. Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncera panem sanctum frangimus & partimur, dum quod diuinum & humanum est, distinguimus & separamus, itémq; simul separata cingentes, vnum Deum & hominem fatemur. Hæc Cyprianus, vbi videas quid est sanctum panẽ frangere, id est, in Christo distinguere diuinitatem ab humanitate, &c. Et paulò post. Sed & nos ipsi corpus eius effecti, sacramento & re sacramenti, capiti nostro connectimur & vnimur, singuli alter alterius membra. Hactenus Cyprianum recensuimus, qui hoc in loco multa dicit, quæ ad explicationem mysterij valde pertinẽt, cõfitetur carnis edulium, quod quũ dicit dignè peractum, non esse horrori sed honori, ostendit ex distinctione sumentium & horrori esse & honori. Deinde & illud, ni veram carnis præsentiam intelligeret: quomodo esse posset horrori, quod non reipsa exhiberetur? Præterea de potu sanguinis loquitur

ſanctificantis, quem effectum ſanctificationis, quum ſanguini hauſto tanquam cauſæ tribuat, ipſam ſanguinis veritatem indicat, vt ab effectu cauſa æſtimetur, nam cauſam effectui conuenire alibi docet. Tum & illud expende, corpus Chriſti appellari Cypriano panem, nam ſic ait, ſanctum panem frangere, eſt in Chriſto diſtinguere diuinitatẽ ab humanitate, quod dicit ſyncera fide fieri. Nã illa verba, (Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſyncera, &c.) non eſt officij dentium reiectio, quaſi ſacramentalis mãducatio vel nulla ſit vel minima, ſed fractionis quæ dente fit, ab illa quæ fide fit diſtinctio, & quomodo ſine hac illa non ſolũ non proſit, ſed etiam noceat, quod dente frangitur ſignum eſt, quod fide frangitur ipſum ſignatũ eſt, & ex vtroque ſacramentum eſt, quæ ſi conferas in ſacramento æſtimando, dentis officium negatione extenuabitur, quemadmodum quum ſermo & virtus in regno Dei conferuntur, vbi quomodo dicimus, regnũ Dei non eſt in ſermone ſed virtute: ſic Cyprianus non dentes, inquit, ad mordendum acuimus, ſed fide ſyncera panem ſanctum frangimus, &c. Nam & id agi, vt ſacramentũ manducetur, declarant illa quæ ſequũtur, dum dicit, Sed & nos ipſi corpus eius effecti, ſacramento & re ſacramenti, &c.

OBIICITVR 174.

Cyprianus. OBIICITVR EX EODEM IN SERMONE *de Chriſmate illud, Sacramẽta habere nomina earũ rerũ quas ſignificãt.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CYprianus eo in loco vnde hæc ſumuntur, ita ſe explicat, vt ſi quis preſsius intueatur, animaduertat hoc ſacramentũ paucis, ſed efficacibus verbis ſecundum veritatẽ catholicæ doctrinæ deſcribi. Adſcribam ipſa Cypriani verba: Dedit itaque dominus noſter in menſa, in qua vltimũ cum Apoſtolis participauit conuiuium, propriis manibus panem & vinum, in cruce verò manibus militum corpus tradidit vulnerandum, vt in Apoſtolis ſecretius impreſſa ſyncera veritas & vera ſynceritas exprimeret gentibus, quomodo vinum & panis, caro eſſet & ſanguis, & quibus rationibus cauſæ effectibus cõuenirent, & diuerſa nomina vel ſpecies, ad vnam reducerentur eſſentiam, & ſignificata & ſignificantia, iiſdem vocabulis cẽſerentur. His gratiæ ſupernæ pri-

næ pri-

næ priuilegiis, esu sanctificati panis refecti, loti & vncti, non eam quam amiserunt, sed ampliorem & digniorem recuperant libertatem, & eiecti de paradiso nudi, ad lignum vitæ hodie reuertuntur vestiti, reddita stola, & annulo prolato in medium. Hæc Cyprianus, quem constat ipsa contentione verborum, in duobus eiusdem orationis mēbris de vero Christi corpore dato in cœna sensisse, hoc est in mysterio tam verè vt manducetur, quàm Iudæis visibiliter vt vulneretur, & ideò verba (panis) & (vinum) in primo orationis membro significant idem quod, corpus, in secundo membro. Nam alioqui frigeret collatio mensæ & crucis manuum propriarum & manuum Iudæorum, (nam & Hysichius annotauit Christum se sacrificasse propriis manibus in cœna) deinde conuiuij & vulnerationis. Ergo sensus Cypriani relucet eiusmodi, videlicet Christum idem corpus dispensasse in mensa & in cruce, sed in cruce vt posset vulnerari, in mensa vt posset manducari, & ideò condescendēs imbecillitati nostræ, dedit quidem sub speciebus panis & vini, quæ Cyprianus hîc dicit panem & vinū, sed verè dedit, & secretè, quod notat Cyprianus, vt secretius impressa syncera veritas, & vera syncerritas exprimeret in Apostolis gentibus, quomodo vinum & panis caro essent & sanguis, (quod alibi explicat idem Cyprianus mutatione fieri, omnipotentia verbi, natura non effigie) cúmque effectus huius sacramenti essent mirabiles, virtutem & operationem diuinam referentes, illud nos annotare Cyprianus voluit, quomodo causa conueniret illis effectibus, vt intelligamus nimirum carnem esse veri Dei & hominis, quæ operetur in accipiente sanctificationis effectum. Quin & illud docerent Apostoli, quomodo diuersa nomina ad vnam reducerentur essentiam, ex quibus verbis illud liquet, vnam secundum Cyprianum esse in sacramento substantiam & essentiam, de qua duæ istæ appellationes (panis) & (corpus) prædicentur, & item illæ duæ (vinum) & (sanguis) nimirum vnus Christus, Deus & homo, qui sub corporis & panis appellatione, totus & integer significatur, & idem sub vini & sanguinis appellatione significatur totus Christus, Deus & homo. Adeò eorum diuersorum nominum & specierum vna est essentia, quo fit vt significata & significantia, iisdem appellationibus censeantur. Nam ab appellatione vini & panis, & cēsetur quod est visibile significans, cen-

Hysichius in Leuit. li. 1. cap. 4.

ſetur & inuiſibile quod ſignificatur, & ideò quum illis appellationibus vteretur Cyprianus, dicens Chriſtum dediſſe in menſa panem & vinum Apoſtolis, intellexit ſignificata data fuiſſe, videlicet corpus & ſanguinem, vnũ Chriſtum, cuius effectus ſit, vt qui eum dignè in ſacramento acceperimus., eſu illius ſanctificati panis, nonquam amiſimus, ſed ampliorem & digniorem libertatem recuperemus. Et de effectu huius ſacramenti prius in hoc ſermone ſcribit, veritatem ſacramenti exprimens iis verbis: De omni tribu & gente & lingua, quos dignos & idoneos diuina probat electio, ſecundum vitæ non generis meritum ſtatuit ſacerdotes, quibus calicem ſanguinis ſui inexhauſtæ plenitudinis abundantia ſemper refertum, conſeruandum tradidit & erogandum, cuius aſperſione & communione intus & extrà, corda & corpora mundarentur. Hæc Cyprianus, qui cauſam expreſsit ſequentis effectus, quam cauſam ſanguinem dicit inexhauſtæ plenitudinis abundantia ſemper refertum, cùm figura facilè exhauriatur, deinde pro effectu ſubiicit, cordis & corporis mundationem, id eſt, totius hominis ſanitatem, quod ſolus præſtat qui totum hominem ſanauit in ſabbato. Ergo licet ſacramenta nomina rerum obtineant, nihilominus vnã eſſentiam intelligamus ſacramenti, nempe Chriſtum, & ad Chriſti præſentis ſignificationem, diuerſa nomina & ſpecies reducerentur.

OBIICITVR 175.

Cyprianus. OBIICITVR ITEM ET ILLVD EX *Cypriano, contra Aquarios, lib. 2. epiſt. 3. Non poſſe videri adeſſe ſanguinem Chriſti in calice, ſi vinum ibi eſſe deſinat, quod fit per iſtorum transſubſtantiationem.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CYprianus ſic loquitur: Nec poteſt videri ſanguis eius, quo redempti & viuificati ſumus, eſſe in calice, quando vinum deſit calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur, qui ſcripturarum omnium ſacramento ac teſtimonio prædicatur. Hæc Cyprianus, id agens vt materiam conficiendi calicis exprimat, vbi ſi malicia, quod Aquarij factitabant, vel negligentia miniſtri vinum deſit, id eſt non adhibetur:

tur:non conficitur myſterium oſtendendi ſanguinis, quod eſt proprium myſterium cœnæ, in qua vna Chriſtus ſanguinem oſtendit ſuum. Nam in cruce quum funderet, non oſtendit fidelibus, adfuit qui teſtimonium perhibuit, & à Iudæis fuſum vidit, non à Chriſto oſtenſum. Non autem regnat Chriſtus in cœlo, ſub ſpecie ſanguinis, quo fide ſe ſubleuantes fideles, illius efficacia (vt iſti figuratores ſomniant) contemplentur ſanguinem, de quo tamen oſtendendo ſcripturæ prædicant ſecũdum Cyprianum. Adeò niſi in cœna ſit vera exhibitio ſanguinis & certa oſtenſio, manemus adhuc in figuris panis & vini, & illarum creaturarũ vmbris detinemur, nõdum aſſecuti veritatis lucem. Sed vt olim in vini figura ſignificabatur ſanguis: ſic nunc ſub ſpecie vini in veritate oſtenditur ſanguis, qui ſanguis quoniam de figuræ reuelatione in hoc myſterio agitur, vbi vinum in quo figura erat, deſit: non adeſt tanquã conuenienti materia deficiẽte, vnde per conſecrationẽ ſanguis fiat, vt oſtenſione eius figura intelligatur reuelata & impleta. Sed hic argutator quod in Cypriano eſt (deſit) corrupit, & ſubdidit (deſinit) vt negocium eo verbo faceſſeret tranſubſtantiationi.

OBIICITVR 176.

OIICITVR ETIAM EX EODEM IN SERmone de cœna domini: *Scribit mutari ſymbola in corpus Chriſti, ſed ita vt ſimile accipiat ab ipſomet Chriſto, in quo natura humana apparebat, & diuina latebat. Ex quo ſimili vides eum velle, vt in Chriſto manſerunt duæ naturæ: ita & in hoc ſacramento ſeruatas eſſe.* *Cyprianus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVod docet de mutatione ſymbolorum, traditio eſt manifeſta fidei catholicæ, quam Neoterici iſti figuratores impugnant. Similitudo veram præſentiam corporis Chriſti ἐναργῶς exprimit, vt diuinam ſubſtantiam corporis tam verè hîc latentem adeſſe credamus, quàm diuinitatẽ inhabitaſſe Chriſtum corporaliter, humanitate tectã. Manere duas naturas in vtroque myſterio notat, non autem eodem modo manere in vtroque vt credamus exigit, neque integritate pari, neq; eouſque pertingit ſimilitudinis vis, vt paris cõſtitutionis myſteria habeantur, nec vt ita ſint patiuntur fidei catholicæ regulæ, vt aliàs eſt dictum.

OBIICITVR 177.

Cyprianus. OBIICITVR RVRSVS EX CYPRIANO, *epist.3.lib.2. Quomodo nec corpus domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrunque adunatum fuerit & copulatum, & panis vnius compage solidatum, quo & ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

OStendit Cyprianus, panem adhibitum ad cõsecrationem, vnde corpus Christi naturale efficiatur, habere etiam significationẽ corporis Christi mystici, in quo populus adunatur & coalescit, non aliter ac aqua & farina in confectione panis. Quare notat ex farina sola aut aqua sola, non confici corpus Christi. At quis queratur decessisse è pane, quod ipsa consecrationis vi in substantia tanto digniori & meliori desiit? aut quum diuina substantia adsit, desideret terrenam? Ad significationẽ? Iam (inquam) significauit, quum in eum vsum adhiberetur, & manent quæ erant ipsa accidentia, quum substantia creaturæ latens sola sit conuersa.

OBIICITVR 178.

Cyprianus. OBIICITVR PRAETEREA EX EODEM, *epistola 3. lib. 2. Videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

CVR aqua misceatur vino in calice docet, vt in aqua intelligatur populus, in vino ostendatur sanguis, facta videlicet consecratione, quæ substãtiæ mirabilem mutationem facit. Nec quenquam moueat, non videri cõsistere locutionem, in vino ostendi quum vinum non sit: quando in aqua dicitur intelligi populus, quum tamen per confusionem esse desiit, sed quoniam adhibitam fuisse scimus, animos mox afficit significatio. Quin & in verbis audibilibus quæ significantur, tum demum notionem sui faciunt, quum verba ore prolata, sono euanescente interierint. Et dicebãtur discipuli cognouisse dominum

minum in fractione panis, quum fractio cognitionem excitãs, iam facta desierat, quæ ita tracto, propter eos qui ineptè naturas integras ad significationem manere debere contendunt, quum in hoc ipso mysterio aqua ad significationem adhibita, ipsius naturæ vi quum miscetur vino, per confusionem esse desinat, & tamen dicitur quum esse desierit significare.

OBIICITVR 179.

OBIICITVR QVOQVE EX CYPRIANO *in sermone de cœna domini. Qui vsque hodie hoc veracißimum & sanctißimum corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit, & piè sumentibus diuidit. Proprium corpus Christi, non de nouo creatur, aut sanctificatur, neque diuiditur.* *Cyprianus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Si in verbis Cypriani ἀκρίβειαν spectemus, illud creare dicit effectionem, significátq; nouam materiam, vnde tanquã ex materia corpus fiat, non desiderari, & tamen mutatione panis fit præsens. Sanctificat (inquit Hysichius) quoniam sanctum sanctorum creaturas appositas efficit, quod verbi omnipotentia benedicendo perficit. Est autem corpus Christi summa veritate subsistens, & ideo dicit Cyprianus, veracissimum, quòd ad sui subsistentiam creatione non egeat, & sanctissimum, vt non necesse habeat sanctificari, sed nobis creatur, dum in sacramento fit præsens, nobis sanctificatur, dum vt sanctum sanctorum nobis proponitur, & nobis benedicitur, dum potentia verbi sistitur, quod omni nos replet benedictione spirituali. Quod autem dicit Cyprianus, diuiditur, non rei datæ diuisionem, sed accipientium notat distinctionem, quibus singulis datur integer Christus, cuius figura in Manna fuit. Vnde Latinis verbum, diuidere, non semper sonat secare & partire quod datur: sed distribuere, quomodo rei natura ferat & patiatur. Quare qui Latinè dicũt, diuidere tabulas in vulgus, non significant secare tabulas, & partitas tanquam missilia in vulgus spargere, sed descriptas integras peruulgare. Et itẽ Horatius, diuidere oscula dixit, non partita dare, sed pluribus dare. Vnde quum Christi corpus eiusmodi sit, vt nõ diuidatur, id est secetur: commoda

Hysichius ĩ Leuit. lib. 6. cap. 22.

da verbi (diuidere) significatio erit, vt ipsam significet distributionem, vel diuiditur etiam in mysterio, quomodo intelligunt fideles, sine omni diuisione Christus, qui per partes non sumitur, nec vlla diuisione potest consumi.

OBIICITVR 180.

Athanasius. OBIICITVR EX ATHANASIO, EXPONENTE *illa verba: (Si quis dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, Qui verò contra spiritum sanctum, neque in hoc seculo, neque in altero remittetur ei.) quod scribit in hæc verba. Et quantum esset corpus, ad hoc vt totus mũdus ex eo ederet? Sed spiritualiter infert rem accipiendam esse, & idcirco dominum eo loco mentionem fecisse ascensionis suæ aduersus Caparnaitas.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVidnã senserit Athanasius de veritate corporis Christi in Eucharistia, si cætera deforent, inde facilè æstimabit Christianus lector, quòd Oecolampadius veritatis hostis, Athanasium istum non est ausus bona fide latinè reddere. Ego græca adscribam, quomodo ab ipso Oecolampadio eduntur, deinde eiusdẽ Oecolampadij translationem, postremò ostendam Athanasium illo ipso in loco ecclesiæ catholicã fidẽ apertissimè confirmare. Græca sic habent: Καὶ αὐτὴ δὲ ἡ τοῦ ἀναγνώσματος παρατήρησις τοιαύτην ἔμφασιν τινὰ παρέχειν μοι δοκεῖ, καὶ δεικνύειν ἀμφοτέρας εἰς αὐτὸν φθάνειν τὰς βλασφημίας, καὶ περὶ ἑαυτοῦ εἰρηκέναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τὸ πνεῦμα, ἵν' ἐκ τοῦ μὲν τὸ σωματικὸν ἑαυτοῦ δείξῃ, ἐκ δὲ τοῦ πνεύματος τὴν πνευματικὴν ἑαυτοῦ καὶ νοητὴν καὶ ἀλεθεστάτην θεότητα δηλώσῃ. καὶ γὰρ τὸ μὲν λαβεῖν δυνάμενον συγγνώμην, ἐπὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου συνέταξεν, ἵνα τὸ σωμάτικον ἑαυτοῦ σημαίνῃ. τὴν δὲ ἀσύγγνωστον βλασφημίαν εἰς τὸ πνεῦμα φθάνειν δεδήλωκεν. ἵνα περὶ ... τὴν διαστολὴν τοῦ σωματικοῦ τούτου λέγων τὴν ἑαυτοῦ θεότητα δείξῃ. τοῦτον δὲ τὸν χαρακτῆρα καὶ ἐν τῷ κατὰ ἰωάννην εὐαγγελίῳ ἑώρακα, ὁπηνίκα περὶ τῆς τοῦ σώματος βρώσεως διαλεγόμενος, καὶ διὰ τοῦτο πόλλους ἑωρακὼς τοὺς σκανδαλισθέντας, φησὶ ὁ κύριος. τοῦτο ὑμᾶς σκανδαλίζει, ἐὰν οὖν θεωρήσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα ὅπου ἦν τὸ πρότερον. τὸ πνεῦμα ἐστὶν τὸ ζωοποιοῦν, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδὲν. τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λελάληκα ὑμῖν, πνεῦμα ἐστὶ καὶ ζωή. καὶ ἐνταῦθα γὰρ ἀμφότερα περὶ ἑαυτοῦ εἴρηκε, σάρκα καὶ πνεῦμα. καὶ τὸ πνεῦμα πρὸς τὸ κατὰ σάρκα διέστειλεν. ἵνα μὴ μόνον τὸ φαινόμενον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀόρατον αὐτοῦ πιστεύσαντες μάθωσι, ὅτι καὶ ἃ λέγει, οὐκ ἐστί σαρκικὰ, ἀλλὰ πνευματικά. πόσοις γὰρ ἤρκει ...

ἤρκειτο σῶμα πρὸς βρῶσιν, ἵνα τοῦ κόσμου παντὸς τοῦτο τροφὴ γένηται. ἀλλὰ διὰ τοῦτο τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναβάσεως ἐμνημόνευσε τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα τῆς σωματικῆς ἐννοίας αὐτοὺς ἀφελκύσῃ. καὶ λοιπὸν τὴν εἰρημένην σάρκα βρῶσιν ἄνωθεν οὐράνιον καὶ πνευματικὴν τροφὴν παρ' αὐτοῦ διδόμενον μάθωσιν. ἃ γὰρ λελάληκα ὑμῖν, πνεῦμά ἐστι καὶ ζωή, ἴσον τῷ εἰπεῖν. τὸ μὲν δεικνύμενον καὶ διδόμενον ὑπὲρ τοῦ κόσμου, δοθήσεται τροφὴ ὡς πνευματικῶς ἐν ἑκάστῳ ταύτην ἀναδίδοσθαι, καὶ γίνεσθαι πᾶσι φυλακτήριον, εἰς ἀνάστασιν ζωῆς αἰωνίου.

Oecolampadius ſic vertit: Porrò & ipſa lectionis obſeruatio talem quandam euidentem ſignificationem exhibere mihi videtur, & oſtendere vtranque blaſphemiam in ipſum pertingere, déque eodem dictum eſſe filium hominis & ſpiritum ſanctum, vt ex illo quidem oſtendat ſe corporeum eſſe, ex ſpiritu autem ſpiritualem ſuam & mente perceptibilem veriſsimámque diuinitatem monſtraret, nam veniam poſſe conſequi, ad filium hominis retulit, vt corporeum illum ſignificaret, cæterùm blaſphemiam non remittendam, declarauit pertinere ad ſpiritum, vt cum oppoſita diſtinctione, corporeum illud dicendo, & deitatem ſuam oſtendat. Hunc autem characterem ſermonis in euangelio ſecundum Ioannem vidi, quando de corporis manducatione diſſerẽs, & ob hoc multos videns offenſos, inquit dominus, Hoc vos ſcandalizat? ſi igitur videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius, ſpiritus eſt viuificans, caro non prodeſt quicquam, verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus ſunt & vita. Nam & hoc loco, vtraque de ſeipſo dicit, carnem & ſpiritum, ac ſpiritum ab eo quod eſt ſecundum carnem diſtinxit, vt non ſolùm viſibile, ſed etiam inuiſibile quod in ipſo erat, credentes diſcant quòd & ea quæ dicit non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia. Quod enim comedentibus ſuffeciſſet corpus, vt totius mũdi alimonia fiat? ſed ea propter meminit aſcenſus filij hominis in cœlum, vt illos à corporali cogitatione auelleret, & poſthac diſcant carnem dictam cibum cœleſtem ſupernè venientem, & ſpiritualem alimoniam quam ipſe det. Nam quæ locutus ſum (inquit) ſpiritus ſunt & vita, quod idem eſt perinde ac dicat, quod quidem oſtenditur, occiditur pro mundi vita, dabitur alimonia, vt ſpiritualiter in vnoquoque diſtribuatur, ac fiat omnibus conſeruatorium in reſurrectionem vitæ æternæ. Iſta ſunt Oecolampadij, quæ ſi cum ipſis Græcis conferas, videbis Oecolampadium tribus in locis mala fide græca expreſsiſſe. Primus eſt vbi græca ſic habent, καὶ λοιπὸν τὴν εἰρημένην σάρκα βρῶσιν ἄνωθεν οὐράνιον καὶ πνευματικὴν τροφὴν παρ' αὐτοῦ διδόμενον μάθωσιν. quorum ſenſus eſt, de cæte-

ro quam dixit carnem antea, cibum diſcãt cœleſtem,& ſpiritualem eſſe alimoniam,ab illo datam . Secundum quem ſenſum fatetur Athanaſius Chriſtum de carne quidem locutum , dum antea diceret carnem cibum eſſe , ſed de cætero intelligant alimoniam cœleſtem dici,& ſpiritualem, & fatetur Athanaſius poſtea eandem ſubſtantiã quæ dabatur pro mundo,datum iri in cibum,ſed quoniam ſpirituali modo, ſpiritualis & cœleſtis eſt alimonia : Oecolampadius ergo ſenſum eiuſmodi reddit, quaſi Chriſtus de carne nũquam ſenſiſſet, ſed carnem ſignificaſſe modo cibum cœleſtem ſupernè venientem, & ideo ſic reddit , diſcant carnem dictam cibum cœleſtem supernè venientem & ſpiritualem alimoniam,quam ipſe det. Hîc conſidera in Oecolampadio verborum tranſpoſitionem , diſiungitur οὐράνιον adiectiuum à πνευματικὴν, vt addatur βρῶσιν. Non nego ἄνωθεν poſſe ſignificare,ſupernè venientem, ſed ſi ea ſignificatione poſuiſſet Athanaſius,nõ poſt poſuiſſet οὐράνιον, ídque videbat Oecolampadius, itaque ſuo loco mouit,& εἰρημένην, quod participium eo loco (ſimpliciter nominatũ) ſignificat, ſic reddit, quaſi (interpretatam) ſignificaret,carnem (inquit Oecolampadius) dictam cibum ſupernè venientem , ne poſſet intelligi caro , quæ in vtero virginis ſumpta eſt, & infernè de terra eſt,quam Chriſtus manducandam dedit, vt Augustinus notat,& hic Athanaſius poſtea explicat.Secũdus locus eſt, vbi participium græcum (διδόμενον) transfert,occiditur , vt membrũ abſoluat,ne quod datum eſt,in morte videlicet traditum,quod διδόμενον ſignificat:videatur in cibum datum , quũ Athanaſius vno verbo,dabitur,quaſi zeugmate,eandem ſubſtantiam in alimoniam dari,quæ pro mũdo data eſt in redemptionis pretium, apertè declarauerit . Tertius locus eſt , dum ἀναδίδοσθαι reddit , diſtribuatur, potius quàm,digeratur,quum in vnoquoque digeri & propriè & eleganter dicitur,diſtribui verò in vnoquoque eſt coactum,nec quiſquã ſic loquitur,ſed vel in vnumquenque,vel vnicuique, quanquam neutrorum nimis eleganter & aptè, & græcè eſt ἐν ἑκάστῳ.Sed hoc ſpectauit Oecolampadius., vt omnem externam diſtributionem, quæ fit dum ſacramentum porrigitur,excluderet, vt tantùm internè in nobis fieri intelligatur, quo conſilio idem Oecolampadius mauult apud Hyſichium legere , meditationẽ , potius quàm, mediationem, quod ſenſus eo loco exigit , ſcilicet vt omnia ſola meditatione mentis abſolu.

Aug. pſal. 98.

Hyſichius in leui. lib. 7. cap. 23.

absolui persuaderet. Et istis fraudibus impetitur veritas, quæ quum sint detectæ, argumento esse debent lectori pio, veritatis amplectēdæ auido, lumen veritatis ipsis hostibus in iis locis affulsisse, cuius lumen vt obfuscarent, operam adhibendam censuerunt. Nam vt ad Athanasium veniamus ipsum, carnis & spiritus naturas seorsum aperit, etiam in Christo, in quo de carne, quatenus à sua natura æstimetur, dicitur, non prodest quicquam, & ideò qui de carne & corpore hominis manducando cogitarent, mysterium ignorabāt, carnalibus cogitationibus implicati, nā vt caro intelligatur, quatenus nihil aliud quàm caro est, quod corpus sufficeret alendo mundo? Sed qui sic de carne cogitant, non animaduertunt Christum ascensurum in cœlum, hoc est, verum deum esse, cuius caro per vnioné fit diuina & spiritualis, adeò quum de carne loqueretur Christus, de carne dei sentiebat, quæ eadem est substātia cum illa mortali, sed aliis instructa dotibus, secundum quas etiam spiritus dici posit, licet (vt Cyrillus admonet) in spiritus naturam non vertatur. Et apparet Cyrillum in expositione verborum Christi (Verba mea, spiritus & vita sunt) hūc Athanasiū imitatum fuisse. Nam Athanasius vt cōstat, sensum horum verborū (verba mea, spiritus & vita sunt,) dicit esse, illud quod est ostensum & traditum pro mundo, dabitur alimonia, vt spiritualiter in vnoquoque digeratur, & fieret omnibus conseruatorium in resurrectionem vitæ æternæ. Quare Christus quum de carne loqueretur, non sensit carnem humanam, quomodo ratio conciperet: sed diuinā & spiritualem, quomodo fidelis intelligit, vt de deo qui spiritus est, spiritualia cogitemus. Vnde Augustinus, Non hoc corpus quod videtis comesturi estis, sed mysterium est, & spiritualiter intellectum viuificabit, & ad hanc spiritualem intelligentiam inuitat Christus.

Cyrillus in Ioan. lib. 4 cap. 24.

August. in psal. 98.

OBIICITVR 181.

OBIICITVR EX EMISENO, DE CONSE- *cratione distinctione 2. Qui videtur ponere mutationem symbolorum, idem ipse meminit mutationis nostræ in Christum; & cum in hac mutatione hominum non tollatur substantia hominis: similiter in altera nō debet tolli substantia panis.*

Emisenus.

RESPONDET CATHOLICVS.

INteger Emiseni locus perspectus, facilè indicabit quàm sine causa nominetur à veritatis hostibus, quasi ab illis stet, qui catholicam de Eucharistia doctrinã propugnet apertissimè, Sic enim habet: Et ideo quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & syderibus allaturus, necessarium erat vt nobis in hac die sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret, vt coleretur iugiter per mysteriũ, quod semel offerebatur in preciũ, vt quia & indefessa currebat pro hominis salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia verè vnica & perfecta hostia fide æstimanda, non specie, nec exterioris censenda est visu hominis, sed interioris affectu, vnde meritò cœlestis confirmat authoritas, quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui author est muneris, ipse est testis veritatis. Nam inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens, Accipite & comedite, hoc est corpus meum, & sanctificatione repetita, Accipite & bibite, Hic est sanguis meus. Ergo vt ad nutum præcipientis domini repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, ita parem potẽtiam in spiritualibus sacramentis verbi præbet virtus, & rei seruit effectus. Quanta itaque & quã celebranda officia vis diuinæ benedictionis operatur, & quomodo tibi nouum & impossibile videri non debeat, quod in Christi substantiã terrena & mortalia cõmutantur, teipsum qui iam in Christo es renatus, interroga, dudũ alienus in vita, peregrinus à misericordia, à salutis via intrinsecus mortuus exulabas, subitò initiatus Christi legibus, & salutaribus mysteriis innouatus in corpus ecclesiæ, nõ videndo sed credendo transisti, & de filio perditionis adoptiuus dei fieri occulta puritate meruisti, in mensura visibili permanens, maior factus es teipso inuisibiliter sine quãtitatis augmẽto, quum idẽ atq; ipse esses, multò alter fieri fidei processibus meruisti. In exteriori nihil additũ est, & totum in interiore mutatũ est, ac sic homo Christi filius effectus, & Christus in hominis mẽte formatus est. Sicut ergo sine corporali sensu, præterita vilitate deposita, subitò

nouam indutus es dignitatẽ, & ſicut hæc quæ in te Deus læſa curauit,infecta diluit,maculata deterſit,nec oculis nec ſenſibus ſunt credita: ita & quum reuerẽdum altare cibis ſatiandus aſcendis, ſacrum Dei tui corpus & ſanguinẽ,fide reſpice,honora,mirare,mente continge,cordis manu ſuſcipe,& maximè hauſtu interiori aſſume. Hæc Emiſenus, qui ita tractat hoc myſterium, illis verbis ornat,illis ſententiis illuſtrat, breuiter eiuſmodi explicatione quaſi deſcribit, tanquam occurſurus iſtis qui exorirentur Sectariis. Contra figuratóres enim, qui ipſam corporis præſentiam negant, illa dicuntur, vt coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretiũ. Audis in myſterio cultum eius quod offerebatur in pretium,figura non colitur. Et ſequitur,perpetua redemptionis oblatio & perennis illa victima præſens eſſet in gratia,verè vnica & perfecta hoſtia. Atque hæc de figura dici non poſſunt, ſed ipſius corporis Chriſti veritatem exprimunt, & quum mentionem feciſſet Emiſenus memoriæ,oſtẽdens hæc fieri vt memoria vigeret, ne verbum (memoria) aliquid detrahat veræ prȩſentiȩ,ſequitur,ſemper prȩſens eſſet in gratia. Dicit autem in gratia, quoniam non ſecundum naturæ modum adeſt, ſed per gratiam in myſterio, quam tamen præſentiam vt omnino veram intelligamus, ſubiicitur, fide æſtimanda non ſpecie,vt ne nos obturbet quòd ſpecies corporis non adſit, quia veritas fide æſtimatur,nõ ſpecie,ſpecies fuit corporalis, ſenſibus expoſita,quum in terris ageret Chriſtus,quas reliquit, ſpecies erit glorioſa quum videbimus facie ad faciem. Interim æſtimanda eſt Dei veritas fide, dum hîc agimus,vbi ex parte cognoſcimus & videmus tãquam per ſpeculum in ænigmate. Et recedat, inquit Emiſenus, omne infidelitatis ambiguum,quoniam qui author eſt muneris,ipſe eſt teſtis veritatis. Atque hæc verba illis os obturent, qui illud (quomodo Iudaicum)vrgent,& à natura corporis,à multiplicatione locorum,ab experimentis carnísve iudicio,aut ipſis adeò ſcripturis cauillationes nectunt, denique quomodo hominis miniſterio peragantur hæc: quibus reſpondetur, Ipſe, inquit Emiſenus,author eſt. Contra figuratores etiam illud eſt, quod dicat Emiſenus, creaturas conuerti in ſubſtantiam corporis,& repetit poſtea,terrena commutari in Chriſti ſubſtantiam. Deinde,quum accedis ad altare, inquit Emiſenus, ſatiandus cibis, cœleſtem cibũ carnis Chriſti,cui diuinitas adeſt, ſen

tit, quo cibo ſolo ſatiamur, quando nulla poteſt eſſe in figura ſatietas, quin iubet Emiſenus reſpicere corpus Dei tui fide. Atque hæc contra figuratores, verbis ſpecificis, contra quos & illa verba valent, quæ generaliter rei magnitudinem efferunt, & noſtram exigũt in conſtituendo myſterio admirationem, quæ admiratio ſi ſola eſſet in pane figura, nulla eſſet. Nam & Propheta in pane figuram Chri-
Hierem.11. ſti notauit: Mittamus lignum in panem eius. Et panes propoſitionis citra omnem admirationem figura erant, tum in agno Paſchali veterum nihil legimus admirationis. Contra eos verò, qui tranſubſtantiationem negant, & panis ſubſtantiam contendunt manere, illa dicta videntur de conuerſione in ſubſtantiam corporis Chriſti, & de mutatione noſtra in baptiſmo, vbi omnis noſtra mutatio interius peragitur in ſolis qualitatibus quidem, ne efficiamur verè dij, nõ amplius homines, in creaturis verò panis & vini, in qualitatibus eſſe non poteſt mutatio, ne corpus Chriſti tanquam qualitas accederet, quod Emiſenus definit adeſſe ſubſtantia, vt alterius in creaturis ſubſtantiæ mutatione, conuerſionem arcano modo perfici intelligamus. Et ita concludit Emiſenus, Sicut in mutatione hominis nihil creditum eſt ſenſibus: ita nec in mutatione creaturarum, quod innuit dum iubet reſpicere fide. Atque hactenus hæc contra eos, qui ſubſtantiã panis cum ſubſtantia corporis manere contendentes, impanationem quandam inducere conantur, à fidei regulis alienam, quum Chriſtus vnam hominis naturam aſſumpſerit. Contra eos autem qui adoratione͂ in cœlum à ſymbolis auocant, ne Chriſtus ſub illis credatur adeſſe, dicuntur ab Emiſeno illa, Ita & quum reuerendum altare aſcendis, reſpice fide. nam illius, ita, hæc vis eſt, reſpice fide, ſub ſymbolis corpus Dei tui, etiamſi ſenſibus nihil eiuſmodi videatur, quemadmodum in homine baptizato, quamuis exterius nihil videatur mutatum, mirabilis tamen mutatio creditur. & iam ſequitur, ita reſpice corpus Dei tui, & (honora) addit, quod eſt adorare, nam honor exigitur corpori Dei competens, quæ eſt adoratio, deinde (mirare) dicit, contra eos qui ægrè ferunt appellari miraculum, & quia totum hominem ad dignam communicatione͂ exhortandum cenſet, & cordis & mentis officia excitat, non vt corporis excludat, & ideò addit (maximè) ne quis iis verbis abutatur ad calumniam, à qua tamen non abſtinuit hic argutator.

OBII-

OBIICITVR 182.

OBIICITVR EX DYDIMO DE SPIRITV *sancto. Ipse spiritus sanctus, si vnus de creaturis esset, saltē circunscriptam haberet substantiam, sicut vniuersa quæ facta sunt. Nam etsi non circunscribantur loco & finibus inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem sanctus quum in pluribus locis sit, non habet substantiam circunscriptam. Et paulò pòst. Si ergo hi (Apostoli) in extremis finibus terræ, ob testimonium domini constituti, distabant inter se longißimis spatiis, aderat autē eis inhabitator spiritus sanctus, incircunscriptam habens substantiam, demōstratur angelica virtus ab hoc prorsus aliena, Angelus quippe qui aderat, verbi gratia, Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse aliis, in cæteris partibus constitutis. Spiritus autem sanctus non solùm seiunctis à se hominibus præstò est, sed & singulis quibusque angelis, principatibus, thronis, dominationibus, inhabitator adsistit, & vt homines sanctificans, alterius quàm sunt homines, est naturæ. Similia habet Basilius, de spiritu sancto. cap. 22. Proinde de spiritu quem mundus capere non potest, &c. Ex his probatur diuinitas spiritus sancti, eo quòd simul in diuersißimis locis inueniatur. quod si idem dicatur de corpore Christi, sequeretur creaturam corporis esse diuinitatem.* *Dydimus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Qvicquid est in multis locis conditione naturæ suæ, Deus est, quod autem virtute Dei, non item. Imò (inquient) alioqui dicerent hæretici spiritum sanctum fuisse in multis locis virtute Dei, Vnde, inquient, absque distinctione ponendum, si in multis locis est, ergo est Deus. Respondeo, Esse in multis locis, non est substantia Dei, quum Deo nihil sit commune cum loco, qui nullo loco circunscribitur, sed illud est diuinæ immensitatis, vbique esse natura. Et illud receptum est, quum Deus bonitatem & potentiam communicet creaturis, obtineat illa distinctio. Scriptura dicit, Nemo bonus nisi solus Deus. Distinctio est, Deum natura bonum esse, homines virtute Dei & participatione. Scriptura dicit, Spiritus viuificat, ergo statuatur illud, Quicquid viuificat spiritus est, & assumatur, Caro Christi viuificat, quod verum est, & sequetur conclusio, ergo caro Christi, spiritus est, quod falsum est. *Luc.18.* *Ioan.6.*

est. Sed adest in promptu distinctio viuificandi, videlicet spiritũ viuificare natura sua, quia in ipso viuimus, mouemur & sumus, caro viuificat virtute spiritus, cui vnitur. Adeò perpetuò obtinet hæc distinctio, vt virtus à natura distinguatur, neque illud argumentum ad probandum spiritum sanctum Deum, erat tam firmũ ab esse in multis locis, vt necessariò inferret, spiritum sanctum esse Deum, nisi adiectione illud fieri naturæ vi, ne ea ratione Dei virtutem contraheremus in terminos, & regiones illi præscriberemus quatenus posit, quod est blasphemum.

OBIICITVR 183.

Hilarius. OBIICITVR EX HILARIO IN HAEC *verba. Corpus, inquit, Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum extrà videtur, veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate interius creditur. Hinc apparet, quòd panis & vinum extrà videntur, & ideò manent.*

RESPONDET CATHOLICVS.

PLures fuisse Hilarios constat, & in temporis supputatione ab hoc argutatore erratum esse minus sit mirum, vt illi ætatis seculum addiderit, quẽ anno domini 46[illegible] constat vixisse, quòd autem erroris causam admittat, equidem non libenter ad deteriorem partẽ applicarim, etiamsi istiusmodi homines obstinata quadam malicia corrumpant omnia, aut si nõ liceat, detorquent per calumniam. Panis & vinum (inquit Hilarius) extrà videntur, ergo manent, vt hic argutator sentit. Quàm hic nihil videt, qui sic colligat? quasi verò non id fateantur catholici, quod videtur, verè manere, quatenus videtur quidem, sed interna illa natura panis & vini, id est substantia, non videtur, & ideò nihil detrahit oculorum obiecto illius mutatio, de qua quum per miraculum fiat, sensus nihil intelligunt, veris sensuum obiectis manentibus integris. Et vide Lector illud, an quicquam dici posit catholicæ fidei magis congruum, quódque magis arguat istos figuratores, & nouæ fidei cõcinnatores, stultos, quàm quod hic aiat Hilarius. Primùm dicit corpus Christi de altari sumi, quibus verbis cõstat, ita sensisse illorum temporum authores, sacramentum Eucharistiæ

ristiæ non in actione consistere, id est dum manducatur solum: sed præparari omnipotentia verbi,& apud altare præparari, vnde à nobis sumatur, vt ibi dicatur esse Eucharistia, vt sumatur parata, nam corpus Christi,Hilarius inquit,de altari sumitur,in quo figuram notat in elementis sitam,quatenus illa videntur & sunt nobis visibilia verba, veritatem autē, dum creditur idem corpus in veritate. Si hic Hilarius hæc duo verba (interius) & (in veritate) non adiecisset, & dixisset, veritas est dum creditur: habuissent isti reconcinnatores & nouæ fidei mangones, quod dicerent, fidei efficientia cōstitui illam præsentiam, vt quod in cœlo à nobis abest, vehemētia fidei quasi ob oculos ponatur, quæ est imaginaria repræsentatio, quam propter authoritatem fidei, quam fingunt, nec verbo Dei nixam, vllam de eo habent: veram volunt haberi. Nunc verò, quum hic Hilarius, non modò vt credamus exigit, sed vt interius credamus & in veritate, significanter exprimitur vera sub elementis interior præsentia, quam non efficias credendo, sed verbi omnipotentia effectam credas, vt fides sit rerum non apparentium argumentū, lumen & demonstratio in veritate subsistentium, nō eorum causa. Ergo non dicit Hilarius, crede corpus Christi in cœlo esse (quod nemo fidelis nō credit) sed crede, inquit, interius, & interius in veritate, nam hæc est veritas, inquit, huius mysterij, quod nomine Christi corporis appellauit, vt intelligamus quatenus sacramētum appellatur corpus Christi, si visibilia elementa spectes, figuræ est appellatio: si ipsam internam mysterij veritatem, ipsius veritatis est expresiua, & ideò veritatis à figura distinctione, duplicem hanc appellationis huius acceptionem dilucidè notauit Hilarius iste, & apertè, & ad istorū cauillationes indenatas præcidendum perquàm commodè & competenter.

OBIICITVR 184.

OBIICITVR EX BASILIO, EPISTO. 141. *ad Cæsarianos apologia. Carnem enim & sanguinem, totam suam mysticam in carne conuersationem vocauit doctrinam, quòd illam quæ ex vita ipsius actuali & naturali & theologica constat, manifestauit, per quam nutritur anima, &c. Hîc Basilius dicit, carnem & sanguinem Christi anima suscipi, non corpore.* *Basilius.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Verba spiritus multos sua fœcunditate sensus pariunt, qui quatenus legitimi sint, & orthodoxa veritate obstetricante editi in lucem, probantur & retinentur in ecclesia Dei, non committuntur in pugnam, quod co natur iste Paulus quum Abrahami historiam allego ria exprimeret, nihil eo detraxit rei gestæ veritati. Et patres qui paradisi delicias iucundis allegoriis explicant, res ipsas non minuunt quominus ita fuisse intelligantur, nec ideò minus Christum veram carnem vel habuisse, vel in sacramento dedisse: quasi authore Basilio credendum sit, quòd carnem & sanguinem, ipsam vitæ actionem arbitretur commodè significare, quod tamen ne audacius facere videretur, sic claudit expositionem, vt dicat, hoc est fortè quod significetur verbo, καὶ τοῦτο ἐστὶ τὸ ἐκ τοῦ ῥητοῦ ἴσως δηλούμενον. videlicet quatenus Christus dixit, Et qui manducat me, ipse viuet propter me ne sola perceptione sacramenti nobis vita constet, quæ ita demum prodest, si totam Christi vitam fuerimus imitati, nam hoc est carnem & sanguinem edere & bibere, omni actione imitanda animam nostram pascere, quod qui faciunt, sacramentalem manducationem quam Christus instituit, non prætermittunt, adeò quod Basilius ibi scribit, nihil aduersatur Eucharistiæ, quin ille dum suos ad vsum sacramenti inuitat, vt in iis verbis Christi, Hoc est corpus meum, fidem exerceant, diligenter monet, vt est apud illum videre, in regulis breuioribus, interrog. 172. de quo loco aliàs diximus.

Gala.4.

OBIICITVR 185.

Basilius. OBIICITVR EX EODEM BASILIO quòd in sua Liturgia panem appellat *ἀντίτυπον* corporis Christi, atque post verba consecrationis.

RESPONDET CATHOLICVS.

Damascen⁹ li.4.ca.14

Damascenus Græcus, de hoc verbo (ἀντίτυπον) ita refert, Basiliũ in sua Liturgia vsum fuisse, sed ante sanctificationem. quod etsi in nostris exemplaribus aliter reperiatur hactenus; tamen valet Damasceni testimonium, vt nobis referat illorum temporum catholica

tholicam de Eucharistia fidem, secun dum quam post consecrationẽ crederemus veram corporis & sanguinis Christi præsentiam, non solam figuram, quam sonus verbi (ἀντίτυπον) videtur insinuare. Itaque fieri probabiliter potest, vt quum illis temporibus, non typis, vt nunc, sed librariorum singulari opera, exemplaria Liturgiæ Basilij diuulgarentur, verbum illud (ἀντίτυπον) à sciolo fuerit loco motum, quasi non commodè post consecrationem collocatum. Quicquid sit de loco verbi (ἀντίτυπον) in Liturgia, sensisse certè Basilium de vera præsentia, quod catholici, multis aliis ex locis manifestè constat. Cur ergo, inquies, dixit (ἀντίτυπα) post consecrationem? Respondeo, notãdum censuit eo verbo mysterij arcanum, & conditionem præsentium à futuris distinguere, quẽ nihil cunctata est ecclesia in precationibus publicis imitari, quę perceptis mysteriis sic orat, vt quod nunc per speciem gerimus, olim in veritate capiamus, quibus verbis nihil præiudicatur veritati præsentiæ corporis Christi, sed summa significatur veritas, vbi omni specie exteriori, figura & obuelatione sublatis, ipsa visione fruemur diuinitate, quæ est plena fruitio ad quã tendimus, & ipsa veritas ad quam anhelamus. Ad quã collata cætera quę in hac peregrinatione interim fiunt & exhibentur, vmbrę sunt, figuræ, imagines, in veteri lege vmbræ & figuræ obscuriores, rebus ipsis destitutæ, in lege noua figuræ quæ sunt imagines rerum, quoniam figuris nouæ legis res adsunt, & subsunt verè præsentes. Quare verbum ipsum, figura, quatenus de veteribus & nouis dicitur, variam vim habet, ibi futura, hîc notat præsentia. Vnde Gregorius Naziãzenus sic loquitur: Cæterùm Paschæ fiamus participes, figuraliter tamen adhuc, etsi Pascha hoc veteri sit manifestius, siquidem Pascha legale audenter dico, figura figuræ erat obscurior, at paulò post, illo perfectius & manifestius fruemur, quum filius verbum ipsum biberit nobiscum in regno patris nouum, reuelans & docens quæ nunc modicè demõstrauit, nouum enim est semper illud quod nunc cognoscitur. Hæc Gregorius, qui quum figuram figuræ dicit, præfatur se loqui audacius, sed significat nos, etiamsi ab illis legis tenebris emerserimus, non tamen peruenisse ad plenam lucem, quam in regno patris expectamus futuram, vbi plenè reuelabuntur & docebuntur omnia, & cognoscemus sicut cogniti sumus, & Gregorius eleganter interpretatur nouum, vt non à re dicatur nouum,

Nazianzenus orat. de Paschate.

quasi aliquid nouæ rei sit ibi futurum: sed eadem res nouo modo docta & à nobis cognita, vnde nouum dici vult ad rationem præsentis cognitionis. Sed vt ad verbum figuræ redeam, non rei veritatem, vt vides, semper attingit, sed eiusdem rei vel promissæ vel exhibitæ modum, vt quoniam non clarè, non plenè ipsas cernamus: figura quædam dicatur ipsarum rerum, quam figuram Origenes dixit imaginem rerum, dum sic scribit: Si quis verò transire potuerit ab hac vmbra, veniat ad imaginem rerum, & videat aduentū Christi in carne factum, videat eum pontificem offerentem quidem & nunc patri hostias, & postmodum oblaturum, & intelligat hæc omnia imagines esse spiritualium rerum, & corporalibus officiis cœlestia designari. Imago ergo dicitur hoc quod recipitur ad præsens, & intueri potest humana natura. Hæc Origenes, secundum quem patet, imaginis verbum non ita pertinere ad rerū veritates, vt illas imminuat, quominus ipsæ veræ sint, nam vera peregit Christus in carne, sed imago rerum quum dicitur, id significatur, quatenus illa intueri potest conditio nostra, id est humana natura. Atque hæc apertiùs distinguit Oecumenius iis verbis, quibus aperit illud Pauli ad Hæbræos, Non ipsam imaginem rerum, id est, veritatem inquit rerum. Res appellat futuram vitam, Imaginem autem rerum, euangelicam politiam, vmbram verò imaginis rerum, vetus testamentum, imago enim manifestiora ostendit exemplaria, Adumbratio autem imaginis obscurius hæc manifestat, nam hæc veteris testamenti exprimit imbecillitatem. Hæc Oecumenius: Ex cuius verbis vides, quanquam proprium sit imaginis exhibere veritates, vnde interpretatus est imaginem, id est, veritatem, tamen verbi propria significatio modum significat exhibendæ rei, non ipsam rem, vt quatenus minus à re ipsa habeat imago, in modo exhibitionis est, non in ipsa re exhibita. Vnde Augustinus sic scribit: Oportebat vt euacuaturus sacrificia, quæ secundum Aaron in Leuitico sacerdotio fiebant, non esset de tribu Leui, ne ad ipsum tribū, & ad ipsum sacerdotiū, quod temporaliter vmbra erat futuri, pertinere videretur mūdatio peccatorum, quā dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri sacerdotio figurabatur, impleuit, & haulocausti eius imaginē ad memoriam passionis suæ in ecclesia celebrandam dedit, vt esset sacerdos in æternum, nō secundum ordinē Aaron, sed secundum ordinē Melchise-

Origenes in psal. 38.

Oecumeni⁹ in episto. ad Heb. ca. 10

August. in 83. quæst. quæst. 61.

chiſedech. Hæc Auguſtinus, qui quum dicit imaginem dari, arcanũ dandi modum reſpicit,& dationis ipſius myſteriũ,quum alioqui ipſum holocauſtum reuera datum apertè confiteatur. Nam in libro ſententiarũ Proſperi ſic habet: Caro eius eſt,quã forma panis opertam in ſacramento accipimus,& ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus, caro videlicet carnis, & ſanguis eſt ſacramentũ ſanguinis,carne & ſanguine,vtroque inuiſibili,ſpirituali, intelligibili, ſignatur viſibile domini noſtri Ieſu Chriſti corpus & palpabile,plenum gratia omnium virtutum & diuina maieſtate. Hæc Auguſtinus,in cuius verbis audis veritatem carnis,à velamento formę panis diſtingui,dum dicit, caro eſt eius,quam forma panis opertam accipimus,& item de ſanguine, & poſtea ſequitur, iſtam veritatem ſic exhibitam, dici ſignum corporis viſibilis & palpabilis, adeò ne ſigni quidem appellatio à veritate disiungitur, ſed modũ diſtinguit exhibitæ veritatis, & ideo ſecundum veritatem modi exhibitionis, non eſt caro Chriſti, ſed carnis Chriſti ſacramentum, quia non ſe exhibet caro in ſua ſpecie, ſed in ſacramento. Et ideo idem Auguſtinus ſic ſcribit: Sicut ergo cœleſtis panis, qui caro Chriſti eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti, quum reuera ſit ſacramentum corporis Chriſti,illius videlicet quod viſibile,quod palpabile, mortale in cruce poſitum eſt, vocatúrque ipſa immolatio carnis, quæ ſacerdotis manibus fit,Chriſti paſsio,mors, crucifixio, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio:ſic ſacramẽtum fidei, quod baptiſmus intelligitur,fides eſt. Hæc Auguſtinus,qui per cœleſtem panem, non triticeum panem,ſed cœleſtem cibum intelligit, quem ait eſſe carnẽ Chriſti,& hactenus veritatem affirmat ipſius carnis,quam dicit vocari ſuo modo corpus Chriſti,quaſi dicat, cuius veritatem tamen ſi à modo exhibitionis ſpectes,reuera eſt ſacramentum corporis Chriſti,quomodo de Chriſti corpore quod paſſum eſt loquimur, in ſpecie viſibili. Nam rectè dixit Auguſtinus,Non hoc corpus quod videtis comeſturi eſtis. Et Hieronymus dicit, diuinam & ſpiritualem carnem manducandam dari, aliam quidem ab ea quæ crucifixa eſt. Ergo ſecũdum rationem exhibitionis diuiditur caro, quæ in ſe vna eſt,& caro in myſterio exhibita, eſt reuera ſacramentum corporis Chriſti viſibilis & palpabilis,quod in cruce paſſum eſt. Quare conuenienter ſequitur, quum non ſit eadem ſecundum qualitates ex-

Idem in li. ſententiar. Proſperi.

Ibidem.

In pſa. 98. Hierony. ĩ epiſt. ad Epheſ. 1.

hibitionis caro, quæ crucifixa est, quæ nunc manibus sacerdotis immolata est, pasio item, mors & resurrectio, non rei veritate, sed significante mysterio dicantur peragi, quia nec caro (vt dixi) eadem est qualitatibus, quomodo in cruce erat, licet substantia sit eadem. Quare iis authoritatibus me arbitror luculentum fecisse, hæc nomina figuram, imaginem, signum, sacramentum, vi sua nõ semper excludere rerum veritates, sua natura subsistentes, quasi res illæ non sint illic præsentes, vt earum conditioni, quod ad subsistentiæ attinet veritatem, moderentur, sed tantùm designare præsentiæ modum, vnde figura corporis, aut signum corporis, imago corporis, obuelationem & reconditum quid, in modo exhibitionis notat, nec quicquam imminuit de præsentiæ veritate, quatenus eandem præsentiã veram esse aliunde constare & patere potest. Tum illud notandum, illa quidem verba (reuera) & (veritas) ad modum præsentiæ interdum referri, quatenus vel cum præterito modo conferatur, qui fuit in cruce, vel illo qui olim erit in cœlis, vbi facie ad faciem contemplabimur. Quæ quum ita sint, nihil refert quo loco ponatur verbi (ἀντίτυπα) quum nihil aliud quàm modũ exhibitionis insinuet, qui reuera in figura est, in signo, in imagine, in sacramento, siue ad mortem referas, siue ad gloriam. Ibi species erat corporalis, quæ non est in sacramento. In gloria, species, plena visione videbitur spiritualis, vbi facie ad faciem contemplabimur, quum hîc videamus per speculum in ænigmate.

OBIICITVR 186.

Epiphani'. OBIICITVR EX EPIPHANIO IN ANchorato. *Videmus enim quòd accepit seruator in manus suas, veluti Euangeliũ habet, quòd surrexit in cœna & accepit hæc, & vbi gratias egisset, dixit, Hoc meum est, & hoc & hoc, & videmus quòd non æquale est, nec simile, non imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc est enim rotundæ formæ, & insensibilis, quantum ad potentiam, & voluit per gratiam dicere, Hoc meum est, & hoc & hoc, & nemo non fidem habet sermoni, qui enim non credit ipsum verum esse, sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Quod autem audiuimus, id credimus, quod est ipsius. Dominum verò nostrum nouimus, totum sensum, totum sensitiuum, totum deum, totum mouentem, to-*

tum

tum operantem, totum lucem, totum incomprehensibilem, sed qui cum gratia hoc nobis largitus est. Ex quibus verbis audis, de eo quod est rotundæ figuræ, & insensibile secundum potentiam, dominum per gratiã dixisse, Hoc est corpus meum. & corpus domini vult Epiphanius de eo dici, quod est insensibile secundum potentiam, id autem non conuenit corpori Christi vt sensu careat.

RESPONDET CATHOLICVS.

Rectè dixit Hilarius, intelligẽtiam dictorum ex dicendi causis esse sumendam. Tractans illud Epiphanius, quid sit creari hominem secũdum imaginem dei, post illam partem distinctionis explicatã, aliud esse habere quod est dei secundum naturam, quod homo non habet, ne videretur secundum æqualitatem habere id quod est secundum imaginem dei, aliud esse habere imaginem dei secundum gratiam: huius quæstionis abyssum ita expedit, vt fidei simplicitati innixi, persuadeamur quæ deus decreuit, nos iis nõ carere, verus enim est (inquit) qui cum gratia, id quod est secundum imaginem, homini largitus est. Hoc sentit Epiphanius, vt veritas dei certò persuasa absorbeat in nobis altam illã curiosę mẽtis indagationẽ, quomodo verum sit, deum creasse hominem secundum imaginem suam, quã-do secundum naturam non sit homo deus, quum deus sit spiritus, incomprehensibilis, & lux super omnem lucem, vt secundum iudicium carnis nihil sit in homine quod sit simile deo. Nam quod homo de deo habet, ex gratia est. Et vt fides nostra ad hæc amplectenda quodam quasi simili subleuetur, adducit Epiphanius simile ab Eucharistia, vbi sub insensibili elemento credimus adesse per gratiã corpus Christi, de quo, si rationem carnis cõsulamus, nihil est simile, sed omnis nostra fides veritati dicentis nititur, contra sensus & supra sensus nostros. Et hîc tria præcipuè annotanda censeo, Primum veram præsentiam corporis Christi in Eucharistia fuisse, tum persuasissimam. Secundum, habitum hoc de præsentia corporis Christi in Eucharistia, pro miraculo inexplicabili, sed tam certò, vt tanquã notius & illustrius ad aliud arcanum asserendum adhiberetur. Tertium, vocabulum, corpus, in verbis Christi nõ significare figuram, quia tum ridiculè excussisset illa Epiphanius, nihil esse imagini in

carnę

carne ſimile, non lineamenta membrorum, quæ ne carnalis quidē requireret in figura, neque enim in Manna aut petra deſideraret quiſquam rei ſignatæ effigiem. Sed quia verbum (corpus) veritatē exprimebat corporis dati, quod factum à piis creditur, quum nihil ſimile appareret in Chriſti manibus, ſed aliquid inſenſatum, & figuræ rotundæ videretur, & à corporis ſimilitudine alieniſsima omnia, & illud fidem obtinuit, tamen contra ſenſus: cur non etiam credamus, hominem factum ſecundum imaginem dei, etiamſi non intelligamus quomodo illa imago dei in homine reluceat? Ergo clarus & apertus eſt Epiphanius, in vera, reali, ſubſtantiali præſentia aſſerenda. Et iniquè nobis obiicitur petitio principij de verbis Chriſti, (Hoc eſt corpus meum) quaſi maneant de ſenſu cōtrouerſa, quæ verba (vt hic Epiphanius monſtrat) erant illis temporibus in ſenſu proprio certiſsima. At enim (inquiet hic argutator) interim de hoc non diſputo, Epiphanium nō recipio vt probem, ſed arripio vt vtar contra tranſubſtantiationem, qui dicit dominum de illo inſenſato dixiſſe, Hoc eſt corpus meum. Reſpondeo, illud, hoc, non demonſtrat naturam inſenſati, quaſi dominus dixiſſet, Natura huius panis inſenſati, eſt corpus meum, ſed illud, hoc, demonſtrat indiuiduum illud, illud videlicet vnum, quod carnalis inſenſatum panem iudicaret. Chriſtus verò definiuit illud vnum ſubſtantiæ eſſe, ſubſtantiæ corporis ſui, cui dicenti fides habetur, etiamſi nihil ſimile videatur ſenſibus cur ita eſſe credatur. Ergo verba Epiphanij, dum dicit, hoc eſt rotundæ figuræ: viſibilem ſpeciem illius indiuidui exprimunt, ſecundum potentiam inſenſibilem, vt ſignificet nihil eſſe quod veritati verborum Chriſti ſecundum ſenſus ſuffragetur, & Chriſtus de eodem indiuiduo locutus eſt, ſed ſubſtantiam in prædicato explicabit corporis, quam ex verbis eius, crederemus corporis eſſe, nō ipſius naturæ panis, quam ex ſenſibus indicaret ratio. Nam (vt alias tractatum eſt) demōſtratio, hoc, nec annectitur naturæ rei demonſtratæ, nec illam complectitur, ſed tantùm notat generaliter indiuiduum à natura remotum, ſed poſtea in prædicato intelligendum, vt quum Epiphanius confirmet hoc modo veritatem corporis, conſequenter etiam ſtatuit veritatem tranſubſtantiationis.

OBIICI-

OBIICITVR 187.

OBIICITVR EX HYSICHIO IN LIB. II. *super Leuitic.cap. 8. Propterea carnes cum panibus comedi præcipiens, vt nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est. manet ergo panis.* *Hysichius.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Ex iis est Hysichius, qui veram corporis Christi præsentiam maximè statuunt, quòd autem sic loquitur, vt mysterium simul panis sit & caro, non exigit vt panem triticeum intelligamus, sed ita in mysterio, sacrificium de sartagine diuina gratia attemperatum esse nobis, vt verè cibus efficiatur, vnde vera caro & panis, id est cibus nobis sit, panis (inquam) ille qui de cœlo descēdit, nam statim in Hysichio sequitur, sicut corpus Christi panis viui qui de cœlo descendit.

OBIICITVR 188.

OBIICITVR EX AMBROSIO IN EXPOsitione epist. 1. ad Corinth. *Cùm agitur vt hoc fiat in memoriam Christi, & mortis eius (inquit) nos in edendo & potando carnem & sanguinem Christi, quæ oblata sunt significamus.* *Ambrosius*

RESPONDET CATHOLICVS.

Haec verba suis punctis distincta, catholicā reddunt sententiam, nempe huius rei memores in edendo & potādo sanguinē Christi, significamus quæ oblata sunt, in quibus nouū testamentum sumus consequuti. vt recordari mortis, sit significare quid pro nobis in mortē dedit, id est, corpus & sanguinē. Vnde manducationem huius corporis & sanguinis in domini mortis memoriā iis verbis Ambrosius exigit, vt oblatio in cruce facta, iugi recordatione in ecclesia retineatur, nempe semel in cruce facta, vt semper prosit, semper apud altare memorāda, vt magis prosit.

OBIICITVR 189.

OBIICITVR EX EODEM CIRCA EVNdem locum. *Nos ait in typum sanguinis Christi accipere calicē mysticū.* *Ambrosius*

RESPONDET CATHOLICVS.

Hîc truncata producitur sententia, quæ suo loco aptè connexa pręcedentibus, nihil habet veritati catholicę non maximè consentaneum. Præcedit nanque nomē (beneficij) genitiuum videlicet huius nominis, typū, vt sic construas. In typū beneficij diuini (nam & hoc adiectiuum ibi est) nos percipimus calicem mysticū sanguinis Christi ad tuitionem corporis & animæ nostræ. Sic enim mortis beneficium hoc videlicet bibendi veri sanguinis typo annuntiamus.

OBIICITVR 190.

Ambrosius OBIICITVR RVRSVS EX EODEM, DE *sacramentis lib. 4. cap. 4. Hoc igitur astruamus, quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi consecutione?*

RESPONDET CATHOLICVS.

Commodè aptatur hæc quæstio ad responsionē de mutatione, videlicet quomodo illud esse panis, fiat esse corporis? quod sic effert, qui est panis, esse corpus, & sanè est panis eodem Ambrosio authore ante consecrationem, post consecrationem verò est corpus Christi, ita qui est panis, est corpus substantia consecratione mutata, vt fiat corpus. Similiter si quæreretur quomodo qui est claudus ambulat? sanatus videlicet.

OBIICITVR 191.

Ambros°. OBIICITVR ETIAM EX AMBROSIO, EOdem *in loco. Si tanta vis est in sermone domini, vt incipiant esse quæ nō erant, quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Si elementa sint quæ erant, non ergo transubstantiantur.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Argumentum est à maiore. Si enim de deo verè confitemur, eum posse creare ex nihilo, quāto magis de eodem confitebimur, vt quæ ab eo creata erant, conseruari possint vt sint? Porrò autem si potest ex nihilo creare, potest

test etiam quæ creata sunt commutare, vt non difficilis illi videatur explicatu hæc panis mutatio. Minus est enim vel quæ erant creata, vt sint & durẽt efficere, quàm ex nihilo creare. Quanquam sunt qui in iis istis verbis notent transubstãtiationis arcanum, quia sunt quæ erant panis & vini accidentia, & tamen in aliud est facta mutatio, quia non amplius panis & vinum, sed aliud sunt, videlicet vna essentia vnius Christi, & signanter dicit (aliud) non (alia) quum tamen de pluribus commutandis loqueretur, vt cum illo Cyprianus consentiat, ad vnam essentiam hæc redigenda.

OBIICITVR 192.

OBIICITVR ITEM EX AMBROSIO, LIB. *de his qui initiantur mysteriis. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ecce significatur corpus post consecrationem.* *Ambrosius*

RESPONDET CATHOLICVS.

IDem Ambrosius hanc sententiam aliis verbis effert, videlicet: Panis est ante consecrationem, post consecrationem corpus. Nam quod nominationem hîc dicit, & significationem illam realem intelligit, vt qua veritate nomen, panis, significat substantiam naturæ ante benedictionem, eadem veritate significatur nomine corporis, corpus Christi, substantia iam cœlestis.

OBIICITVR 193.

OBIICITVR ET ILLVD EX AMBROSIO, *de sacramentis libro quarto capite quinto. Sed intellige quid est amplius, Manna de cœlo, an corpus Christi? Corpus Christi vtique, qui author est cœli, deinde Manna qui manducauit, mortuus est, qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remißio peccatorum, & non morietur in æternum. Ergo non manducant hoc corpus mali quibus non fit remißio peccatorum.* *Ambrosius*

RESPONDET CATHOLICVS.

AMbrosius nihil aliud quàm sententiã ex Christi ore prolatam aliis verbis effert. Christus enim dixit, Patres vestri comederũt Manna in deserto,& mortui sunt: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Quæ promisiones Christi quandam in nobis congruentiam exigunt, non merito nostro constantem illam, sed diuinitatis bonitate suggerente & subministrante susceptam, ne tantis beneficiis simus prorsus inidonei, nõ quasi ex nobis (vt dixi) possimus esse aut digni aut idonei, sed omnis nostra sufficientia est à deo, quam certè nos habere oportet, vt dignè deo ambulemus,& dignè in sacramẽtorum vsu cooperemur deo: quod ni fiat, haud assequemur promisiones, sed diuerso exitu, secundum Paulum, pro vita succedet condemnatio, siquidem indignè manducauerimus.

OBIICITVR 194.

Ambrosi⁹. OBIICITVR EX EODEM AMBROSIO, DE *benedictionibus Patriarcharum cap. 9. Hic panis factus est esca sanctorum. Et postea, Qui accipit, non moritur peccatoris morte, quia panis hic remißio peccatorum est. At impij homines nec sunt sancti, nec habent remißionem peccatorum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

DE destinato effectu loquitur Ambrosius, quod verò secus in malis fit, per occasionem est, contingens etiam ex eorum vitio, adeò non probat non accepisse, quòd effectus non sequatur proprius, qui malitia suscipientium erat frustratus.

OBIICITVR 195.

Ambrosi⁹. OBIICITVR ITEM EX EODEM AMBROSIO, *de his qui initiãtur mysteriis, cap. 8. Ista esca quam accipis, iste panis viuus qui descendit de cœlo, vitæ æternæ substantiam subministrat, & quicunque hunc panem manducauerit, non morietur in æternũ, & corpus est Christi.*

Hæc

RESPONDET CATHOLICVS.

HAEC ſentẽtia veritatem Euchariſtiæ dilucidè atteſtatur, malos autem non idem ſumere quod boni,& ſacramentum non eſſe ſemper ſubſtantia idem, nequaquam probat, quæ nihil aliud quàm proprium huius eſcæ fructum & vim oſtendit, videlicet ſecundũ Paulum, ſi quis dignè illud manducauerit, nam indignos pœna manet & condemnatio.

OBIICITVR 196.

OBIICITVR QVOQVE EX EODEM, *De officiis lib. 4. cap. 48. Hîc vmbra, hîc imago, illic veritas, vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœleſtibus, antea agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paßionem, ſed offert ſe ipſe quaſi ſacerdos, vt peccata noſtra dimittat, hîc in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem quaſi aduocatus pro nobis interuenit. Ex hoc loco patet etiam nunc nos in imagine eſſe, & imaginem habere non veritatem.* *Ambroſius*

RESPONDET CATHOLICVS.

VEritatẽ intelligit Ambroſius, quod eſt ſuis numeris abſolutum, quomodo in ſolis cœleſtibus poteſt intelligi, & ideò quanquam Deus ſit vbique, tamen quoniam in cœlo ſua gloria fruitur, ſic docemur orare, Pater noſter qui es in cœlis. Et nos quanquam verum Chriſti corpus in ſacramento habeamus, tamen quia omnis noſtra cognitio per fidem ex parte eſt, & tãquam per ſpeculum in ænigmate: quod eſt maximè verum, nobis eſt in imagine, qui verum integrè contemplari non valeamus. Ipſum quidem in ſe verum, ſemper totum, & quaſi rotundum eſt, nec quicquam maius verum aut minus verum dici poſsit, ſed omnis illa defectio à nobis eſt, vt nobis dum hîc viuitur, imago dicatur, quod ipſa re verum cum integritate ſua ſit. Quare ex hoc loco Ambroſij cauillationes illæ omnes euertantur, quæ de verbis (αὐτίτυπον) imago, figura & exemplar, contra veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia confinguntur.

OBIICITVR 197.

Chrysostomus.

OBIICITVR EX CHRYSOSTOMO SVPER *epist. posteriore ad Corinth. Homil.20. Non solùm, inquit, quod nobis proponitur in mensa esse corpus Christi: sed etiam pauperes, quibus tenemur benefacere, quãdoquidem ille idem qui ait, Hoc est corpus meũ, verbo suo item dixit, se beneficio affici, & egere in pauperibus.*

RESPONDET CATHOL.

PRimùm, amplectendum est quod ad veritatem Eucharistiæ affirmandam pertinet, videlicet id quod in mensa proponitur, corpus Christi esse, quibus verbis nihil potest excogitari efficacius ad istorum figuratorum calumnias fugandas & abigendas. Nam istud (proponi in mensa) certam & veram corporis præsentiam explicat, nõ quam fides accedentis affinxit (vt sectarij somniant) sed quam dei omnipotentia operata est nobis, quibus proponitur. Quod verò additur de pauperibus, sint illi suo modo corpus Christi licet, & Christum in illis, quãdo ita voluit, agnoscamus, vt qui à corpore eius naturali in mysterio dato, diuina & spirituali alimonia refecti sumus: corpus eiusdem in pauperibus significatum, temporalibus beneficiis reconcillemus. Quoniam nõ minus verum est, pauperes significare corpus eius cui gratiam referamus, quàm in mysterio verè esse præsens corpus pro nobis passum, à quo gratiam accepimus. Et hoc corpus Christus nos iubet accipere & edere, illud nos iubet alere, quum dicat, Quod vni ex his fecistis, mihi fecistis. Nam & hæc nobis imputat in iudicio extremo, dicens, Esuriui, &c. Ergo perappositè hæc coniunxit Chrysostomus, vt fidelium in pauperes beneficia prouocet, non vt mysterij magnitudinem attenuet, cui explicando se imparem solet profiteri.

OBIICITVR 198.

Chrysostomus.

OBIICITVR EX EODEM, IN HOMILIA *11. super Matthæum, opere quod dicitur imperfectum. In sanctis, inquit, vasis non esse corpus Christi, sed mysterium corporis & sanguinis Christi.*

RESPON-

RESPONDET CATHOLICVS.

DE vaſis veteris teſtamẽti loquitur, quæ Balthazar auſus ſit prophanare, quamuis Eraſmus notet vel librũ menda, vel authorem libri illius, hæreſi hac eſſe corruptũ. Et tamẽ qui in myſteriis enarrandis ἀκριβολογεῖσθαι περὶ ῥήματα ſolent, faterentur etiam aliquo ſenſu in vaſis noſtris non contineri ſanguinem Chriſti, ſed myſterium ſanguinis, ſignificãtes verũ ſanguinem in myſterio nobis adeſſe quidem, at non vt in loco, quum tamen ambiente vaſe contineri, quandam loci rationem videatur referre, ſed quum ad eam ſubtilitatem Chryſoſtomus hîc loquutus non ſit, verba eius huc valent, vt oſtendant ſacramenta noſtra tantũ ab illis veterum ſacramentis diſtare, vt nudæ illis figuræ rerum ſignificatiuæ, nobis autem ſimul adſit cum figura res, vt verum corpus & verus ſanguis in noſtris vaſis eſſe poſsint & ſunt.

OBIICITVR 199.

OBIICITVR QVOQVE EX EODEM IN *caput 11. primæ ad Corinth. homil. 27. Quemadmodum Chriſtus enim & in pane & in calice, in meam commemorationem facite, dixit. Hîc colligere licet, verba Chriſti de pane dicta eſſe, non de vero corpore.* *Chryſoſtomus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

VTitur videlicet in appellatione panis, veteri nomine, ratione nominis ſublata, quod non eſt infrequens. Quòd ſi Iuſtinum & Cyprianum ſequimur (ſi ex verborum ordine, quem illi ſuis libris ponunt, colligere ſit tutum) videretur ſecundum illos, Chriſtum dixiſſe, (Hoc facite) ante verba conſecrationis, nam ita Chriſti verba referunt, vt iam ſecundum propriam appellationem diceret in pane, (Hoc facite.) Cæterùm vtcunque ſit, nihil eſt in appellationis voce argumenti. *Iuſtin. Apolog. 2. Cyprianus Ser. de cœna domini.*

OBIICITVR 200.

OBIICITVR ITEM EX EODEM IN *pſalm. 22. Paraſti in conſpectu meo menſam, Vt quotidie in ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti, panem & vinum ſecundum ordinẽ Melchiſedech, nobis oſtenderet in ſacramento. Notandum eſt quòd dicit in ſimilitudinem corporis Chriſti.* *Chryſoſtomus.*

RESPON-

RESPONDET CATHOLICVS.

ERant qui (consubstantialitatē) verbo (ὁμοιούσιον) exprimerent, quod verbi ὁμοιούσιον similem substantiam sonat. Interrogatus Basilius, an id ipsē affirmaret? respondit, se non adeò abhorrere à verbo, si quidem iusta & plena significatio adhibeatur, secundum quam putat simile dici posse, quod sit idem. Quæ ideò commemoro, vt ostendam quod hîc dicitur, similitudinem sanguinis de vero sanguine posse prædicari, qui sit idem, quemadmodum similis substantia dicitur, quæ sit eadem. Quanquam hic locus ipsa verborum compositione perplexior significat nobis paratā à domino mensam, in qua ostenderet nobis in sacramento panem & vinū, quæ Melchisedech obtulerat in similitudinē, hoc est, figurā corporis & sanguinis Christi, innuens nobis oblationem Melchisedech fuisse figuram huius sacrificij, in quo panis & vinum in verū corpus & sanguinem ostenduntur mutata, vt figuræ præcedenti succedat veritas.

OBIICITVR 201.

Chrysostomus. OBIICITVR PRAETEREA EX CHRYSO-*stomo ad Cæsarium monachum: & Deus & homo est Christus, Deus propter impaßibilitatem, homo propter paßionem, vnus filius, vnus dominus, idem ipse procul dubio, vnitarum naturarum, vnam dominationem, vnam potestatē poßidens (etiamsi non consubstantialiter existunt, & vna quæque incommixta, proprietatis conseruat agnitionem, propter hoc quòd inconfusa sunt duo. Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus, diuina autem illud sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed vnum filij corpus prædicatur. Sic & hæc diuina ἐνιδρυσάσης, id est, inundante corporis natura, vnum filium, vnam personam, vtraque hæc fecerunt.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NON est hoc Ioannis Chrysostomi, sed Ioannis cuiusdam Constantinopolitani. Et hîc vide, quid ab Eucharistiæ similitudine conetur docere, videlicet non naturarum in Christo perfectionem, sed consistentiam, vt sicut in Eucharistia

chariſtia duæ ſint naturæ incommixtæ, agnitioné proprietatis conſeruantes ſine confuſione: ita & in Chriſto. Atq; ideò notat in Euchariſtia naturam panis manere, quod & eccleſia fatetur hactenus, vt videatur, palpetur, guſtetur, & corrumpatur iuxta naturæ proprietatem, ſed quemadmodum hic dicit, nõ duo corpora, ſed vnum corpus filij Dei prædicari: hoc & eccleſia ſimiliter tranſubſtantiatione prædicat, vnam eſſe corporis Chriſti ſubſtantiam, ne dicamus ſimul eſſe & panem & corpus, ſed vnam ſubſtantiam corporis filij Dei, quod ſubſtantia panis manente, induceret abſurdum impanationis. Qui hæc Græca tranſtulit, illa non intellexit, non eſt enim (ἐνιδρυσάσης) inundante: ſed firmante humanam corporis naturam.

OBIICITVR 202.

OBIICITVR ETIAM EX EODEM, IN *epiſt. priorem ad Corinth. cap. 10. Quid enim appello communionem? idem ipſum corpus ſuum. Quídnam ſignificat panis? Corpus Chriſti. Quid autem fiunt qui accipiunt? Corpus Chriſti. Hîc clarum eſt panem ſignificare corpus Chriſti.* *Chryſoſtomus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Hoc in loco Chryſoſtomus verba Pauli explicans, (Panis quem frangimus, nónne cõmunio corporis Chriſti eſt?) communionis effectũ in verbo, communio, notat, quoniam eſus huius panis, nos in vnius corporis communionem coaleſcere facit, vt vnum corpus Chriſti myſticum ex nobis fiat, veluti alludens ad illud quod Paulus Epheſiis ex Geneſi citat, Os ex oſsibus, & caro de carne, ſic hîc ex corpore ſit corpus, id eſt, ex corpore Chriſti naturali, corpus myſticum in nobis. Et ita à ſeipſo quærit Chryſoſtomus, Quídnam appello communionem? Reſpondet, idem ipſum corpus ſumus, id eſt, dum nos congrua membrorum compagine cohærẽtes, vnum corpus ſumus, quod emphaticõs idem ipſum corpus, id eſt, ſummo conſenſu & conſpiratione vnitum & coagmentatũ, iam communio ſumus, in quibus omnia corporis membra communicant inuicé ſua. Chryſoſtomus deinde explicaturus quid ſignificet verbũ (Panis) ſic quærit, Quid eſt panis? non quomodo hic adulterator verbi Dei

& hominum citat, Quid significat? & respondet, Corpus Christi. Nam Chrysostomus Paulum intellexisse verbo, Panis, panē dominum sentit, quomodo loquitur Augustinus, id est Eucharistiam, cibum videlicet cœlestem consecratione effectum, qui deinde in mysterio frangitur, ad explicandam illo veluti symbolo passionem. Et respondet Chrysostomus quæstioni, Quid est panis? Corpus Christi, Adeò nullam prorsus figuræ mentionem facit, signi aut symboli hoc in loco. Postremò quærit, Quid fiunt qui accipiunt? Respondet, Corpus Christi, eo sensu quo Paulus loquitur, Vos estis corpus Christi, nō illo quo in cœna Christus, quum corpus comedendum daret, ibi enim addidit, (quod pro vobis traditur,) vt de corporis naturalis veritate non dubitemus.

OBIICITVR 203.

Chrysostomus.

OBIICITVR EX EODEM CHRYSOSTO*mo in homilia octuagesimatertia super Matthæum. Ista esse symbola domini Iesu, quibus obturamus ora hæreticorū, qui quærunt, Quomodo Christus sit passus. Nam si non verā habuisset carnem, & verè passus esset: vana essent hæc symbola.*

RESPONDET CATHO.

QVod hoc in loco scribit Chrysostomus, obturasset huius etiam hæretici os, ni durum nimis & impudens esset, & veritatem non discere sed corrumpere, omnis huius conatus niteretur. Chrysostomus enim sic scribit: Nā quando dicunt hæretici vnde patet immolatum fuisse Christum? & alia multa mysteria, hæc enim afferentes, ora ipsorū consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum, ac signum, hoc sacrificium est? Hæc Chrysostomus, qui sacrificium ecclesiæ quod in altari peragitur, ostēdit esse symbolum & signum Christi immolati in cruce. Quando ergo secundū eundem Chrysostomū, sacrificium ecclesiæ non ex pane & vino, sed ex vero Christi corpore præsente constet, quod & omnes catholici patres cōfitentur: apparet nō esse absurdū, vt idē corpus sit sui ipsius signū & symbolum, nec videri obscurius signū pręsentis corporis, quod fides intuetur, quàm veritas passionis quæ abiit in præteritum, quæ sola etiam fide intelligitur facta.

OBIICI-

OBIICITVR 204.

OIICITVR EX EODEM SVPER EPIST. *priori ad Corinth.cap.10. homilia vicesimaquarta. Iubet nobis vt cum concordia & charitate maxima ad se accedamus, & aquilæ in hac vita facti, ad ipsum cœlum euolemus, vel potius supra cœlum, vbi enim cadauer,(inquit) illic & aquilæ. Cadauer domini corpus propter mortem, nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas autem appellat, vt ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere esse commune, nec ad inferiora trahi, ac repere, sed ad superiora semper volare, & in solem iustitiæ intueri, mentísque oculum acutißimum habere, aquilarum enim, non graculorum hæc mensa est. Hîc ostendit quomodo nobis ad cœlum ascendendum sit, dum communicamus, si corpore Christi frui volumus.* *Chrysostomus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

VErba sunt excitantis nos ad dignè communicandum Christo, cum quo si verè in baptismo mortui, cũ eodem resurreximus, quæ sursum sunt quæramus, non quæ super terram, vt nostra conuersatio sit in cœlis, quum per vniuersam vitam, tum verò maximè à terris eleuemur, quando cœlestia tractamus sacramenta, quæ aquilis non graculis parata sunt. Quæ verba nihil minuunt de veritate sacramenti. Nam vt præsentia Christi in sacramento cum eiusdem in cœlo præsentia consistit: sic mentis nostræ in cœlum eleuatio, illam à Christo in sacramento contemplando nõ disiungit. Imò qui non videt Christum à dextris sedentem, nec illum potest in sacramento videre. Vna est enim fides vtriusque veritatis, & vnis fidei oculis, vno eodémque momento, vtramque veritatem cernimus, & à cœlo auspicati sacramentum intelligimus, quoniam è supernis est lumen quo perspiciamus. Non ergo qui in cœlum vocat, à sacramento auocat, sed docet quà rectà eò progrediatur. Terrenæ & deorsum in carne fixæ mentes, quæ nihil aliud quàm graculorum more nimis garriunt, humanas rationes & cauillamenta deblaterantes, ad mysterij cognitionem non pertingunt, nec fructum qui è supernis est, assequuntur, quum nõ graculis ponatur hæc mensa, sed aquilis illis

nimirum qui ſublimipetę ſint, nec fecibus mundi immerſi, humum volatu contingant. Pennæ ſunt quærendæ vt voles, ne quid terrenæ ſordis ad menſam deferas, quæ licet in terris ſit poſita, & à domino in conſpectu noſtro parata, quia tamē cœleſtem cibum propoſitum habet, mentes eo dignas & cœleſtes poſtulat.

OBIICITVR 205.

Chryſoſtomus. OBIICITVR QVOQVE EX EODEM *in Matth. 26. homil. 83. Illi ab Aegypto in Paleſtinam erant profecturi, ac ideò viatoris habitum habebant, tu de terra in cœlum aſcenſurus es. Hic hortatur in cœlum fide aſcendere, vt illic, non in ſacramento manducemus Chriſti corpus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Nos non vt patres terram terra mutamus, ſed fœliciore peregrinatione de terra migramus in cœlum, quò qui verè tendunt, eò ſemper mentes & oculos intentos habent, & huius itineris viaticum eſt Euchariſtia, cuius viam is ſolus nouit, qui cœlum fide circunſpexit, vt poſsit cum Chryſoſtomo exclamare, O immenſam Dei benignitatem, qui in cœlo regnans, cum patre ſurſum ſedes, etiam noſtris manibus teneris in terris, nō eo modo quomodo caro cogitet, quæ omnis prorſus abiicienda ſit, ſed admirabili modo, nō manifeſto, ſed in myſterio, quod ſpirituale eſt opificium, nimirū ipſius ſpiritus. Quæ ſententiæ ſic dictæ ſunt à Chryſoſtomo, vt animos noſtros accendat atque inflammet, non vt veram præſentiam corporis Chriſti minuat, quam quoniam certò per fidem nouit, etiam loquitur ipſe, & quanta poteſt eloquentia, cæteris perſuadere conatur.

De ſacerdotio lib. 3.

OBIICITVR 206.

Hieronym⁹ OBIICITVR EX HIERONYMO AD HEdibiam. *Nos autem audiamus panem quem fregit dominus, deditque diſcipulis ſuis, eſſe corpus Saluatoris, ipſo dicente ad eos, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. Vide panem corpus domini vocari.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Hieronymus fatetur esse quod à domino est factum, at quomodo sit factum nihil dicit, ergo ecclesiasticæ doctrinæ illis verbis non contradicit, verbo, panis, quod visibile est, notat, non esse significans quod sensus renuntient, sed quod Christi verba referunt, quasi diceret, substantia eius quod sensibus videatur panis est, sed ipsa veritate corpus est Christi, quod sensus nesciunt, sed nouit fides, & illam emphasim habet pronomen (nos) & ab oculis ad aures, à Iudaicis fabulis ad verba Christi prouocat Hieronymus. Nos (inquit) audiamus panem quem fregit dominus, &c. Sit sanè oculis carneis panis quem fregit dominus, auribus certè nostris sit corpus Christi, propter eiusdem verba, vt non significet Hieronymus panis materiam esse corpus Christi, sed ex pane corpus factum fuisse. Vnde quod factum credit, etiam esse conuenienter loquitur, vt illa locutione effectio subintelligatur, tum autem loquitur de pane quem fregit dominus, quod credimus consecratione factum corpus, fregit enim quod cõsecrauerat.

OBIICITVR 207.

OBIICITVR EX EODEM IN ESAIAM *lib. 18. cap. 66. Omnes voluptatis magis amatores quàm amatores Dei, sanctificari in hortis & in liminibus, quia mysteria veritatis non valent introire, & comedere cibos impietatis, dũ non sancti corpore & spiritu, nec comedunt carnem Iesu, neque bibunt sanguinem eius, de quo ipse loquitur. Qui comedit carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus, qui non foris, sed in domo vna, & intus comeditur. Ex hoc constat, malos non comedere carnem Christi.* *Hierony.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Hieronymus notat, quid ad dignam manducationem exigatur, vnde effectum Eucharistię proprium assequamur, vt simus sancti corpore & anima, ne videlicet foris in peccatis & hæresi maneamus, sed ingrediamur domum domini, amplectamur vnitatem corporis mystici, quia de iis solis verum est quod dicit Christus, Qui manducat meam carnem, habebit

Hierony. in Mala. c. 1. vitam æternam. De malis verò alibi dicit idem Hieronymus, eos polluere corpus & ſanguinem domini, quando ſordidi mundum ſanguinem bibunt. adeò nō negat Hieronymus, malos idem quod boni ſumere: ſed non eodem fructu, & ideò quod non rectè fit, negat fieri, quia non ſuo modo & proprio fiat.

OBIICITVR 208.

Hierony. OBIICITVR ITEM EX EODEM IN HIEremiam *cap. 22. lib. 4. Omnis hæreticus naſcitur in eccleſia, ſed de eccleſia proiicitur, & contendit & pugnat contra parentem, quod infert nō comedent & nō bibēt, ſubauditur corpus & ſanguinē ſaluatoris etc.*

RESPONDET CATHOLICVS.

MOres notat hæreticorum, qui dum ſacramenta prorſus contemnunt, contendunt (inquit) & pugnant contra parentem, cum quibus nec catholici libenter communicant. Hæretici ergo non comedent & bibent, vel quia nemo dabit, vel ipſi non ſe ſolent ingerere vt accipiant.

OBIICITVR 209.

Hierony. OBIICITVR ETIAM EX EODEM IN Oſeam *lib. 2. cap. 8. Iſti (hæretici) multas immolant hoſtias, & comedunt carnes earum, vnam Chriſti hoſtiam deſerentes, nec comedentes eius carnem, cuius caro cibus credentium eſt. Quid poteſt clarius dici, quàm hæreticos & malos homines non comedere carnem Chriſti, quæ cibus eſt credentium fide ſuſcipiendus?*

RESPONDET CATHOLICVS.

CRimen exaggerat hæreticorum, qui multas comedunt hoſtias, immolantes videlicet dæmoniis & non deo, dijs quos ignorabant, vnam Chriſti hoſtiam deſerunt, cuius veritatem conſpurcant mendaciis, ſacramenta lacerant maledictis, cibum carnis Chriſti non comedunt, qui credētium eſt cibus, à quibus ſe diuidunt. Ergo oſtendit Hieronymus quid fiat, non tractat quid fieri poſsit.

OBIICI-

OBIICITVR 210.

OBIICITVR EX EODEM HIERONYMO *super Matth. cap. 26. Inquit pane ac vino, repræsentatum esse corpus ac sanguinem domini.* *Hierony.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Corruptè huc citant Hieronymum, qui non loquitur vt hic argutator, in pane & vino, sed sic habet: Postquã pascha fuerat impletum, & agni carnes cum apostolis comederet, assumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum paschæ trãsgreditur sacramentũ, vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi dei sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis repræsentaret. Hæc Hieronymus, qui vt Cyprianus notat, reuelatã figuræ veritatẽ, hoc est, tum corporis, tum sanguinis veritatem repræsentari, non alteram figuram constituendo, sed perimplendo veterẽ. Ergo quod in figura promittebatur, nunc est à Christo repræsentatum, cuius verbi (repræsentare) ea vis est, vt veram & certam præsentiam significet, de quo verbo aliàs dixi fusius.

OBIICITVR 211.

OBIICITVR EX CYRILLO AD OBIE- *ctiones Theodoreti. Sacramentum nostrum non asseuerat hominis manducationem, mentes credentium ad crassas cogitationes irreligiose intrudens, & humanis cogitationibus subiicere enitens ea quæ sola & pura & inexquisita fide capiuntur. Neque enim quia diuinitatis natura non comeditur, propter hoc commune quis dixerit sanctum corpus Christi. At vos dicitis sacramentũ nostrum esse* ἀνθρωποφαγίαν, *vt dixerunt Caparnaitæ.* *Cyrillus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NON sunt hæc Cyrilli, sed nequissimi hominis Oecolampadij, adulteratis Cyrilli verbis, figmenta, cuius vnius loci excussa veritas, & fraude huius impostoris detecta, ad spiritus probationem sic obtineret, vt ad euertendas omnes ab illo in veritatem Eucharistici sacramẽti fabricatas machinas,

deberet

deberet sufficere, præsertim quum hoc in loco, suo se indicio prodat sorex, editis eius nomine, à suis illis ipsis græcis, quæ & malè vertẽdo corrupit, & in ipsis adeò fontibus vitiauit. Nam græca sic habẽt: Ἀρ' οὖν ὡς ἕτερόν τινα υἱὸν καὶ χριστὸν παρὰ τὸν ἐκ θεοῦ θεὸν λόγον τὸν φαινόμενον εἶναι διαβεβαιοῦνται, ᾧ καὶ τὸ τῆς ἀποστολῆς προσνενέμηται χρῆμα, οὐκ ἀνθρωποφαγίαν ἡμῶν ἀποφαίνει τὸ μυστήριον, παρειςῶν ἀνοσίως εἰς ἐξιτήλους ἐννοίας τῶν πιστευόντων νοῦν, καὶ λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις ἐπιχειρῶν, ἃ μόνῃ καὶ ψιλῇ καὶ ἀζητήτῳ πίστει λαμβάνεται. quæ sic vertit Oecolampadius. Nónne igitur eum qui videtur filiũ & Christum alium à deo verbo, qui ex deo esse affirmant, cui Apostolatus functio tributa sit? non enim sacramentum nostrum, hominis manducationem asserit, mentes credentium ad crassas cogitationes irreligiosè introtrudens, & humanis cogitationibus subiicere enitens ea quæ sola & pura & inexquisita fide capiuntur. Ita Oecolampadius, cuius translationis veritatem, quò certius perspicias, adiiciam translationem, quæ fide publica cõstat, Basileæ ante annos 26. & nuper Coloniæ typis excusam, in hæc verba. Putas ergo tanquam alterum quendam filium & Christum absque verbo ex deo, eum qui videbatur esse confirmans, cui etiam soli causam apostolatus attribuit, non humanam commixtionem mysterium nostrum esse pronuntiat, scelestè protrahens ad sensus caliginosos credentium mentem, & cogitationibus humanis subiiciens, quæ sola & inexquisita fide percipiuntur? Hæc habet Latina editio publica, quę non vt Oecolampadius, hominis manducationem habet, sed humanam commixtionem. At dixerit aliquis, corrupta esse Latina librariorum errore, qui humanam comestionem, pro commixtionem, dicere debuissent, qui error propter vicinitatem literarum incidere potuisset. Sed ne sic quidem cum Oecolampadio conueniret, qui non dicit humanam comestionem, quæ verba modum manducationis notarent, sed hominis manducationem, quæ verba rem notant manducandam, id quod significat ἀνθρωποφαγία, verbum ab Oecolampadio planè suppositum, quod quò commodius subiiceret, corrupit quæ circunstant reliqua. Primùm, vnam periodum in duas secauit, quod vt faceret ex διαβεβαιῶν participio διαβεβαιοῦνται. Deinde vt illud οὐκ ἀνθρωποφαγίαν &c. annecteret: coniunctionem addidit de suo causalem, sic enim transfert (non enim) quum græca causalem nõ habeant. τὸ μυστήριον nominatiuũ facit, vnde fit solœcismus in παρειςῶν & ἐπιχειρῶν.

In ipsa verò redditione latina, Oecolampadius ἀποφαίνει trāsfert(asserit,) quum Cyrillus græcè alludens ad illud τὸ φαινόμενον, eleganter posuerit pro pronuntiare, siue describere aut declarare, cui significationi ineptissimè pro nominatiuo est τὸ μυστήριον, cuius est recondere & abdere. Postremò, adiectiuum ἐξιτήλοις Oecolampadius transfert, crassas, quum significet prorsus oppositum, significatione propria, quod est, tenues, transtulit publicus interpres, caliginosas, eleganti metaphora, quoniā tenuia exeunt in caliginem, quum illud Oecolampadij, crassum, pingue quid notet, quale homini profectò suggereret ἀνθρωποφαγία. Atque in his tam multis quum varietur, quis dubitet græca ab ipso Oecolampadio esse corrupta? vt posset illis aptare sensum quendam suum. Tū illud dico, editionem publicam latinam, sensum nobis referre aliis Cyrilli dictis congruū, & huic Enthymemati conuenientem. Cyrillus enim in interpretatione primi anathematismi, de vnione naturarum in Christo loquens, sic habet: Dicimus ergo ipsum hominem factum, non conuersionē passum in id quod nō fuit, non immutationem, semper enim idē est, & conuersionis obumbrationē pati non poterat, sed neque mixturā aut confusionem, aut temperamentum substātiæ eius ad carnē factam definimus. Et alibi: ergo si dicimus carnem factū verbū, non confusionē, non mixturam, non immutationē contigisse dicimus circa eum, sed vnitū potius ineffabiliter & inenarrabiliter sancto corpori, animam habēti intelligibilem. Et in eiusdem Cyrilli epistola ad Successum: Quod autē confusio, aut contemperatio, aut permixtio facta sit verbi in carnē, vel corporis cōuersio in deitatis essentiā, hanc nos calūniam nimis prudenter abominamur. Hęc Cyrillus, quem vides dānare imaginationē mixturæ naturarum in Christo, quod Nestorius significare videbatur, & itē confusionē, quæ erat hæresis Eutychianorum, adeò hoc in loco quo de agitur, mixturæ nominatio ab ipso Cyrilli tractatu nō abhorret, & huic loco conuenit, quomodo illū effert publica editio. Nempe enim qui cōfirmat (quod agebat Nestorius) eum qui videtur, τὸν φαινόμενον, alium esse filium & Christum, præter illud ex deo verbum, & illi qui videtur, tribuit Apostolatū, mixturam dei & hominis facit, non cōfitetur vnionem, & ideo declarat mysterium nostrum esse humanam commixtionem, protrahēs fidelium mētem ad cogitationes de mixtione tenues ac sub-

Cyrillus in interpreta. anathema. 1.

Cyrilli oppositione Anathematismi 1.

Cyrillus epist. ad Successum.

tiles, quæ in caliginem exeant, tum autem conatur humanis ratiocinationibus ea probare, quæ ſola & inexquiſita fide comprehenduntur: quod qui vnioné fateretur nõ faceret, nam myſteriũ vnionis excludit omnes mentis noſtræ cogitationes, quomodo fiat, quia diuina eſt operatio, quæ nihil ſimile habeat in natura rerum, quum mixturæ & confuſionis ſint ſimilitudines & inductiones, in quibus humana ratiocinatio poterit aliquouſque progredi, ſed vnio naturarum in Chriſto ineffabilis eſt prorſus & inenarrabilis, nam quod in ſymbolo dicimus, Sicut anima rationalis & caro, vnus eſt homo: ita deus & homo, vnus eſt Chriſtus: veritatem vnionis certam docet, non explicat modum, quia caro non eſt homo, quemadmodum dicimus, deus Chriſtus eſt homo, & homo Chriſtus, eſt deus. *Et illud* obiter annotãdum eſt in Cyrillo, quòd tam pro abſurdo ducit, myſterium probare ratiocinationibus humanis, vt vel ex eo conuincat, non eſſe illam myſterij veram definitionem, quæ illud deducat & demittat in ratiocinationes humanas, quod Neſtorius illa ſua mixtura conabatur, quæ modũ aliquem ſuum in humanis exemplis reperiret, quod in fidelium mentibus excitaret cogitationes ſubtiles & tenues, vnde à fide in tenebrarũ caliginem ſe præcipitarent. Nũc ſupereſt vt videamus de iſta ἀνθρωποφαγία, quod verbum dico nec cũ præcedentibus cohærere poſſe, nec cum ſequẽtibus. Nam quomodo infert hominis manducationem, qui dicit, alium eſſe qui videtur Chriſtum, cui tribuat apoſtolatum, ab eo qui eſt ex deo verbum? aut quomodo hoc dicẽs, definiat myſterium noſtrũ eſſe, hominis mãducationem, hoc eſt, vnioné naturarum Chriſti, eſſe hominis mãducationem? nam illud haud dubiè ſignificat τὸ μυστήριον. Quid autẽ commune apoſtolatui cum mãducatione? atque hæc quantum ad præcedentia. Quod verò ad ſequẽtia attinet, quàm non cõuenit dicere, eũ qui myſterium definiat, hominis manducationẽ vel ciere & concitare? quod ſignificat (παεισῶν) in fideliũ mẽtibus cogitationes tenues & ſubtiles, quaſi quiſquilias & minutias quæ caliginem inducerent, vel conari ea probare ratiocinationibus humanis, quæ ſola fide caperentur, quando quod ad cogitationes pertinet, nihil ſit craſsius hominis manducatione, nec ab humana ratiocinatione quicquã alienius, quiſquis eius ἀνθρωποφαγίαν eſſe myſterium definit, id deridendũ rationi proponit, nõ eius ductu cõprobandum. Quòd ſi quis contẽdat

dat Nestoriũ quũ explicaret illa verba Christi,(Sicut misit me viuẽs pater, & ego viuo propter patrẽ,& qui manducat me,ille viuet propter me,)per cõsequentiã inferre hominis mãducationem, quoniã diuidens Christũ in apostolatu, etiam in manducatione diuidit, & nudum hominẽ manducari doceat,non hoc agebat hoc in loco Cyrillus,vt mysterium tractaret sacramenti, sed vt redargueret Nestorium de errore vnionis in Christo, quã veluti mixturã intelligebat Nestorius personas diuidẽs, & quum Cyrillus hic faciat Nestoriũ ratiocinantẽ, adhibet Nestorius ex mysterio manducationis, ad distinctionem personarũ probandam, tanquã certum argumentum, videlicet manducari humanitatẽ,nõ diuinitatem, quod arripit Nestorius tanquam cõfessum,quod tamen mox Cyrillus explicat. Sed quid in iis immoror diutius? quando ipse Oecolampadius videbat non cohærere antecedens huius Enthymematis,cũ illatione de humana manducatione,& ideo per corruptionẽ abscidit. Deinde status causæ non erat de mysterio Eucharistiæ, sed vnionis naturarũ. Tum de eo qui diceret mysterium Eucharistiæ esse hominis manducationem,nunquã adderet Cyrillus, excitare illum cogitationes subtiles, aut conari probare id humanis ratiocinationibus. Quæ sierit hîc aliquis, quid sibi vult ergo quod subiiciat mox Cyrillus? Non enim quia diuinitatis non comeditur natura,propterea sanctũ Christi corpus cuilibet commune esse affirmat.Hoc videlicet restabat Cyrillo explicandum, qui concesserat diuinitatem nõ manducari,sed humanitatis naturam,nam ab hac concesione progreditur Nestorius ad illud de apostolatu explicandum.Primũ enim orditur Nestorius ab illis Christi verbis, (Qui manducat meam carnem) vbi quum impetrarat id concedi,nõ manducari diuinitatem:aggreditur illa verba Christi de apostolatu (sicut misit me viuens pater) in quibus quoniã sequitur, (Qui manducat me) ab illa mãducatione,quã in humanitate intelligi antea obtinuerat, conatur docere idẽ in apostolatu, vt iam necesse esset Cyrillo, quod concesserat interpretari, quoniã ex illa concesione consequebatur Nestorio illa distinctio personarum (vt dixi) in functione apostolatus, quomodo ille accipiebat.Ergo ista addit Cyrillus, Quanquam diuinitatis natura non comeditur, non sequitur sanctum Christi corpus esse commune,vt inde quis colligat, alterius hominis esse corpus à deo ver-

bo, quod conatur Nestorius in apostolatu ostendere, sed est propriu corpus verbi, quibus verbis notat Cyrillus mysterium vnionis naturarum, vt licet concedatur diuinitatis naturam non manducari, non est tamen fas dicere, abesse diuinitatem ab humanitatis manducatione, quia non est alterius corpus quod mãducatur à deo verbo, licet aliud sit quod manducetur, videlicet corpus, quod aliud est à deo, sed non alterius corpus quàm verbi dei proprium corpus. Concisius hunc locum tractat Cyrillus & argutè, atque hoc suo (non enim) occurrit collectioni Nestorij à prius concessis, de manducatione humanitatis, non diuinitatis, in quibus explicandis quo certius detegerem Oecolampadij fraudes, sum fortasse verbosior. Sed vt quod proprium est instituti agam, Expediant hoc omnes isti figuratores, qui omnem manducationem carnis Christi & sanguinis, in sola mentis meditatione & fidei participatione ponunt, quomodo constet quod aiunt cum eo, quod hîc concessit Cyrillus Nestorio, diuinitatis naturam non manducari? Itáne verò sit, vbi non diuinitatem meditetur animus, aut vbi fides in diuinitatis naturam non intendatur? quibus nihil est absurdius. Et quod Cyrillus confessus est, Ephesinum concilium non reprobauit, imò probauit potius, in quo confessio de carne Christi edita est, etiam verè viuificatricem esse. Quæ quum ita sint, non fuisset adeò de verbo (ἀνθρωποφαγία) cõtendẽdum, nisi quatenus Oecolampadij malitiam expedit propalari, qui videtur supposuisse ἀνθρωποφαγίαν, pro ἀνθρωπουργίαν, quia alioqui nudi hominis manducationem abhorrent catholici, qui carnem dei & hominis in sacramento dari, & diuinam illam & spiritualem manducari profitentur.

OBIICITVR 212.

Cyrillus. OBIICITVR EX EODEM CYRILLO IN *Ioan. lib. 4. cap. 10. Mortui ergo sunt qui manna manducauerunt, quia nullam inde vitæ perpetuæ virtutem acceperunt. Non enim viuificabat, sed famem solummodo corporalem remouebat, & figura erat veritatis, qui verò panem vitæ suscipiunt, immortalitatem consequuntur, & omnia interitus mala effugient, cum Christo æternaliter viuentes. Hîc videre licet, malos qui non consequuntur immortalitatem, non suscipere corpus Christi.*

Qui

RESPONDET CATHOLICVS.

QVI suscipiunt Christum, immortalitatem consequentur, siquidem quod Paulus ad Hebræos scribit, Christi facti participes, initium substantiæ eius vsque ad finem firmũ retinuerint, quod est dignè suscipere, quũ qui aliter susceperint, grauius cõdemnentur. Et Paulus veretur ne in Galathis frustrà laborauerit, quòd cum spiritu cepissent, ad carneam legem relaberentur. Quare quum aliud sit suscipere, aliud retinere, vt digna susceptio non sit ad immortalitis effectum, nisi perseueraueris: nihil habet probationis, malos non suscipere, quod propter indignitatem suscipientium sit suo proprio effectu frustratum. Et hîc etiam obseruabis, sub panis appellatione, quemadmodum in Euangelio, sic etiam frequenti Patrum locutione, significari Christum in mysterio præsentem.

OBIICITVR 213.

OBIICITVR EX EODEM AD CALOsyrium. *Decebat ergo eum nostris vniri corporibus, quodammodo per sacram eius carnem, & preciosum eius sanguinem, quæ accipimus in benedictione viuificatiua in pane & vino. Si in pane & vino, non ergo aufertur panis & vinum per transubstantiationem.* *Cyrillus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

IN pane & vino accipimus, quæ ex pane & vino nobis fiunt, quæ fieri orat ecclesia vt nobis fiant corpus & sanguis Christi. Quare iis locutionibus creaturæ significantur à nobis oblatæ vt consecrentur, & quæ nostra sunt & conditionis terrenæ offerentes, post consecrationem accipimus & haurimus iam effecta cœlestia, id est verum corpus & verum sanguinem Christi. Sed quoniam quod sequitur proximè, hanc sententiã in eodem Cyrillo Catholicam doctrinam manifestè confirmat: etiam illa adscribam. Sic enim habet: Ne quũ horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ quasi quoddam semen viuificatiuum inueniatur in nobis, vnde subdit. Hoc facite in meam commemorationem. Hæc Cyrillus, qui veritatẽ præ-

ſentiæ corporis Chriſti aſſeuerat, non nudis verbis quæ cauillationibus impugnentur, ſed circunſtantiis additis quæ cauilla arcerent, præſertim eorum qui præparationem myſterij nullam volunt, aut vllum in eius conſtitutione miraculum, ſed in recipiente. At enim Cyrillus primùm de altari loquitur, in quo caro & ſanguis apponerentur, quæ præ horrore non ferremus, & Deus inquit condeſcendens, influit oblatis vim vitæ. Ergo de ſpeciebus oblatis loquitur, & iam ibi eſt in altari vis vitæ. Vnde Auguſtinus dicit nos de menſa ſumere vitam. Et alibi, manduca vitam. Et ſubdit Cyrillus conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ quaſi quoddam ſemen viuificatiuũ inueniatur in nobis. Conuertãtur elementa terrena, vt illis iam per conuerſionem in veritatem carnis Chriſti cœleſtibus effectis, (quod eccleſia ſic effert ſubſtantiis mutatis, hoc eſt pane & vino tranſubſtantiatis) nos ſub illis ſpeciebus acciperemus verum corpus & verum ſanguinem Chriſti, quod alioqui præ horrore non poſſemus. Quòd ſi manducare nihil aliud eſſet quàm credere, & fide apprehendere, ridiculè loqueretur Cyrillus de horrore, nã ſanguinis & mortis Chriſti ſuauis eſt fideli recordatio. Sed quia corpus & ſanguinem in os admittimus, & ita ſe vult Chriſtus manducari & bibi: Ideo ne quis horror eſſet, ſpecies elementorum, manducationi ſubſeruiunt. Quòd ſi quis ſcrupulus à rei difficultate iniectus obturbet, Audies quid dicat eodem in loco idem Cyrillus, vt ne à commenticiis figuris ſubſidia quæras, quod quidam faciunt, ſed fidem retineas catholicam inconcuſſam, ipſius Cyrilli teſtimonio ſubleuatus, qui ſic loquitur: Non dubites an hoc verũ ſit, eo manifeſtè dicente, Hoc eſt corpus meum: ſed potius ſuſcipe verba ſaluatoris in fide, quum enim ſit veritas, non mentitur. Inſaniunt igitur dicentes myſticã benedictionem à ſanctificatione ceſſare, ſi quæ reliquiæ eius remanſerint in diem ſubſequentem. Non enim mutabitur ſacroſanctum corpus Chriſti, ſed virtus benedictionis & viuificatiua gratia iugis in eo eſt. Virtus enim viuificatiua Dei patris, vnigenitum verbum eſt, quod caro factũ eſt, non deſinens eſſe verbum, ſed efficiens carnẽ viuificatiuam. Hactenus Cyrillus, qui non loquitur vt figuratores, panẽ eſſe figuram corporis: Imò Chriſtum ait manifeſtè dicere, hoc eſt corpus meum, adeò omnem tropi nebulam fugat Cyrillus, & dicit verba Chriſti manifeſta eſſe, Hoc eſt

Auguſtin⁹ contra litt. Petill. li. 2. cap. 47. De verbis Apoſt. ſer. 2.

corpus,

corpus: quia veritas est, & non mentitur. Quare vt finiam, si hic argutator integrum hunc locum protulisset, ex vno Cyrillo locupletissimum testimonium fidei catholicæ edidisset, quam tamen argumentis molitur conuellere.

OBIICITVR 214.

OBIICITVR ITEM EX EODEM IBIdem cap. 12. *Quia caro Christi natura viuificans est, propterea participantes hæc caro viuificat, eiicit enim mortem ab eis, & interitũ penitus expellit. Hinc patet malos non comedere carnem Christi, qui hunc effectum non recipiunt.* Cyrillus.

RESPONDET CATHOL.

QVemadmodum Christus de seipso dixit, non potuisse se operari miracula propter incredulitatẽ eorum, non detrahens iis verbis quicquam potentiæ suæ, sed conuenientiam ostendit, secundũ quam operatur: ita caro Christi viuifica, quum à malis sumitur, non viuificat tamen propter incredulitatem sumentium. Vnde non probatur illos non sumpsisse, sed fuisse indignos qui sumerent, & incredulos. Si quod à medico pro pharmaco datur salutari, afferat exitiũ, non erit ab effectu pharmaci dati validum augmentum, dummodo quæ eius sit substantia, fide bona, testibus & certis testimoniis queat constare. Et quæ'nam sit Eucharistiæ substantia, ipsius veritatis habemus documentum, vt ne sit Christiano fas addubitare.

OBIICITVR 215.

OBIICITVR RVRSVS EX CYRILLO EOdem lib. 4. cap. 14. *Quod si solo tactu suo corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus qui carnem illam & gustamus & manducamus? Reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui. Ergo impij qui non viuunt, non manducant hanc carnem.* Cyrillus.

RESPONDET CATHOLICVS.

SOLO tactu sanabat Christus, sed dignos, vel saltem non indignos qui tangerẽtur. Iudæi tangebant Christum, & vulnera inferentes vulnerabantur illi, quoniam indignè tangebant per malitiam & crudelitatem, à quibus non multum

multum discrepant ad sacramenti communionem indignè accedentes, qui Christi sanguinem in mysterio verè præsentem, per contumeliam fundere & contaminare conantur. Cæterùm qui veram illam carnem (vt par est) tangunt, gustant, & manducant: assequuntur immortalitatem, quod Cyrillus hîc annotauit, non significans malos non tangere, sed propriam huius tactus virtutem exprimens, quæ nisi nostro vitio impediatur, nunquam fallit.

OBIICITVR 216.

Cyrillus. OBIICITVR QVOQVE EX EODEM IBIdem cap. 17. *Sicut si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est: ita si quis carnē & sanguinem domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Ex iis patet quòd mali non sumunt corpus Christi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

DE digna manducatione sentit Cyrillus, vbi probatum secundum Paulum, & excussum manducantis pectus, nihil habet rebelle & immũdum, quod istam commixtionem non auersetur & fugiat, omnino propellens quod sit salutare. In pectoribus enim cæreis, videlicet gratia Dei iam liquefactis & mollibus, fit quod in similitudine Cyrillus expresit. In Luteis verò pectoribus, quæ ad solem iustitiæ obdurescunt, non fit ista commixtio, quoniam hunc effectum luti natura non admittat. Quare qui dignè mãducat, coniunctionem istam sentit arctiorem, qui verò indignè, suo vitio arcetur longius, vt longè melius fuerat non manducasse.

OBIICITVR 217.

Cyrillus. OBIICITVR EX EODEM ETIAM, IBIdem cap. 24. *Credentibus discipulis, fragmenta panis dedit, dicens, Accipite, &c. Quid clarius dici potest contra transubstantiationem?*

RESPON-

RESPONDET CATHOLICVS.

Hoc isto in loco vnde hæc desumpta sunt, Cyrillus ostendit Christum manducationis suæ carnis modum, cuius iam doctrinā ediderat credētibus discipulis, nec id quærentibus aperuisse, quum panis fragmenta daret, dicens: Accipite, &c. Quibus verbis Cyrillus egregiè præter cæteros verā carnis Christi pręsentiam in sacramento confirmat, quatenus Christi doctrinam de vera carne manducanda cum Eucharistiæ institutione ita connectit, vt modum mādúcationis ad cœnam referat. At enim, inquis, simul statuit manere panem, nam fragmenta panis data dicit. Respondeo (quod est à me alibi sæpius dictum) priorē panis appellationē substantia mutata non interire, secundum quē appellationis modum, panis fragmenta conuenienter, nec absurdè in epistola Clementis fragmēta corporis dicuntur, in quibus Clementis verbis notatur fractionis mysteriū, sicut in istis Cyrilli, quod in terreno sacramenti elemento & signo sensibiliter agitur. Et quemadmodū ex illis verbis Clementis dum appellat fragmēta corporis, non probatur corporis Christi fractio, quā fidei nostrę regulæ non recipiūt: ita nec ex istis Cyrilli verbis dum fragmenta panis dicit, probatur substantiā panis verè subesse: quoniam id confiteri à doctrina catholica & vero intellectu verborū Christi dissentit, & in accidenti quantitatis quæ manet, posset ea fractio explicari, vt signum non signatū sensibiliter frangatur. *Clemens epist. 2.*

OBIICITVR 218.

OBIICITVR EX EODEM CYRILLO, SV- *per Ioan. lib. 6. cap. 14. Hîc animaduertendum, quòd etsi corporis sui præsentiā hinc subduxerit, maiestate tamē diuinitatis semper adest, sicut ipse à discipulis abiturus pollicetur: Ecce vobiscū sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Ergo cum corporis sui præsentiā hinc subduxerit, non est illa præsentia ponenda in sacramento.* *Cyrillus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ET hîc continuam Christi præsentiā tractat, quam in corpore cœlum habet, in natura diuinitatis etiam habemus nos vsque ad cōsummationem seculi, quibus nobis, quoniam in exequendis eius mandatis Christum adesse

credimus, vt promiſſa præſtet: illam in Euchariſtia ſpecialem corporis præſentiam, quum rogamus, quum petimus, etiam credimus fieri, non quomodo in cœlo eſt, vbi donec venturus eſt regnat, nec interim deſiturus ibi eſſe: ſed quomodo in ſacramento nobis adeſt, ad ſanctificationem noſtri, vtrobique quidem veritate pari, ſed in myſterio nobis, quod & hic Cyrillus alibi clarè confitetur.

OBIICITVR 219.

Cyrillus.

OBIICITVR ETIAM EX EODEM CYrillo, *lib. 9. ſuper Ioan. cap. 21. Paruo autem tempore, vnà cum diſcipulis ſe fore Chriſtus ait, non quia penitus ab eis receſſurus erat, nobiſcum enim eſt ſemper vſque in conſummationem ſeculi, ſed quia non erat cum eis ſicut prius conuicturus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVOD hîc Cyrillus exprimit (non ſicut prius conuicturus) paucis verbis aperit, quod iſtis reſpondeatur quæ nobis de Chriſti à mundo abſentia obiiciuntur. In ſacramento enim quum adeſt præſentia corporis Chriſti, non adeſt tamen Chriſtus (vt prius conuicturus) imò inuiſibiliter adeſt, arcano modo, vt habeat in quo ſe noſtra exerceat fides, quum ſenſus interim corporei nihil intelligant.

OBIICITVR 220.

Auguſtinus.

OIICITVR EX AVGVSTINO SVPER *Pſal. 89. Non hoc corpus quod videtis comeſturi eſtis, nec bibituri hi ſanguinem, quem ſunt effuſuri. Myſterium eſt quod vobis dico, quod ſpiritualiter intelligatur, viuificabit.*

RESPONDET CATHOL.

EODEM in loco habet Auguſtinus, Chriſtum carnem quam aſſumpſit ex virgine, dediſſe manducandam, vnde veritas rei datæ in ſacramento, manifeſtè conſtat ex Auguſtino, qui tamen vt carnales Capernaitarum cogitationes à fidelium pectoribus auerteret, iis verbis facit Chriſtum loquentem, Non hoc corpus quod vi-

detis

tis comesturi estis, nec bibituri hũc sanguinem, quem effusuri sunt. Et rectè hæc Augustinus, nam quod videbant, natura erat corruptibile, caro videlicet, quæ carnaliter intellecta nihil prodesset, quẽadmodum idem Christus dixit, Caro non prodest quicquam. Ergo (vt Hieronymus ait) diuinam & spiritualem carnem dedit Christus manducandam, diuersam ab ea quæ crucifixa est, quemadmodum loquitur Augustinus, Non hoc corpus quod videtis comesturi estis, nec sanguinem quẽ effusuri sunt. Et quum ita loquitur Augustinus, non hoc corpus quod videtis comesturi estis: ánnon ipsa locutionis phrasi significat corpus Christi verè dari comedendum: sed non hoc quod videtur dari? Eam enim vim & emphasim habẽt illa verba, (Non hoc corpus quod videtis) vt insinuẽt, aliud corpus quod nõ videtis, comesturi estis. Nam vbi nullum corpus datur comedendum, ridiculè dicitur, (Noc hoc quod videtis) vt rẽ non subsistẽtem conetur distinguere, quomodo maritus qui quum vxorẽ à se sine causa segregasset, iactabat se aliquot annos vxori nullum verbum fecisse durius, nunquã illam allocutum asperius, non illã seuerius aspexisse, néve per iniuriã digito attigisse, quum interim nõ vidisset omnino, vt posset quicquã alloqui. Non ita cauillatur verbis Augustinus, sed seriò loquitur in re maximè seria, & dum corpus quod videtur, non dari comedendum dicit: aliud, id est, qualitate diuersum corpus dari, omnino fatetur. Iam verò quum sit illud absurdissimũ de Augustino cogitare, vt gemina Christi corpora fuisse significet: illud aliud corpus Christi quod datur comedendũ, substantia vnũ cum hoc quod videtur, credamus, licet propter alias qualitates potest dici aliud, quod & in Christi corpore idem Augustinus (quomodo fertur illũ scripsisse) aliàs annotauit iis verbis, ipsum & non ipsum. quãuis dicuntur hæc verba, (ipsum & non ipsum) esse cuiusdam Iuonis Carnotensis in epistola ad Haimericũ Abbatem, hunc locum Augustini ita explicãtis. Quòd si sensisset Augustinus Eucharistiæ mysterium ex pane triticeo, & corporis Christi figura constare: quomodo isti figuratores contendunt: ita fecisset loquentem Christum, Non meum corpus comedetis, sed signum corporis, quia solam figuram corporis vobis commendaui, sed quemadmodum signum & figura naturali alimento reficiunt corpus: ita ego mei corporis virtute reficiam vos. Non deerat Augustino ser-

monis copia, & aderat illi voluntas explicandi veritatem ad ędificationem, non verbis illis ludendi, quæ gignant errorem, & hoc loco sedatus expendit mysterium, nec certat argumentis, vt contentione vincat, sed commentando id agit, vt dogma explicet, & in ipso mysterio aperiendo versatur. Vnde quum quasi ex ore Christi hæc verba nobis edat Augustinus, (Non hoc corpus quod videtis, comesturi estis) veritatem corporis dati manifestè docet fidelibus intelligendam, qui ex fide norint mysterium esse, quod sui natura, sola fide, quam suggerit spiritus, queat intelligi, & sic spiritualiter intellectum viuificabit. Nam caro quam in sacramento Christus dat, verè est viuifica, & dignè suscipientes sanctificatione donat & vita. Hoc in loco Augustinus & loquitur nobis, & seipsum audiuit loquentem, quum nihil aliud haberet propositum in quod intenderet, enucleauit videlicet mysterium Eucharistiæ semota contentione, in qua ἀκρίβειαν negligeret, & tradito dogmate, quod est apertè explicandum, quod dogmatis edendi & contentionis discrimen in dictis Patrum intelligendis, est maximè considerandum, & in hoc eodem Augustino, vt postea dicemus.

OBIICITVR 221.

Augustinus. OBIICITVR EX EODEM, DE TRINITATE *libro tertio, cap. 10. Panis ad hoc factus, in sacramento accipiendo consumitur. His verbis apertè dicit panem Eucharistiæ nostræ ad hoc esse factum, vt in accipiendo sacramento absumatur. Corpus autem Christi non absumitur.*

RESPONDET CATHOLICVS.

HIC locus ambiguus est, nam & docti nō defuerunt, qui contenderent ad Eucharistiam nihil quicquā attinere, deinde cōmoda interpretatione adhibita, sensu hæc cōsentiunt cum catholica veritate. Nam vt panis substantia in conficiendo mysterio, mirabili mutatione desinit in meliorem, sic quicquid est illud quod superest, accipiendo sacramēto consumitur. At dices, Augustinus dicit panem consumi. Hîc, inquam, quid aliud quàm vrges appellationem, quæ non

non ſemper exigit ſubſiſtentiam rei? Et quæ eſt hæc tandem iniquitas, quaſi ſummo verborum iure exigendo, recepto in eccleſia conſenſui inferre iniuriam? Tum autem cæcum producere qui viam monſtret? quod eſt locum obſcurum proferre in argumentum.

OBIICITVR 222.

OBIICITVR EX EODEM, LIBRO DE FI- *de ad Petrum, cap. 19. appellat ſacramentum panis & vini. De memoria Chriſti & mortis eius, abundè eundem Petrum in fide inſtituit, huius verò tranſubſtantiationis nec vllum verbum facit, quam iſti hodie tantopere vrgent.* *Auguſt.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVòd ſacramentum dixit panis & vini, verbo notauit arcanum, quod non putauit apertiùs explicandum, occaſionem quærendi dedit, quum ſacramentum diceret panis & vini. Nam quatenus panis & vinum habeant aliquid in ſe arcani, ipſa ſit oportet tranſubſtantiatio, ſecundum quã manentibus accidentibus ſubſtantia eſſe deſiit, nam noua ſignificatio addita non dicitur propriè ineſſe pani, ſed exterius accedere. Atque hæc ita tracto, vt oſtendam, quid ſit verba vrgere, ſi quis in ſyllabis hæreat. Scio rectè dici, ſacramentum panis & vini, quòd panis & vinum ad conficiendum myſterium adhibẽtur. Nam alioqui ſecundum Auguſtinũ, ipſum myſterium eſt propriè corporis & ſanguinis. Multi dubitant, an quod inſcribitur de fide ad Petrum, ſit Auguſtini? & hoc nobis perſuadeamus nihil eſſe catholicum, quod in eo opere ad verbum non exprimatur. Atque hoc adeò, quum à negatione ſit infirmiſsimum argumentandi genus.

OBIICITVR 223.

OBIICITVR EX EODEM CONRA FAV- *ſtum, lib. 20. cap. 21. Ait carnem & ſanguinem Chriſti victimarum ſimilitudine, fuiſſe nobis in veteri teſtamento promiſſam, in cruce reipſa exhibitam, ſed in ſacramento per memoriam celebrari.* *Auguſt.*

RESPONDET CATHOLICVS.

SEnsus est verborum, cùm trucidarētur victimæ, promissio quædam fuit, carnē & sanguinem Christi similem olim diuisionē passuram, videlicet in morte Christi. Ipsa autē diuisio sanguinis à carne, in cruce reipsa peracta fuit, quum pro nobis pateretur. Ipsa deinde diuisio & mors in sacramēto per memoriam celebratur, quoniam ibi suis speciebus ad mortis domini annuntiationem celebrandam ipso Christo authore exhibentur. Adeò iis verbis Augustini videtur ipsa rerum veritas in mysterio exhiberi. Nam quod dicit, reipsa in cruce: ipsam mortem cum sanguinis effusione significat, quæ est reipsa diuisio, id est carnis à sanguine separatio, quum in sacramento sub vtraque specie sit integer Christus, non carnem à sanguine diuisam habens, sed ad mortis memoriam, illis se speciebus separatim exhibens, quòd est sacramentum memorię, quomodo Christus dicebat, Hoc facite in meam commemorationem.

OBIICITVR 224.

August.

OBIICITVR ETIAM EX EODEM XXI. *de ciuitate Dei, cap. 25. Non est existimandus (inquit) reuera comedere corpus Christi, qui non est in corpore Christi, & in quo Christus non manet, neque ipse manet in eo. Hîc apertè asserit impios rem sacramenti, id est corpus Christi non comedere.*

RESPONDET CATHOLICVS.

August. de verbis do. ser. 11.

ALiud est manducare reuera corpus, quod mali faciunt, quum ipsum accipiunt sacramentum, aliud est reuera manducare corpus, quod soli boni faciunt, qui modo illo manducant quem exigit Augustinus, quum dicit esse quendam manducandi modum, secundum quem qui manducat, manducat vitam, quod est manducare in spiritu & veritate, vt in nobis sit veritas, quę manducet veritatem in sacramēto datam, nimirum corporis. Adeò (reuera) in Augustino non determinat veritatem manducati corporis, sed ipsius manducātis, qui nisi verè manducet verum corpus, non vitam manducat, sed mortem & condemnationem.

Obiici-

OBIICITVR 225.

OBIICITVR EX EODEM CONTRA ADI- *mantum Manichæum.cap.13. Non dubitauit dominus dicere, Hoc est corpus meum, quum tamen daret signum corporis sui. Idcirco, inquit, nõ dubitauit dominus, quia in tropis aliquid audemus.* *August.*

RESPONDET CATHOLICVS.

AVgustinus in agone & certamine loquitur, confutans Manichæos, quibus veluti incredulitatem exprobrat, ꝙ vetus reiecerint instrumentum, captantes in verbis calumnias, ne id sine causa fecisse viderẽtur, & maximè in illis, (Sanguis est anima,) quæ verba si quis candidè interpretetur, non hoc significant, sanguinem esse animam: sed in sanguine latere animam, vt quasi signum animæ sanguis sit, & quia quasi in signo animam indicat: animæ etiam appellationem mereatur. Christus verò quum rem visibilem manibus in manus daret, quod quatenus visibile esset, nihil aliud corporis sui quod dabat, præter signum esset, non dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, videlicet quoniam fidelibus loquebatur, qui non in eo quod visibiliter daretur oculis, hęrerent: sed ad vim verborum hauriendam, aures arrigerẽt, vt per fidem intelligerent, nõ visibile signum quod daretur esse corpus: sed quod inuisibiliter adesse crederent. Itaque Christi locutio, quæ carnalibus tropica esset, dum in visibilibus hærerent: spiritualibus esset propria, qui veritatem verborum non in sensibus suis, sed in fide loquentis quærerent. Augustinus ergo contra Manichæos illa verba Christi in argumentum protulit, quo sensu possent sine veri præiudicio ad contentionem firmandam valere, non quomodo fidelibus pro dogmate enodaret, verum est illud, quod dabat Christus visibiliter, fuisse corporis signum, & corporis per tropum recipit appellationem: sed quod inuisibiliter dedit, verum corpus erat, quod suscepit ex virgine, quod pro nobis tradebatur. Et illud mihi vide lector, Chrysostomus, dum populum docet, dicit Christum nihil dare sensibile, non quòd nihil sint accidẽtia, sed quæ fidei sunt tractat, & quod in mysterio agitur, vt credant auditores exigit, his verbis nixi, (hoc est corpus meũ) simul docens, nõ de signo sensibili prędicari corpus: sed de vero corpore, quod suis manibus porrexit Christus, *Chryso. in Mat. ho. 83*

stus,

stus. Atque hæc ille in dogmate, quum Augustinus in contentione in eo insistat, Christum dedisse signum corporis, quod & verũ est, & tamẽ in eo nõ conclusit appellationẽ sui corporis Christus, sed de ipso vero corpore suo, nõ quomodo videbant, sed in mysterio dato, quod sub illis speciebus in manibus secundum eundem Augustinũ gestauit, prædicabat iis verbis, (hoc est corpus meum.) Ergo magno in dictis patrum perpendendis iudicio scripsit Basilius, aliud à Patribus ἀγωνιστικῶς, aliud δογματικῶς dici, vt quum de dogmatis veritate excutienda agatur, quæ ἀγωνιστικῶς dicta sint, non proferantur. Et tamen illa verba Augustini, (non dubitauit dominus) non notant domini audaciam, (quod hic argutator colligit) in tropis liberius loquendi: sed fidelibus confidentius tradendi mysterium, quod infideles (quales erant Manichæi) essent facilius calumniaturi, quàm credituri.

OBIICITVR 226.

August. OBIICITVR ITEM EX AVGVSTINO, Illud de doctrina christiana, lib. 3. cap. 16. figuratam esse locutionẽ, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & quæ sequuntur, quia flagitium videtur præcipi.

RESPONDET CATHOLICVS.

MYsteriorũ ignaris figurata est locutio, sed fideles norunt, quibus credẽtibus Christus aperuit modum, vt nihil prohibeat eandem locutionem fidelibus & spiritualibus esse propriã, quæ tamen infidelibus & carnalibus sit figurata, quorum iudicio videatur continere flagitium. Sit igitur eatenus etiam figura, præcipiens vt meditemur Christum crucifixum, & etiam Christo compatiamur, vt cõregnemus, vt qui Christo communicauerimus in humilitate, eidem olim communicemus in gloria. Sed illud notandum, quod nos minus pręstamus officio nostro, id Christum beneficio suo supplere in sacramentis. Et quemadmodum Christi mors nostra est per baptismum: sic omnes Christi pasiones communicantur nobis per Eucharistiam, siquidem dignè perceperimus, vt summã inde fiduciam de gloria assequenda concipiamus, quos tam arcta coniunctione dignatus sit Christus, vt pasiones, quibus meruit in carne gloriam, data

data ipſa ſua carne nobis communicaret, quod Gregorius Nazianzenus iis verbis expreſsit, καὶ τὰς χεῖρας ἀφαγνίζεται, τῆς ἀναιμάκτου θυσίας ἀποκαθαίρων δι' ἧς ἡμεῖς Χριστῷ κοινωνοῦμεν καὶ τῶν παθημάτων καὶ τῆς θεότητος. quã virtutem Euchariſtiæ inſinuat Auguſtinus in illo loco de doctrina in fine, vbi loquitur de cõmunicando paſsionibus, quod dupliciter fit, meditatione & officio noſtro, quũ occaſio dederit: & perceptione ſacramenti, beneficio Chriſti, quod eſt omniũ noſtrorũ defectuũ iuſtũ ſupplementũ, quũ ſit pro nobis factus iuſtitia & ſanctificatio.

OBIICITVR 227.

OBIICITVR EX EODEM ILLVD IN E- *piſtola ad Bonifacium, vbi apertè dicit ſacramenta nomen habere earũ rerum, quarum ſacramenta eſſent: & nominatim expreſsit ſacramentũ corporis Chriſti, eſſe corpus Chriſti quodammodo.* *Auguſt.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVoniam rem continent vel exhibent ſacramenta, meritò ſibi nomen vſurparunt, nam & calicem domini bibere dicimus: quoniam bibitur quod in calice cõtinetur. Quod autem dicat Auguſtinus, Sacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſſe quodammodo: illa adiectione inſigniuit à cæteris exemplis, quòd veritas ibi adſit ſingulari modo, quem aliàs explicat idem Auguſtinus, id eſt, non vt videatur, quia non hoc corpus quod videtis &c. ſed ſpirituali modo, non ſenſibus expoſito, nec illo manifeſto modo, quomodo in cœlo contemplabimur. Nugantur planè qui diuerſam ſacramentorum rationem ad vnam normã exigunt, nec rerum ſacraméti conditiones diſtinguunt. Baptiſmus exhibet fidem, ſed vario modo, paruulis infundit, adultis auget, & vtriſque eccleſiæ fidem communicat, atque ideo dicitur ſacramentum fidei. Euchariſtia exhibet corpus & ſanguinem Chriſti quod verè adeſſe & dari, ipſe Chriſtus teſtatur. Quo loco hæc tractat Auguſtinus, exempla admiſcet diuerſę rationis. Nam quum Chriſtum hodie reſurrexiſſe dicimus, quia res quæ in præteritum abiit, reuocari non poteſt, quod vnum adeſt, hoc eſt, recordatio rei præteritæ pro re præſenti accipitur. Sed Chriſtus qui eſt heri, hodie, ſempérque futurus, qui vitam præſentem hodie nominat, iuxta illud: (Ho-

die si vocem eius audieritis,) non vt præteritum quid aut futurum, est præsens in sacramento, sed hodie est, vnde tãquam à re verè præsenti, sacramentum ab eius corpore nomen habet.

OBIICITVR 228.

August. OBIICITVR EX EODEM HOMI. XXVI. *& habetur de consecratione dist.2.cap.(Interrogo vos.) Eiusdem negligentiæ peccatum ait esse, sinere verbum quod prædicatur animis nostris excidere, & partem sacramenti in terram cadere. Quod si daretur hæc transubstantiatio parum conueniret. Longè enim videretur absurdius, ipsum Christi corpus cadere aut conculcari, quàm aliquam partem verborum sacrorum audire parum attentè.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NEgligenter sanè expendit hunc locum, qui inde protraxit hoc argumentum, nec vidit tanti æstimari sacramentum, vt omnibus in confesso esset, partem eius in terram cadere, negligentiam tractantis magnã arguere, quam expiandam crederent, à qua negligẽtia sumitur exemplum, cui conferatur ea, quæ verbum dei ab animis permittit excidere, & quid nobis preciosius verbo dei? Quòd si quis sic loquatur, Eiusdem est negligentiæ, præceptorem contemnere, & parentem: Annon parentem, ad cuius exemplum non contemnendum præceptorem dicit, nihilominus præfert, à quo tanquã re explorata & certa ducit veluti argumentum? Et qui sic loquitur, Eiusdem est sceleris, sacramentum indignè accipere, & Christum in crucem tollere, & lancea eius latus, vt sanguis effluat, perforare: annon à crimine certo & omnibus odioso petit exemplum, vt ab hoc deterreat quod negligatur? vel quia æquatur negligentia, necesse sit res ipsas omnino adæquare? Eiusdem est negligentiæ nauem palea onustam & auro, per desidiam amittere, quum rerum amissarũ æstimatio sit longè impar.

Obiici-

OBIICITVR 229.

OBIICITVR ITEM EX EODEM ILLVD *in Psalm. 3. Christum adhibuisse conuiuio Iudam, cùm figuram corporis sui commendauit.* *August.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Figuram commẽdauit propter rem, hoc est corpus, quod simul dedit, quod ipsum sic in mysterio exhibitum, quoniam refricat nobis memoriã sui ipsius in cruce pendentis, in hoc videlicet datũ, vt mors Christi annuntietur, rectè illas appellationes admittit, vt sui ipsius signũ & figura dicatur. Quod tamen non ad eam signi, figuræ & sacramenti diffinitionem dicitur, quomodo peculiari modo in sacramentis intelliguntur, quę visibilem speciẽ habent, vt sint inuisibiliũ notæ, sed quomodo generaliter nos admonent absentiũ rerum, & quum abierint in præteritum, in præsens non reuocentur. Vt Christus semel quidem mortuus est, & reuixit, amplius non moriturus, iam quoties corpus eius in mysterio cernimus, redit illo signo in memoriã mors præterita, quũ oculis fidei eum videamus qui pro nobis sit crucifixus, & hoc signũ quoniam adest, nõ potest nõ esse notius & illustrius ipsa morte quæ iam præteriit, quam subiit idem Christus pendens in ligno. Quod quũ adnotassent patres, non sunt veriti dicere, Christũ suiipsius signũ & figurã, in sacramento videlicet, quoniã inuisibiliter adest, suiipsius mortui memoriã in nobis qui credimus excitaturũ.

OBIICITVR 230.

OBIICITVR QVOQVE EX AVGVSTINO *illud in Ioan. tractatu. 30. & habetur de consecratione dist. 2. Prima quidem. Sursum est dominus, sed etiam hic est veritas dominus. Corpus enim domini in quo resurrexit, vno loco esse oportet, veritas enim vbique diffusa est.* *August.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Nihil attingit Eucharistiam, sed confert Augustinus cum Christi corporali præsentia, eiusdem Christi prædicatam veritatem, quam simul cum Christi corpore humano, non est quòd in cœlum à nobis ereptã credamus. Nam

quum sursum sit dominus, hic est veritas dominus. Et potest (inquit) corpus vno loco contineri, veritas vbique diffusa est, nam exemplaria castigatiora, potest, habent, non (oportet). Et tamen verbum (oportet) ad hunc ferè sensum, quum diceret in actis diuus Petrus (Oportet tenere cœlum) nõ necessitatem significat, secundùm quam Christus veluti alligetur tanquam in angulo, vt quidam scribit: sed ordinem quendam notat consilij diuini, cuius horas & momenta non est nostrum nosse, vt quia vsque ad iudicij diem Christus in cœlo sit futurus, non posset quoties illi visum erit, salua illa veritate, se nobis exhibere. Christus summa voluntate passus est, & tamen aperiens scripturas euntibus in Emaus, ita loquitur, Oportuit Christum pati. Sed quod hîc loquitur, non pertinet ad causam sacramenti, quum nec cœlum, eius præsentiæ causa relinquere Christum dicimus, nec in sacramento vt in loco esse.

Luc.24.

OBIICITVR 231.

August. OBIICITVR QVOQVE EX EODEM SVper *Ioan.tractatu 50. Nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam suam, secundum ineffabilem & inuisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, secundum carnem verò, quam verbum assumpsit, secundum id quod de virgine natus est, secundum id quod à Iudæis comprehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis inuolutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me vobiscum. Quare, quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam, quadraginta diebus, cum discipulis suis, & eis deducentibus, videndo, non autem sequendo, ascendit in cœlum, & non est hîc, non enim recessit præsentia maiestatis. Aliter secundum præsentiam maiestatis semper habemus Christum. Secundum præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis, Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus, modò fide tenet, oculis non videt.*

RESPONDET CATHOLICVS.

SI præsentia carnis Christi in Sacramento secundũ carnem esset, carnalis præsentiæ modo videretur, quod hîc scribitur aduersari Eucharistiæ veritati. Nunc autem quum diuina caro detur spirituali modo, à carnali cogitatione prorsus semoto, mysterium est, quod hic tractatus in distinctione præsentiæ & absentiæ non attingit, quia licet in Eucharistia sit vera præsentia carnis, non est secundum præsentiam carnis carnali modo, sed spirituali.

OBIICITVR 232.

OBIICITVR ITEM EX EODEM ILLVD, *super episto. Ioannis ad finem. Dominus ergo noster Iesus Christus ideò ascendit in cœlum, die quadragesima commendauit corpus suum, quà habebat iacere, quia vidit multos honoraturos se, quia ascendit in cœlum, & vidit quia honor ipsorum inutilis est, si conculcant membra eius in terra. Et ne quis erraret, & cùm adoraret caput in cœlo, calcaret pedes in terra, dixit vbi essent membra ipsius. Ascensurus enim dixit verba nouissima, post ipsa verba non est locutus in terra. Ascensurum caput in cœlum, commendauit membra in terra, & discessit. Iam non inuenis Christum loqui in terra. Inuenis eum loqui, sed in cœlo, & de ipso cœlo, quare? quia membra calcabantur in terra. Persecutori enim Paulo dixit desuper, Saule, Saule, quid me persequeris? Ascendi in cœlum, sed adhuc in terra iaceo. Hîc ad dexteram patris sedeo, vbi adhuc esurio, sitio, peregrinus sum. Quomodo ergo corpus commendauit in terra ascensurus? cùm interrogarent illum discipuli, Domine, si hoc in tempore præsentaberis, & quando regnum Israëlis? Respondit iturus, Non est vestrûm, tempus scire, quod pater posuit in potestate sua. Sed accipietis virtutem spiritus sancti superuenientem in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem. Videte quà diffundat corpus suum, videte vbi se calcari non vult. Eritis mihi testes in Hierusalem, & totam Iudæam & Samariam, vsque in totam terram. Ecce quà iaceo, qui ascendo, ascendo enim quia caput sum, iacet adhuc corpus meum, quà iacet? per totam terram.* *Augustinus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

ISTA explicant quid de carnis suæ præsentia perpetua Christus velit intelligi, cui addit, in quibus exigit sibi officia perpetuò exhiberi. Christus semper cum suo corpore in cœlo semper regnat, In pauperibus, quos semper habemus nos, & quos tanquam corpus suum ille habet, nunquam desinit expectare nostra beneficia. Atque hæc quum perpetuam causam habeant, vna tractatione rectè explicantur. Præsentia verò in Eucharistia, interpolationem habet, ac tũ demum fit, quum à nobis petitur, & ad victũ fit certum manducationis, tum in mysterio fit speciali & mirabili conditione, longè diuersa ab iis quæ tractantur præsentiis, vt præteritam silentio esse nihil sit mirum, quum nihil eorum quæ dicuntur illi aduersetur, sed manifestè consentiunt. Esse enim in cœlo, & simul esse in sacramento, optimè consistunt, & omnipotenti Deo non impossibilia.

OBIICITVR 233.

Augustin. OBIICITVR ETIAM EX EODEM AVgustino, ex sententiis Prosperi. *Nam qui discordat à Christo, nec panem eius manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.*

RESPONDET CATHOLICVS.

HAEC verba Augustini apertè docent, malos idem quod boni sumere, licet forte inæquali & exitu diuerso, & hoc notat verbũ (indifferenter) quod est, nullo à reliquis discrimine, quod ad sacramentalem manducationem attinet, deinde illa verba (tantæ rei sacramentum) significant mysterium tantam rem continens. Quin & illud vide, negat Augustinus discordantem à Christo manducare panem eius, quo verbo (panis) si Augustinus sentiat triticeum illum, qui in sacramento figura est corporis inuisibiliter præsentis: discordans iam nihil accipit omnino, quod ne iste quidem qui hæc profert, diceret. Sin per panẽ intelligat verum Christi corpus, quod reuera facit: videãt isti argutatores, quàm infirma sint omnia illa eorum argumenta, ex locutionibus Patrum, quum legunt apud eos, panem esse corpus Christi, quum

ſti, quum Auguſtinus hoc in loco panem pro vero Chriſti corpore accipiat, non pro figura corporis, quem panem dicit diſcordantem non accipere, quòd fructum & effectũ eius proprium ſuo vitio non aſſequitur, quemadmodum audientes verbum Dei dicuntur non audire, quòd ſine fructu audiant.

OBIICITVR 234.

OBIICITVR EX EODEM AVGVSTINO *illud ad Dardanum. Tolle ſpatia corporibus & nuſquam erunt: quæ autem nuſquam ſunt, nec erunt: ſic, dum tollitis ſpatium & dimenſiones corporis Chriſti in ſacramento, efficitis vt non ſit ibi corpus omnino.* *Auguſtinus.*

RESPONDET CATHOL.

EXplicat Auguſtinus naturam corporis, quæ locum adiunctum neceſſariò exigit, quatenus ex ſuæ naturæ finibus æſtimetur. Sed illud agitur, num credendum ſit Chriſto Deo, de corpore ſuo aſſerenti, quod à loci ratione ſit alienum? veluti quum diceret, Hoc eſt corpus meũ. An agam cum eo, quaſi ad exhibendum, quia locus abſit, qui ſit corpori cognatus? & ſine quo per naturam corpus non ſit? Reſponderet, opinor, pro Chriſto Catholicus, Chriſtum non ſecundum naturam dicere, ſed ſecundum gratiam. Quid dimenſiones & locũ quærimus, quæ ſenſus percipiant, quum agatur quod ſit perceptibile ſola fide, & ab eo agatur, cui omnis poteſtas eſt data in cœlo & in terra? Quod autem reſpondet Catholicus fieri per gratiam, nõ minuit veritatem rei datæ, ſed diſtinguit modum, & eo verbo (gratia) vſus eſt Ambroſius, & data opera illa loquendi forma ſum vſus, vt addita explicatione præciderem calumniam. Sed vt cum hoc diſputatore pedem conferam, agat ſi quid habet hac de re quærelæ, cum ipſo Chriſto, qui corpus ſuum in myſterio ita dedit, vt de loco & dimẽſionibus nihil adderet, cur illa ſimul aſſerere audeamus. Nã illę negationes noſtrę de loco & dimenſionibus, non ſunt priuationis aut imminutionis, ſed à myſterij inueſtigatione, ſenſuum & carnalis iudicij auerſiones, quum myſterium ſciamus non eſſe locum, & dimenſiones à nobis æſtimandas non exhiberi, quod eſſet modo exhiberi naturali.

OBIICI-

OBIICITVR 235.

Augustinus. OBIICITVR EX AVGVSTINO ILLVD, IN *Ionn. tractatu. 59. Illi manducabant panem dominum, ille (id est Iudas) panem domini contra Dominum, illi vitam, ille pœnam, Qui enim manducat indignè (ait Apostolus) iudicium sibi manducat.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVOD Augustinus significanter extulit, vt in eiusdem sacramenti perceptione, sumentium varietatem ostenderet: ab istis producitur in contentionem, ex minima immutatione verbi captata occasione cauillandi. Si Iudas non idē sumpsisset quod reliqui, frigida esset collatio. Ideò in Paulo, quum docet Corinthios, patres veteres paria Dei beneficia sensisse, & Deum se eundem exhibuisse omnibus: eos tamen suo vitio nō æqualiter beneficia excepisse, vt causam ipsi dederint, cur non in omnibus sit Deo beneplacitum, exaggeratur ea collatione eorum crimen qui ceciderunt, quemadmodum hic Iudas, qui idem sacramentum cum reliquis accipiens, non fuit idem cum illis, eo nomine sit multò magis detestandus. Nam vt Augustinus iis verbis doceret Christum, non idem dedisse Iudæ quod reliquis, quod si faceret, crimen Iudæ eleuaret & extenuaret, nulla ratio est, præsertim quum id ageret Augustinus, maximè apud populum Africanum, ne deficerent à Christo, quomodo Iudas fecit. Ergo sic loquitur Augustinus, Illi manducabant panem dominum, hoc est, ita manducabant, vt in cœlesti cibo dominum agnoscerent, & profiterentur moribus, adhærentes domino, & illum imitantes. Iudas verò manducauit panem domini, id est, cibum cœlestem, cuius substantia dominus est, sed quia non agnouit vt dominum, sed leuauit contra eum calcaneum suum: notat Augustinus effectum illius manducationis, exitium illi Iudæ fuisse, quia bono malè vsus est, & se domini professus est hostē, quod est esse contra dominum. Ergo Apostoli dominum manducantes, dominum secuti sunt ad gloriam, Iudas dominum manducans, à domino recessit ad condemnationem.

OBIICI-

OBIICITVR 236.

OBIICITVR PRAETEREA EX EODEM *Augustino, De verbis Apostoli, sermone secundo, Illud mãducare refici est, sed sic reficeris vt non deficiat vnde reficeris. Illud bibere, quid est mihi viuere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, & integra est vita, tunc autem hoc erit, id est, vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in sacramẽto visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Si illud bibere sit viuere, quando mali non viuunt, non ergo bibunt.* *Augustinus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVisquis hæc verba consideratè perpẽderit, intelliget Augustinum fidem de Eucharistia catholicam confirmare, & quod isti garruli moliuntur infirmare. Quatenus enim quod est in sacramento vitam dicit, quæ manducando non consumitur, diuinam Christi carnem & viuificam sentit dari manducandam, non figuram, quæ in Manna quum esset, vitam non dedit. Quatenus verò explicata substantia sacramenti pergit interpretari, quomodo vita affert mandu cãti vitam, & quid in nobis exigatur ostendit: declarat sentire se aliquos manducare vitam, sine fructu vitæ, & ideò quod generaliter dixerat, Manduca vitam, & habebis vitam, verum esse subdit, siquidem spiritualiter à nobis mãducetur, & ideò dicit, tunc autem hoc erit, id est, vita vnicuique erit, corpus & sanguis Christi: si quod &c. Quæ explicatio esset nugatoria, si corpus & sanguis Christi, à solis bonis perciperetur, in quibus absolutè verum est, vitam afferre vitam, & corpus & sanguinem Christi hausta & accepta, semper dare vitam, sed quia non quocunque modo, vt alibi Augustinus loquitur, nam est modus (inquit) mãducationis, secundum quem qui manducat, vitam assequitur, hic videlicet ille modus est, quem aperit, si spiritualiter id manducetur, quod est in ipsa veritate, in visibili sacramento sumpto. Notat hac locutionis forma Augustinus, sumi sub visibili specie quod spiritualiter mãducetur, ergo secundum eum, est sub visibili specie verum corpus Christi, quod dat vitam, & illud est veritas sacramẽti, in qua veritate vult manducationem spiritualiter expediri, vt integer homo, corpus & spiritus, integrum sa-

cramentum dignè excipiat, & toto sumpto, quod est in veritate manducet, spiritu Deo digno, explorata secundum Paulum & probata fideli conscientia, vt sic spiritualiter manducare possit. Quod videtur, secundum Hilarium, figura est, veritas autem quod interius in veritate creditur, atq; hoc ipsum est in veritate, quod exigit Augustinus, vt spiritualiter manducetur, quod ipsum si nō nisi spiritualiter mãducari posit, & à malis sub visibili specie non sumatur, quid est opus modum aliqua nota insignire, vbi vnus est tantùm modus explicandæ rei? Qui admonet vt hæc manducatio spiritualiter fiat, ostendit eandem non spiritualiter fieri posse.

OBIICITVR 237.

Augustinus. OBIICITVR ITEM EX EODEM, DE *verbis Apostoli, ser. 1. Audiuimus veracem Magistrum, diuinum redemptorem, humanum saluatorem, commendantem nobis precium nostrũ, sanguinem suũ, locutus est enim de corpore & sanguine suo, quod corpus dixit escam, sanguinem potum, sacramentum fidelium. Ecce vocat escam corpus suum, & potum sanguinem suum.*

RESPONDET CATHOLICVS.

IMitatus est, & expresit adeò Augustinus Christi phrasim, qui dixit, Caro mea verè est cibus, & sanguis verè potus. Quare credendum est eius escæ & potus qui in mysteriis sumitur, substantiam esse corporis & sanguinis Christi, iuxta mysterij modum, quem docet ecclesia, quod & Augustinus docet, dum dicit Christum commendasse precium nostrum, sanguinem suum, & præfatur, magistrum verum, diuinũ redemptorem, vt quia Deus sit, posit, & quia verus, facit quod verbis loquitur, vt appareat datum ipsum sanguinem, non figuram solam, aut signum, licet in signo, figura & sacramento.

OBIICITVR 238.

August. OBIICITVR ILLVD QVOQVE EX AVgustino, *Aliud videtur, aliud intelligitur, quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Ergo sensui datur panis & vinum, intellectui gratia & donum.*

RESPON-

RESPONDET CATHOLICVS.

QVOD hîc ait Augustinus, maximè consonat catholicæ veritati, quæ hanc distinctionem probat, & sequitur, vt licet sensus nostri in percipiendo sacramento adsint officio: nō adsunt tamen iudicio, nec sentiunt prorsus quod agatur, nā Christi præsentia non est sensibilis, sed intellectualis, hoc est, solo intellectu, fide illuminato, cognoscibilis (vt ita dicā.) Et Augustinus dicit, quod intelligitur, habere fructum, videlicet habere quod fructum cōferat. Hic verò argutator ita colligit, quasi soli intellectui exhibeatur donū, quum constet Christum, qui solo per fidē intellectu cognoscitur, totum reficere, & refocillare hominē digno esu huius sacramenti. Sed expendamus verba huius illationis, Ergo sensui, inquit, datur panis & vinū. Quid hic sibi vult? An quoniā solis oculis videtur, secundum Augustinum, intelligamus etiā oculis dari quod datur, aut solis oculis exhibitus putetur panis & vini vsus? Augustinus enim de alio sensu hîc non loquitur. Quid ergo? Ridiculè profectò infert hic argutator, dari sensui aut dari intellectui, quod totius hominis causa paratū, toti etiam exhibetur homini, ideo videlicet quia partim sensu, quid id sit datum, partim intellectu cognoscatur.

OBIICITVR 239.

OBIICITVR ETIAM EX EODEM, CON- *tra Maximinum, lib. 3. cap. 22. In sacramentis non quid sint, sed quid ostendant attenditur, quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia. Hîc vides patres non abhorrere, imò ponere significationem corporis in hoc sacramento.* *Augustinus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

AVgustinus enarrans verba Ioannis de aqua, sanguine & spiritu, quæ quoniam mysteriū Trinitatis nobis insinuāt, sacramenta vocat, quasi rerum sacrarū significatiua indicia, quomodo (sacramenti) verbū à plerisque vsurpatur, ita demum subdit, Hæc enim sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur, quoniā signa sunt rerum, aliud existentia, aliud significantia. Hæc Augustinus, cuius verba è suo loco mota, & artificis scelere ad calumniam aptata, vt negocium

Eucharistiæ facessant, impudenter citantur & proferuntur, veluti apud concionem populi ementita ψηφίσματα.

OBIICITVR 240.

Augustinus. OBIICITVR RVRSVS EX EODEM, DE *Trinitate lib.3.cap.4. Apostolus potuit significando prædicare dominum Iesum per linguam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis & sanguinis eius.*

RESPONDET CATHOLICVS.

REctè dicit Augustinus, aliter prædicari, significando per sacramentum corporis & sanguinis Iesum, vbi simul vera præsentia corporis adest, qui significatur. Neque enim hac pluriũ connumeratione quæ significẽt eadem, ista in significationis vi, æquat Augustinus, sed suũ cuique modum relinquit, quẽ Christus posuit, linguæ, epistolæ & sacramentorũ author. Adeò nihil habet hic locus, quod catholicæ doctrinæ aduersetur.

OBIICITVR 241.

Augustinus. OBIICITVR EX AVGVSTINO, DE CA*techizandis rudibus. De sacramento sanè quod accepit, signacula quidẽ rerum diuinarum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari.*

RESPONDET CATHOL.

HAEC verba consentiunt catholicæ fidei, quæ fatetur visibilia elementorum in sacramentis signa, esse signacula, figuras, symbola rerum diuinarum, nempe in Eucharistia diuinæ substãtiæ corporis & sanguinis Christi verè præsentis, & illam nos honorare honore diuino, quod est adorare, quod Augustinus hîc apertè dicit, & in commentariis super psalmos expresso (adorationis) verbo asserit. Cum sacramentariis verò illa est contentio, num quisquam patrum sola signa asserat in sacramento.

OBIICITVR 242.

August. OBIICITVR QVOQVE EX EODEM AV*gustino illud, de Ciuitate Dei, lib.10.cap.5. Sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij sacramentum, id est sacrum signum est.*

RESPON-

RESPONDET CATHOLICVS.

In hoc argumento manifesta vis est, sentit enim Augustinus, quod locus ipse indicat, sacrificia visibilia veteris legis, vmbras esse sacrificiorum legis nouę, adeò vt & illud apertè exprimat speciatim, signum sacrificij contriti cordis.

OBIICITVR 243.

OBIICITVR EX AVGVSTINO AD DARdanum, *vbi tractans veritatem naturæ humanæ in Christo, animæ Christi non tribuit esse in multis locis. Sed quum Christus descenderet ad inferos, ibi fuisse, non in cœlo.* *August.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Non ausus est Augustinus in re tanta quicquam asserere citra scripturæ testimonium, nedum contra receptam ab ecclesia fidem, aut quod illam posset quoquo modo impetere. Christi ad inferos descensus inter fidei articulos numerabatur, vbi anima Christi, secundum scripturas, tum esse definiebatur, ita defendit Augustinus esse, sed quin alibi, tum & in cœlo esse potuisset, si de anima sua Christus tum in cœlo futura prædixisset, quemadmodum in mysterio de corpore dixit: non ausus etiã fuisset Augustinus verbo Christi se opponere. Itaque hoc nihil attingit causam de naturæ conditione tum disserere, quum quæritur de omnipotentia verbi, & diuinæ virtutis facultate.

OBIICITVR 244.

OBIICITVR ITEM ILLVD EX EODEM, *in Ioan. tractatu 25. Quid paras ventrẽ & dẽtes? Crede & mãducasti.* *August.*

RESPONDET CATHOLICVS.

Non tractat hoc loco Eucharistiæ mysterium, quam Eucharistiam & de altari sumi, & ore excipi confitentur patres, & ipsa Christi verba (Accipite & manducate) corporis officium exigunt, sed animali homini & carnali, qui se putat defungi dentibus, & Eucharistiam tanquam reliquos cibos dentibus commoliturus accedit,

rectè dicat: Quid paras ventrem & dentes, quorum negocium non agitur, non enim comeditur ad saturitatem, sed ad sanctimoniam, in qua assequenda fidei sunt primæ & potissimæ partes, vel vnicæ potius, si cum officio corporis conferantur, quod nihil aliud quàm adest insensibili obsequio, quum fide gustetur dominus quàm sit suauis, etiamsi totus tandem homo sentiat refocillationem, quum spiritualis hæc esca spiritualiter manducetur. Christus dixit, Væ vobis qui decimatis mentam & rutā, non quòd hoc facerent, sed quòd in iis occupati, omitterent grauiora. Sic ad Eucharistiam accedentibus, siquidem in corpore ornando & parando studiosi, pectus & mentem, secundum Paulum, neglexerint excutere: rectè dicitur, Quid dentes paras & ventrem? crede & manducasti, ex verbi (manducare) præterito perfecto, dignam manducationis perfectionem indicans, quemadmodum simili locutionis figura dicitur, Si hæc & illa fecerimus, vicimus. Atque hæc dici possent, si Augustinus de sacramentali manducatione tractans, & Eucharistiæ communionem explicans, hæc dixisset. Nunc autem quum aliud ageret, nihil attingunt hæc verba quæstionem, & sunt quod est in prouerbio, οὐδὲν πρὸς ἔπος.

OBIICITVR 245.

Leo.

OBIICITVR EX LEONE, QVOD IN EPIstola ad Clerum & plebem Constantinopolitanam scribit, hanc distributionem mysticam esse, spiritualem alimoniam, & cœlestem virtutem nos hîc accipere, vt transeamus in carnem Christi, qui pro nobis carnē nostram accepit.

RESPONDET CATHOLICVS.

HIc Leo est, qui & sanctissimus & eruditissimus habitus est, qui de Eucharistia scripsit vt sequitur. In quibus isti ignorantiæ tenebris, in quo hactenus desidiæ torpore iacuêre, vt nec audita discerent, vel lectione cognoscerent, quod in ecclesia dei, in omnium ore, tā consonum est, vt nec ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis inter communis sacramenta fidei taceatur: quia in illa mystica distributione spiritalis alimoniæ hoc impartitur, vt accipientes virtutem cœlestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transea-

transeamus. Hactenus Leo, qui tam certam veritatis corporis & sanguinis Christi fidem, inter sacramenta communis fidei prædicat, vt illam nec ab infantium linguis dicat taceri, quasi omnibus innotesceret, sacramentum veritatis corporis & sanguinis Christi, inter sacramenta communis fidei numerari. Quod dicit spiritualem alimoniam, catholicissimè dicit, & dum effectum vnionis cum Christo non simpliciter vescentibus, sed virtutem cœlestis cibi accipientibus attribuit: ostendit sumi posse cœlestem cibũ sine virtute, quod in malis suo vitio fit, soli boni accipiunt cum virtute, hoc est, vitam manducãt. Distributio est ideo mystica, quoniam in mysterio cœlestis cibus datur, sed cibum dicit cœlestem, quæ est diuina & spiritualis caro. Quod verò nos dicit transire in carnem Christi: spiritualis alimoniæ vim notat, vt carni Christi coniungamur corpore nostro, effecto magis spirituali, vbi mutatio fit nostri, non substantiæ, sed qualitatum, vt frustrà hinc æstimetur mutatio creaturarum per transubstantiationem.

OBIICITVR 246.

OBIICITVR EX THEODORETO, DIALOgo 1. *In ipsa mysteriorum traditione, corpus panem vocauit, & sanguinem poculum. & paulo pòst: Symbola corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non equidem naturam ipsam transmutans, sed adiiciens gratiam naturæ. Similia habet dialogo 2.* *Theodoret.*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVAE scribit Theodoretus in his dialogis, etiamsi scopũ spectent à catholica fide haud alienum, minimè tamen digna videntur, quæ in libranda catholica doctrina aliquid obtineant momenti, quum sint per contentionẽ prolata ad confutandos hæreticos, quos vincere quoquomodo, nõ solet improbari, etiãsi minus ἀκριβῶς, quod dicatur, excussum fuerit, vnde illud apud Basilium ἀγωνιστικῶς dixit, Gregorius inquit non δογματικῶς. Quod & in hoc Theodoreto locum habeat, qui in secundo dialogo, hæretico concedit, Eucharistiam post consecrationem nunquam amplius ne nominari quidem panem. Vnde excipit tamẽ quòd dominus ipse appellauerit panem vitæ. In quo, etiamsi aliquo *Basilius epist. 64.*

sensu

ſenſu verũ dicit Theodoretus, ideo videlicet quòd Chriſtus in ſexto Ioannis, dum ſe panem vitæ diceret, de Euchariſtia ſenſerit, quomodo Patres interpretantur, vnde fit, vt propter veram Chriſti præſentiam in Euchariſtia, eadem panis vitæ appelletur: tamen hæc panis appellatio aliena eſt ab ea, quam ſentiebant hæretici, qui de veteri panis triticei appellatione agebant, & de illa quærebant, quibus reſpõdere quod dominus poſt conſecrationem appellauerit panem vitæ, nulla euangelia teſtantur, ſcripturæ nullæ, & quo loco Chriſtum illam tribuiſſe appellationem conſtat, non ibi de pane triticeo, ſed cibo cœleſti fuiſſe locutum apparet. Vnde intempeſtiuè illam appellationem exceperat Theodoretus, quæ id quod in illa contentione ſpectabatur, non attingit, nec Chriſtum de Euchariſtia poſt conſecrationem ita locutum poteſt oſtendi, niſi quatenus quum doceret mãducationem carnis ſuæ, illam eſſe panem vitæ, id eſt, cibum viuificũ poſſumus & debemus intelligere. Sed quia hæc appellatio panis in iis verbis (Panis vitæ) de pane materiali haud poteſt intelligi, non efficit vt ſimili ratione corpus Chriſti appelletur corpus, poſt glorificationem, niſi ſono vocabuli contenti rem ipſam negligamus. Nã ſi corpus Chriſti poſt glorificationem non eſt magis naturale corpus, quàm panis vitæ eſt materialis panis: vicerunt Eutichiani, & captus eſt ſuis retibus ipſe Theodoretus, qui ſimiliter vult Chriſti corpus dici corpus, quomodo Euchariſtia poſt conſecrationem dicitur panis vitæ. Sed abegit hæreticos Theodoretus, ſono vocis & authoritate ſua, ſi verum eſt illos iis dictis ceſsiſſe. Sin minus, turpiter ſuo iudicio lapſus eſt ipſe Theodoretus, qui putauit eſſe ſolidum quod reſponderet, quum ad id de quo agebatur, non pertineret omnino, excepto quod de ſono vocis & figura literarum conueniret. Sed ita profectò eſt, ſatis eſſe putauit auertere hæreticos quoquo modo, quod ipſam dialogi imminuit authoritatem, ne quid inde ſumatur, quod obiter ſit dictum ad dogmatis cuiuſcunque catholici improbationem. Quæ cenſura & in eo obtineat, quod idem Theodoretus de mutatione panis & vini philoſophatur, in quo non ſatis ſe explicat. Nam interrogatus ab hæretico cauſam mutationis nominũ, cur quod antea dicebatur panis, nunc dicatur corpus? Reſpondet primum quod eſt catholicum, videlicet inquit, vt per mutationem nominum, credamus tranſmutationi illi, quę facta eſt ex gratia. Et hoc

in

in loco verbum græcum, quod hîc redditur (trãſmutatio) eſt, μεταϐολὴ, quod ſignificat tranſmutationem rei. Ergo ſecundum hoc reſponſum intelligeretur dixiſſe Theodoretus, quod dicunt catholici panem ideo dici corpus, & deſinere appellari panis, quia eſt mutatio rei. Et poſtea tamen negat Theodoretus panem mutari ſubſtantia, & probat, quia palpatur & videtur vt ante conſecrationem, ex quibus verbis non ſubſtantiam ſenſiſſe videtur, quæ eſt interna natura, quæ nec palpatur nec videtur, ſed ipſam exteriorem ſubſiſtentiam, quæ miraculo durat, vt cum catholicis ſentiat, poſſet videri intellexiſſe. Imò (inquiet Sectarius) ſenſit mutationem ſacramentalem. Quid hoc eſt verbi (ſacramentalem) vt ſignificet modo, indicet, oſtendat, demonſtret, exhibeat, offerat, potenter, efficaciter corpus Chriſti, quod abſens ſit? Imò (inquam) Theodoretus de corpore præſenti loquitur, nam exigit adorationem, & quemadmodum corpori Chriſti accedebat immortalitas, incorruptibilitas, gloria & adoratio: ſimile quiddam de ſacramento per collationem ſimilitudinis videretur inſinuare, ſed non ſatis exactè hæc, ne corpus Chriſti pani accedere intelligamus ad inſtar qualitatis. Etſi hæreticus qui cũ diſputat Theodoretus, hîc replicaſſet, Ergo ſi ſimiliter hæc fiunt, iam accedet incorruptibilitas, vt quamuis ſpecies & figura panis retineatur incorruptibilis ſit, nam ita fit in corpore Chriſti: non effugiſſet Theodoretus in quam ſe iniecerat captionem, & in Scyllam incidiſſet, cupiens vitare Carybdem. Non enim audebat negare verbo, tranſmutationem panis, propter authoritatem eccleſiæ, nec audebat rurſus re concedere mutationem naturæ panis, ne ſignificaret illis hæreticis Chriſti naturam mutatam, quæ erat eorum hæreſis, ideóque mutationem quandam docere conatur in alteratione qualitatum, quam in corpore Chriſti aperit, cuiuſmodi in Euchariſticum panem haud poteſt competere. Ideóque hoc in loco planè fluctuat Theodoretus, & quemadmodum in appellatione panis, ſic etiam in mutatione, quod ad pugnam eſt commodum, dicit, & in vtroque ferè à cæteris prorſus diſſentit. Nam ſi verum de appellatione dicit Theodoretus, nunquam appellari panem poſt conſecrationem: vnde nobis tot argumenta de panis appellatione? & quum Paulus dicat, (Qui manducauerit panem hunc,) loquitur certè poſt conſecrationem. Sed inſeruiebat cauſæ Theodoretus, & hîc, & de

ipsa mutatione, quam cum catholicis concedit quidem verbo, & aperit deinde suo modo, non vt Sectariis nostris patrocinetur tamen, à quibus longissimè dissentit: sed vt Eurychianos conuellat, ita nihilominus rem temperans, quum neget panis naturam mutari, vt posset candida interpretatione ad veritatem transubstantiationis confirmandam accommodari.

OBIICITVR 247.

Gregorius. OBIICITVR EX GREGORIO IN REGIstro, *Tam azimum quàm fermentatum dum sumimus, vnum corpus domini saluatoris efficimur. Azimum verò & fermentatum, panem apertè indicant manere.*

RESPONDET CATHOLICVS.

NOminibus primis adhuc vtitur, sublatis rebus, vt virga deuorauit virgas. Ab istis appellationibus solis, quum de rebus agitur, nihil potest afferri firmi.

OBIICITVR 248.

Fulgentius OBIICITVR EX FVLGENTIO, AD TRAsimundum regem lib. 2. *Vnus idémque homo, localis ex homine, qui est deus immensus ex patre, vnus idémque secundum humanam substantiam absens cœlo, cùm esset in terra, & derelinquens terram, cùm ascendisset in cœlum: secundum diuinam verò immensámque substantiam, nec cœlum dimittens, cùm de cœlo descendit, nec terram deserens, cùm in cœlum ascendit, &c.*

RESPONDET CATHOLICVS.

EXplicat & hic naturam hominis in Christo, quæ verè localis est, non vbique diffusa cum diuinitate, sed interim natura est diuinitati subiecta, quæ virtute diuinitatis non localis fiat, manente nihilominus ea quæ erat, nec abscedente à natura sua. Et hîc de vsu naturæ quæritur, secundum diuinam virtutem, non de terminis & proprietate ipsius naturæ, quam non est fas dei virtuti opponere. Christus quum corpore penetraret ianuas, nec corpus violauit, nec corrupit ianuas, sed naturis præter

naturæ modos vſus eſt, naturis ſaluis. Adeò quum de humana Chriſti natura, quomodo eã det in ſacraméto, agitur, intempeſtiuum eſt quid per naturã fiat argutari, quum quid per virtuté diuinã fieri poſſit, ſit tota quæſtio, quatenus de eo fas ſit nobis quæſtioné mouere.

OBIICITVR 249.

OBIICITVR EX EODEM LIB. III. IDEM *atque inſeparabilis Chriſtus, ſecũdum ſolam carnem de ſepulchro ſurrexit: idem atque inſeparabilis Chriſtus, ſecũdum totum hominem quẽ accepit, terram localiter deſerens, ad cœlum aſcendit, & in dextris dei ſedet, ſecundum eundem totum hominem venturus ad iudicandum viuos & mortuos, coronaturus fideles & pios.* *Fulgentius*

RESPONDET CATHOLICVS.

QVòd Chriſtum dicit terram localiter deſerere, in vno illo verbo (localiter) antidotum defert, ne poſſent cætera illius verba cauſæ Euchariſtiæ nocere, quum in Euchariſtia Chriſtus non adſit localiter, ſed in myſterio, qui modus eſt præſentiæ arcanus, ſola fide pura & inexquiſita comprehendendus.

OBIICITVR 250.

OBIICITVR EX GELASIO ADVERSVS *Eutychetem, qui ſcripſit in ſacramento Euchariſtiæ, ſubſtantiam & naturam panis & vini minimè deſinere eſſe, & facit collationem huius ſacramenti cum Chriſto, in quo manet ſalua vtraque natura, & diuina & humana, ſicuti in hoc ſacramento, natura panis & corpus Chriſti.* *Gelaſius.*

RESPONDET CATHOLICVS.

GElaſius id agit argumento ab Euchariſtia ducto, vt oſtendat in Chriſto nullam naturarum confuſionem, ſed in ſuæ naturæ finibus eas manere, quod & in Euchariſtia fieri oſtendit, ſed illis verbis quæ commoda interpretatione cum eccleſiaſtica doctrina conſentiant, nam de pane & vino fatetur, quòd tranſeant in diuinam ſubſtantiam, quod (tranſire) cõ-

positæ dictionis, transubstãtiatio prima pars est, vt transubstantiare sit paris compositionis, quasi transnominare, quod verbũ (transnominare) & latinum, & elegans est, ac significat priore nomine posito, aliud substitui, quemadmodũ in confirmatione puerorum, interdum negligentia, interdum data opera transnominabant pueros, & ad eam rationẽ (transubstãtiare) significat substãtiæ permutationẽ fieri, quam in hoc mysterio videtur definire Gelasius, dicẽs panem & vinum trãsire in substantiã diuinam, nã quod addit, in sua substãtia vel natura manere: vel subsistentiam sentit accidẽtium, vel naturæ proprietatem, & disiunctim loquitur de natura vel substantia.

OBIICITVR 251.

Vigilius. OBIICITVR EX VIGILIO, LIB. I. CONtra Eutychen. *Dei filius secundum humantiatem suam recessit à nobis, secundum diuinitatem ait nobis, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.*

RESPONDET CATHOLICVS.

VIgilius vt Eutychen confutaret, necesse habebat vtramque in Christo naturam suis propriis finibus circunscribere, vnde fit, vt tam præcisè de natura in Christo humana loquatur, quæ per vnionem illam non desinit esse humana, & tamen propter ipsam vnionem habet alias dotes additas, longè supra naturam humanam. Christus nanque etiam de carne sua dixit, Caro non prodest quicquam, quæ verissima est sententia, ab ipso veritatis authore & fonte profecta, sed idẽ Christus de carne quatenus sit sua, & propter virtutẽ ineffabilis cum spiritu vnionis, confessus est carnem suam verè esse cibum, atque adeò vitalem. Vnde patet longè distare, quum de carne Christi loquimur, vtrum eius naturam propriam consideremus, an assumptæ carnis ex dotibus conditionem, quæ dei virtutem spectet, non carnis naturã. Eutychiani hæc confundebant, & propter vnionem naturarum, vnam dicebant esse naturam. Et ita argumentatur Vigilius, Si illa natura quam vnam in Christo volunt, humana natura est: iam loco concluditur ipsa diuinitas, nam concludi loco, est proprium naturæ humanæ, si diuina natura est: iam humanitas vbique diffusa est, quod

est

est æquè absurdum. Vnde veritas catholica credit Christũ duarum naturarum vnitarum proprietatem retinere. Et tamen eadem catholica veritas, quæ credit carnem nihil prodesse, vi naturæ suæ credit eandem esse viuificam virtute vnionis, & posse Dei virtute ibi esse, vbi secundum naturæ proprietatem esse non posit, & ita dispensari quomodo Deo visum fuerit, suprà quàm ferat naturæ conditio, aut vllo naturæ modo æstimari posit. Quod quũ nemo catholicus diffiteatur, quæ Vigilius hîc tractat, sunt à causa sacramẽti alienissima.

OBIICITVR 252.

OBIICITVR EX BERNARDO IN CANtica Canticorum sermone. 33. *Habeo & ego verbum, sed in carne, & mihi apponitur veritas, sed in sacramento, angelus ex adipe frumenti saginatur, & modò satiatur grano, me oportet interim quodã sacramẽti cortice esse cõtentũ, carnis furfure, literæ palea, velamine fidei, & hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortẽ, si non de primitiis spiritus, quantulumcunque acceperunt condimentum, prorsus mors mihi in olla, nisi de Prophetæ farinula dulcoretur. Et mox: At quantalibet sanè abundantia pinguescant ista, nõ pari omnino iucunditate sumitur cortex sacramenti & adeps frumenti, fides & opes, memoria & præsentia, æternitas & tempus, vultus & speculum, imago Dei & forma serui, &c. Hîc vides apertè Bernardum antithesin facere inter memoriam & præsentiam, & quædam alia quæ huc conducunt.* *Bernardus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

SVauissima est hæc Bernardi meditatio, viã & patriam conferentis, sed ita vt in ipso ingressu fateatur de Eucharistia catholicam doctrinam, dum dicat veritatem apponi in sacramẽto, atque ita nos distare ab angelis, vt illi pascantur nudo grano, (nam sic est legendum) non (modo,) me, inquit, oportet cortice sacramẽti esse contentum. Quibus ostendit granum idem esse, sed angelis dari nudum, nobis sub cortice, sub velamine fidei, sub palea literæ, sub furfure carnis. Et quàm carnem sentit, obsecro, nisi carnem Christi? cuius cõmunione quoniã hîc participamus diuinitate, appellat furfurem, nam & παχυτερῶς, sic pasci nos dum hîc viuitur. Cyrillus super Exodum ait, vt dum carnem gestamus, carne vescamur, vt hîc cognoscamus *Cyrillus in Exodum.*

Christum secundum carnem, sed nunc, id est in futuro seculo, non vltra nouimus. sic enim interpretatur Cyrillus. Sed redeo ad Bernardum, secundum quem grano vescimur etiam in via, sed istis obtecto, vt verenda sit mors in olla, nisi fidei farinula adsit, quam vera ecclesiæ prophetia subministrarit, qua dulcoretur. Et sequitur (Quàmuis & iucunda sint ista & pinguescant), quæ pinguedo non est ex palea & ex cortice, sed ab ipso grano: tamen non par est (inquit Bernardus) iucunditas, & confert rursum granũ cum cortice sumptum, cum eodem decorticato, veluti quum adeps sumitur. Et paulo pòst confert fidem cum specie (nam sic legi debet, non spes) hic (inquit Paulus) videmus per speculum in ænigmate, ibi videbimus facie ad faciẽ, quod est in specie videre. Deinde sequitur (memoria & præsentia) hæc ista verborum collatio est, quæ maximè videtur figuratoribus impetere sacramentum, quasi hîc nihil aliud sit nobis quàm memoria, ibi præsentia. Ego illud quæsierim, an secũ pugnet Bernardus, qui paulò antè confessus est, veritatẽ apponi in sacramento, & nunquid granum cum cortice, non est verum granum, etiamsi non sit nudum, quum solo edendi modo distinguamur ab angelis: & item illud, si non est caro in sacramẽto: quid narrat furfurem carnis? Idem iste Bernardus alibi fatetur Christum in Eucharistia præsentem, & si omnia sunt hîc in memoria sola: quomodo Christum saltem in natura diuinitatis fatebimur præsentem? Sed ita profecto est vis collationis, exigit vt quæ nobis præsentia sint, si cum illa rerum ipsorum præsentia conferantur, quæ in patria erit: non sit illa quæ hic fit, præsentia dicenda, sed sola memoriæ refricatio & excitatio, quemadmodum imaginis appellationem subit quod vere nobis adest: si cum illa in cœlis veritate componatur, vt Ambrosius ait, Ibi erit vera & absoluta præsentia, vbi faciei facies iungetur, vt quemadmodum Christus nobis: sic nos Christo erimus præsentes, vt mutua constet præsentia per intellectum, & cognoscamus, sicut cogniti sumus, quod erit quum similes ei erimus. Et hoc sentit Bernardus, ea quæ adsunt extenuans, dum inhiat illa futura, neque est hic antithesis, quam iste argutator colligit, sed id genus collationis quo imminuitur verbo, quod inferius est, vt extet eminentius, quod conatur amplificare, quò desiderium nobis augeat illius vitæ, ad quam omnes contendere & anhelare debemus.

Bernardus ser. de sancto Martino.

Ambrosius in psal. 38.

OBIICITVR 253.

OBIICITVR EX EODEM BERNARDO *in sermone de cœna Domini. Manifestè proponit simile de anulo, quo accipit quispiam vel coniugalem fidē, vel possessionem alicuius dignitatis, vt in episcopis ordinādis contingit, vbi anulus, aut pedum, vel infula, signa sunt traditarum & concessarum rerum, nec tamen vana. Nam certissimè largiuntur quæ significant, quod idem fieri in sacramentis ostendit.* *Bernardus.*

RESPONDET CATHOLICVS.

BErnardus hoc agebat, vt fidem habeamus sacramentis, tanquam certissimus signis, res ipsas conferentibus maiori certitudine, quàm quæ ab hominibus instituta, fidem tamē faciunt collatæ rei, quam inde concipimus, quòd quoties illa dari videmus, toties ea dari credamus nobis, nostráque effici, quæ illis significātur. Non autem adhibuit has similitudines Bernardus, vt ostēdat nihil amplius in ipsis adesse sacramentis, rei nobis cōferendæ, quàm in illis signis est eorum, quæ per illa nobis cōtingerent. Nam idem Bernardus in sermone quem habuit die sancti Martini, apertè dicit, nos Christū habere præsentem in Eucharistia, quum tamen nemo tam insanit, vt quicquam rei coniugalis credat esse in anulo, aut in pedo, vel infula, dignitatem ipsam Pontificiam, vel vim dignitatis, nedum prædiorum & possesionum quæ accedunt. Verba Bernardi hæc sunt: Neque enim est quod causemur nostro huic negatam tempori, siue eam quæ ad patres veteris testamenti factam apparitionem, siue eam quæ Apostolis exhibita est præsentiam carnis eius. Siquidem fideliter considerantibus neutram deesse liquebit, adest enim nobis etiam nunc carnis ipsius vera substantia, haud dubium sanè quin in sacramento. Adsunt reuelationes, sed in spiritu & virtute. Hactenus Bernardus, qui veram præsentiam veræ substantiæ corporis Christi apertè confirmat, de qua præsentia, ex illis signis verbo domini munitis, nos velit esse certos & securos, atque ea demum causa similibus est vsus, quæ aliorsum accipere atque ille dixerat, (quod hic argutator facit) mera est sycophantia.

Bernardus ser. de sancto Martine.

OBIICI-

OBIICITVR 254.

Bernardus. OBIICITVR EX EODEM BERNARDO. *In hunc itaque appropiãs paßioni dominus de gratia sua curauit inuestire suos, vt inuisibilis gratia, signo aliquo visibili præstaretur. In ser. cœnæ Domini.*

RESPONDET CATHOL.

QVOD est in Eucharistia visibile, signum dici exploratum est, quòd addit Bernardus (inuisibilem gratiam) non potest non sentire veram præsentiam corporis, quod alibi verbis apertis exprimit, ne ociosum sit verbum (inuisibilis) quum (gratia) quatenus notat effectum, sit omnino inuisibilis, sed quia Christus author gratiæ, etiam gratia dicitur, & idem nunc inuisibilis præstatur nobis, qui nostram salutem visibilis operatus est: rectè iis verbis à Bernardo designatur (inuisibilis gratia) quoniam inuisibilis in mysterio, sub signo visibili, & illo signo visibili nobis præstatur.

OBIICITVR 255.

Bertramus. OBIICITVR EX BERTRAMO. IN LIBELlo *de corpore & sanguine Domini ait de symbolorum naturis, quòd secundum creaturarum substantiam, quod fuerunt ante consecrationem, hoc & posteà consistunt.*

RESPONDET CATHOLICVS.

BERTRAMVS, siue quis alius fuerit author eius operis qui sub illius nomine fertur, callidus fuit & impudens hæreticus.

Excusſio quarundam regularum, quas non ad eruendam ex dictis patrum veritatem, ſed ad eam euertendam confictas, quidam veritatis hoſtis edidit, & veluti lata lege promulgauit.

PRIMA REGVLA.

SCRIPTVRA SANCTA ALTERNATIONE *quadam, quod ſymbolorum eſt, conſueuit rebus attribuere, & quæ viciſsim rerum ſunt, adſcribere ſignis. Qua eadem ratione & patres vtuntur, vt ſæpe illos videas de rebus agere, atque ſi de ſymbolis loquerētur: ac è diuerſo, ita de ſymbolis ſcribere, quaſi res & ſignificata pertractent. Quod poteſt congruere propter magnam ſimilitudinem, quæ inter hæc ex inſtituto domini intercedit. Auguſtinus hac de re apertè monuit ad Bonifacium, quod in ſacramentis nomina permutentur.*

CATHOLICVS.

NON erit alienum ab hoc propoſito, quod de regulæ vi ac natura tradit Iureconſultus, huc adſcribere. Regula, inquit, eſt quæ rem quæ eſt, breuiter enarrat: non vt ex regula ius ſumatur, ſed ex iure quod eſt, regula fiat. Hæc ille: ſecundum quàm regulę deſcriptionem nihil aliud ſit regula quàm annotatio & indicatio eorũ quæ ſubſtant & ſunt, quæ quatenus ita ſe habeant, in huius aut illius notæ regulam tanquam in ſcrinia reponantur, atque artifici obſeruatione collecta, eiuſdẽ cauſæ cognatione coeant, vt ſummaria & breui regulæ comprehenſione ſignificentur. Nunc audiamus quid hic noſter regularum architectus præfatur, ſe daturum ſcilicet certas regulas ad intelligendos patres, quod eſt, quomodo hic agit, regulis præſcribere, vnde ius ſumatur, nõ quod ex ipſis rebus, quę verè ſubeſſent, in certas notas obſeruatione redegerat, propriis regulis edere. Sed quid regulæ contineant conſiderabimus. In hac prima regula

notat ſignorum & rerum alternationem quandam in ſacra ſcriptura vſurpari. In quibus rebus, aut quibus ſignis nihil dicit nominatim, vnde aliqua ſit cauſæ comprehenſio, qua hoc ab illo diſtinguatur. Ergo poſtulat vt hac obſcura admonitione noſtra fluctuet cogitatio, num fortè Chriſtus ſolum panem dederit, non etiam corpus: aut ſolum panem manducari iuſſerit, non etiam corpus: quia Pythagoræ authoritatē vindicans, tātùm dicit αὐτὸς ἔφα, & pro regula dat, cuius cauſam in ſpeciem nullam addit. Eſt quidem Alleoſis figura, quæ ſi quando incidat notanda eſt, non vt norma tradenda, ſecundum quam ſcripturas intelligamus, vt deſultoria quiſque leuitate ad Zuinglij exemplum nomina rebus addat ac detrahat, quomodo cuique videbitur bonum atque commodum. Produxiſſet nobis hic Magiſter harum regularum, vnum aliquod ex ſcripturis exemplum, vnde hæc regula naſcitur, vt regula ſit eius quod alicubi ſit. Qui de cœnæ verbis contenderunt, Metonymiæ illi & Synecdoche meminerunt, & nobis conati ſunt illas obtrudere, quibus ſenſum verborum Chriſti interuerterent. De Alleoſi verò in verbis illis hic primus eſt author, ne quis credat vetus. Illud non eſt diffitendum, in illis ſcripturæ ſermonibus, quæ Chriſti naturas attingunt, reperiri vbi ſit huic figuræ locus aliquorum iudicio, quum alij tamen contrà ſenſerint, & propter ſacramentum exinanitionis Chriſti prædicationes alterutrius naturæ, de vno Chriſto proprias eſſe contendant. Vnde Deus dicatur crucifixus propriè, propter carnem verbi propriam factam, quemadmodum etiam Deus dicitur in vtero complaſmatus, & filius hominis eſſe in cœlo. Quas locutiones illi ipſi ita intelligunt tamen, vt naturarum in Chriſto proprietates nō confundantur. Vnde in illis locutionibus Alleoſis figuram quidam admiſerunt, ſed aliis verbis, videlicet ſecundum communicationem vt dixerunt, at Alleoſin ſymbolorum & rerum hic nobis regulator primus inuexit, quod equidē legerim. Nam quod Auguſtinus ad Bonifacium ſcribit, ad Metonymiam pertinet, & quod ſenſit exemplis declarauit, quæ nihil promouent huius regulæ cauſam, vt ſemper tribuatur rebus quod ſit ſymbolorum, & contrà. Sed Auguſtinus aſciſcendorum nominum rationem docet, videlicet vt accedant noua, non recedant vetera. Atque hæc de prima regula.

SECVNDA REGVLA.

QVOD SI DILIGENTER INSPEXEris *quæ suprà & infrà dicuntur, semper videbis patres attestari, hanc alimoniam spiritualem esse, non autem gulæ, ventris, aut dentis.*

CATHOLICVS.

HAEC regula apertè monstrat hunc doctorem non illud agere vt doceat, sed vt fallat, qui vbi nihil est opus, tantam diligentiam cum suspectione & despectione suprà infrà adhiberi postulat, in re tam clara, vt facilè cuiuis ipso protinus aspectu pateat, videlicet alimoniam sacramenti spiritualem esse, quod omnes confitentur catholici, nemo negat. Nam illa verba, venter & gula, quatenus sensu prophano enunciantur iunctim, non catholicorum, sed potius Epicureorum verba sunt, imò istorum etiam qui ad ventrem omnia referunt. Eodem in loco hic argutator vellet haberi dentem, quatenus ventri subseruit significationis vi, quod & catholicus non negabit. Et ideò coniunxit alicubi verbis catholicus ventrẽ cum dente. Vnde & apud catholicos reperitur illud: Non dentem acuimus. *Cyprianus de cœna.* & Augustinus: quid paras dentem & ventrem? Cæterùm quum Christus dicat: accipite & manducate, dentium exegit officium ille, *August. in Io. tract. 25* vel si essent edentuli gingiuarum, ne sit causa cur à manducatione spiritualis alimoniæ excludatur dens aut venter adeò, absit modò carnalis cogitatio, ne in cibum dominicũ vt in reliquos cibos dentibus & ventre nos agere imaginemur, sed spiritualem alimoniam, Christo iubente, totis præcordiis amplectamur. Ideóque hîc diligenter admonendus es Lector, Patres ipsos qui spiritualem alimoniam esse fatentur quam in Eucharistia sumimus, expressis verbis tradere, nos per rectum à domino in cœna sacramentum excipientes, ore ipsum domini corpus in os admittere. Quam catholicam veritatem vt euerteret hic regularum lator, hanc edidit regulam de patrum dictis, in quibus si gula, venter, & dens non simul expressa reperiantur, sperat fore vt intelligant sui spiritualem hanc alimoniã etiam nõ excipi ore, de quo tamen os regulatoris impudens non est ausum facere mentionem, sed gulam, ventrem & dentem nominatim expressit, quæ quum non excludant illi, tamen in hoc sacramen

to suscipiendo illorũ nominatim meminisse, sit quædam prophanatio mysterij, quod pro dignitate fidelibus esset commendandum, & de patribus quid scripserint, alibi est à nobis annotatum. Interim te, Lector, velim animaduertere, vtri magis spiritualem ponant alimoniam catholici, qui vnam substantiam corporis Christi in Eucharistia dari credant verè diuinam & spiritualem: an isti figuratores, qui vnam substantiam panis triticei cõtendunt exhiberi in cœna, quæ secundum naturam alat, quum corpus Christi panis verè supersubstantialis alat secundum gratiam. Et isti tamen figuratores verbis quidem ventrem & dentem reiiciunt, & ab iis vocibus quasi abhorrent, qui quod ventris & dentis est, maximè proprium dari defendunt, denique tanquam ventris, gulæ & dentium patroni, Panem omnino integrum & vinum volunt, figura contenti eius quod sit cœleste & diuinum, tam scilicet solliciti sunt de alimonia spirituali, quam verbis spiritu cassis & inanibus conantur ita vindicare, vt quod verè sit spiritus, omnino excludant.

TERTIA REGVLA.

SI QVANDOQVE DICANT, NOS *cum Christo carnaliter communicare, ita vt etiam corpus alatur Eucharistia, ista sic accipienda sunt, vt intelligamus filiũ Dei, quando conceptus fuit ex virgine, & naturam humanam assumpsit, tum nobiscum carnaliter communicasse. Deinde nos in eo manemus, vicissimque ille in nobis manet, quando nos verbis eius credimus, & cum fide sacramenta percipimus, quia sic communicando, additur nobis spiritus, & caro nostra & corpus, quæ naturæ iam erant eiusdem cum Christo, redduntur earundem conditionum cum eo, capacia fiunt immortalitatis & resurrectionis, cúmque obsequantur & inseruiant spiritui, verè aluntur ad vitã æternam. Et ita corpus nostrũ in Eucharistia bifariã pascitur, primùm symbolis, deinde hac instauratione ad vitam æternam, atque ita Christus dicitur per hoc sacramentum in nos manere. De prima communicatione quam habemus cum illo per natiuitatem, & incarnationem, testimonium habes ex epistola ad Hebræos, cap.2. Quia igitur pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.*

CATHOLICVS.

HAEC regula veritati insidias struit, dum carnalem Christi nobiscum communicationem, à nostra cum Christo carnali communione non distinguit. Paulus ad Hebræos quomodo huc citatur, significat Christi in carne communicationē nobiscum,& hanc sic exprimit: ipse similiter participauit iisdem,sentiens Christum de nostro sumpsisse, vnde Ioannes scribit:verbum caro factum est,& habitauit in nobis. Ergo nos non habemus cum Christo communionem carnalem per mysteriū incarnationis, quomodo iste fallaciarum cōfictor loquitur. Sed ille nobiscum factus homo, & hæc communicatio peracta est carne vera in vtero virginis verè sumpta, qua effectum est, vt deus in terris visus, & cum hominibus conuersatus, ac habitu sit inuentus vt homo,carne humana indutus, nostræ per omnia simili excepto peccato. Christus similis factus est nobis, non ideo tamen nos protinus similes eramus illi:natura nostra in illo erat,at eò dignitatis prouecta, vt iam dei sit propria per ineffabilem vnionem cum dei Christi spiritu, cuius spiritus opificio perficiendum in nobis superest, vt Christi carne à nobis vicissim suscepta,& nostrę per vnionem coniuncta, carnalem cum Christo cōmunionem & communicationē habere dicamur. Et licet eundem cum Christo spiritum habentes, quod regeneratione fit in baptismo, ea efficiatur in nobis cum Christo vnitas, vt in illo complantati & corporis & animæ hauriamus velut palmites è vite vitam,& qui mortis beneficium sensimus,fructum etiam resurrectionis simus percepturi: ea tamen est Christi in nos benignitas, vt quos spiritu regenerauit ad vitam, viuifico cibo suæ carnis alat ad immortalitatem, & quam diuinitatis plenitudinē nostræ carnis vasculum non exciperet, cum illius carne gloriosa in sacramento data,& à nobis accepta,in nos migraret. Vnde propter communicationem carnis eius, carnalem cum illo communionem iam dicamur habere,& instrumēto carnis Christi, totum intra nos deum habitasse,& ideo notatur apud patres nos corpus accipere, in quo omnis inhabitat plenitudo diuinitatis. Et hoc est magnum mysterium in Christo & ecclesia, vt carnis humanæ in Christo glorificatæ,& illius iam proprię interuentu,sub tecti nostri angustias ingrediatur dominus maiestatis, & totum intra nos deum capiamus,

Hebr.2.

Ioan.1.

& in vnam cum Chriſto redigamur maſſam, & quemadmodum Chriſtus in carne noſtra viuere voluit, ſic in carnis ab eo ſuſceptæ virtute nos viuamus, corpore & anima immortales futuri. Sed iſtã carnis Chriſti ſanctificationem diſsimulat hic regularum fabricator, & eius loco hoc habet (ſi percipimus cum fide ſacramenta, additur nobis ſpiritus, & caro noſtra & corpus quæ naturæ erant eiuſdẽ cum Chriſto, redduntur earundem conditionum,) quæ verba non malè explicant ſanctificationem quam peragit ſpiritus, dum Chriſtus ſe nobis communicat ſpiritualiter vt deus: ſed vt Cyrillus ait, in myſtica benedictione Chriſtus ſe nobis communicat vt homo, videlicet carne viuifica ſanctificationem peragens, vt guſtu & tactu nobis cognato, accepto & hauſto Chriſti ſanguine ſanctificemur, & de Chriſti reſurrectione ipſo viuentis Chriſti corporis tactu certiores effecti, de ea nunquam dubitemus, & certum inde pignus ſecũdæ noſtræ regenerationis accipiamus, quo noſtram in hac miſeria expectationem conſolemur. Quæ omnia quum carnis Chriſti præſentia efficiantur, quam Chriſtus in ſacramento fieri voluit, & verbis ſimplicibus ſe facere explicat: quærũt Sectarij quid opus illa præſentia? quid amplius accedit? neſcientes myſterium carnis, vel ſe neſcire ſimulantes, vt veritatem expugnent tanti myſterij, & Chriſti carnem vt Eutychiani extinguant, ſed ratione diſsimili. Illi enim in diuinam trãſire naturam putabant, ne amplius ſit in natura ſua: Iſti noſtri vſum omnem carnis auferunt, ne amplius à morte peracta nobis proſit, qui à ſolo ſpiritu nos ſanctificari volunt, & ſola ſit carnis Chriſti memoria & meditatio, quatenus pro nobis paſſa ſit. Vnde verbo illo (ſpirituale & ſpiritualiter) quod illis tam frequens in ore eſt, ſpiritum intelligi volunt, vt excludant carnem, & ſpirituale manducationem carnis, recordatione carnis olim pro nobis paſſæ intelligunt. Quos vel non intelligere carnis Chriſti myſterium, cõſtat, vel contra conſcientiam peccato in ſpiritum ſanctum irremiſſibili illud impugnare, de quo ſanctiſsimum Epheſinum concilium decreuit, nos carnem accipere viuificam in benedictione myſtica, quæ ſi non exhiberetur manducanda: vnde oriretur illa quæſtio, Si omnis noſtra ſanctificatio ſolo ſpiritu peragetur? Et vnde illud ſolam humanitatis naturam manducari, ſi à carne non eſſet ſanctificatio? Et quomodo ſanctificaret caro, ni dei virtute in ſacramento

Cyrillus in Ioan. lib. 11. cap. 27.

Concilium Epheſ. epi. ad Neſtorium.

daretur,

daretur, vt carnalis nobis cũ Christo fieret communicatio? Quòd si carnem absentem sanctificare volunt, concedere oporteret spiritũ esse humanitatis organum, quod est absurdo absurdius: vel humanã naturam iam infinitam esse, quæ vim suam & defluxum quaqua versus emittat, quod est insanum. Ergo si caro sanctificat, à deo datur ad sanctificationem, vt in proprietate finitę naturæ manens, virtute tamen spiritus distribuatur singulis in sacramẽto, quod & Christi verba demonstrant, & ecclesiæ consensus inde ab initio comprobauit. Vnde te lector velim animaduertere, istos figuratores omnẽ sanctificationem carnis abhorrere, & vnionis nostræ carnis cum Christo, spiritu tantùm fieri velle, propter carnem nostram à Christo assumptam, quam catholici fieri dicunt propter carnem Christi viuificam ab eo datam.

QVARTA REGVLA.

CONSIDERES DEINDE VERBVM CON*secrandi non aliud significare apud patres, quàm rem communem & prophanam sacro vsui dedicare, & hoc est sanctam reddere. Non itaque est vt cùm in patribus occurrit vox consecrationis, illico nobis fingamus transubstantiationem.*

CATHOLICVS.

QValis est hic regulator, qui quod sit speciale, exigi iubet ad normam generis, quod est notas abiicere suas ne dignoscatur? Quis enim vnquam aut legit, aut fando audiuit, consecrationem talem, qualem in suprema cum suis cœna fecit Christus? & quoties ea cœna celebratur quotidie, vt rem insensatam accipiens in manus (quomodo Epiphanius sui temporis fidem referẽs narrat) diceret deinde, Hoc est corpus meum: quũ nihil appareret simile corporis, & tamen inquit Epiphanius, nemo non credit verum dixisse, & qui non credit, à gratia excidit. Et dicemus postea ad huius regulas quod fit expendentes, nihil aliud fecisse Christum, nisi rem prophanam sacris vsibus addicere, quomodo ædes & donaria consecrantur? Illud ergo in genere de consecratione sit dictũ, quod hic notauit regularum lator: at istam in Eucharistia consecrationẽ mirabilẽ, & altioris mysterij, describit Emissenus

Epiphan. in ancora.

propius

Emisenus oratio. de corpore & sangui.

propius,dum ait:Inuisibilis sacerdos panem & vinum,in substantiã corporis & sanguinis secreta potestate conuertit. Ex cuius consecrationis vi extat ecclesiæ confessio de transubstantiatione, vt vnã ex Christi verbis substantiam datam intelligentes,& hanc aliam ab ea quæ antea per naturam erat,fide agnoscẽtes,ex verbis Christi,dicentis hoc esse corpus, vnde illam non esse, & istam esse edocti,trãsubstantiationis verbo,consecrationis huius mysterium aptissimè exprimimus.quod non est fingere, vt iste calumniatur:sed ipsam veritatem conuenienti verbo significanter annotare.

QVINTA REGVLA.

VBICVNQVE APVD PATRES FIT MENtio *mutationis vel conuersionis, intelligendum est de mutatione sacramentali, qua res illæ non transubstantiantur, sed fiunt sacramenta ad significandum nobis efficaciter, ad offerendum & exhibendum animis & fidei nostræ per vim spiritus sancti, corpus & sanguinem domini.*

CATHOLICVS.

QVoniam frequens est apud patres mutationis mentio, recipit Sectarius mutationis verbum, nec vult negare aliquam mutationem fieri, quam tamen ipsa sua explicatione ostendit postea reipsa nullam, sed excogitauit bellè, vt diceret sacramentalem, quomodo antea in dogmate edendo locutum catholicum ostendere queat neminem. Cyprianus de mutatione loquitur, non solùm vt sacramẽtum fiat, sed cũ mutatione naturæ eius fiat vnde fit. Vbi panis omnipotentia verbi, factus est caro, vt in rem sacramenti tendat mutatio, non hæreat in sacramento, vt sit sola mutatio sacramentalis. Vnde Emisenus de cõuersione loquens, in substantiam corporis & sanguinis pertinere ostẽdit, & in rem desinere sacramenti, non in sacramentum. Gelasius transitionem docet in diuinam substantiam, id est sacramenti rem. Ambrosius ita miratur mutationem rerum, vt multis mirabilium exemplis muniendam putet, quibus infirmiorum credulitas subleuetur, quibus vnquã vsus esset, vt Melanchthon ait, nisi panis naturam mutari sensisset. Et postea hic noster regulator, vt suos instruat quomodo dicta patrum eleuent, & veritatis testimonium infirmẽt, falla-

Cyprianus de cœna domini.

Emisenus de corpore & sangui.

Gelasius cõtra Eutychen.

Ambrosi° de sacramẽtis lib. 4. cap. 4.

fallaciam in verbo commentus est, vt dicat mutationem sacramentalem, quæ fallacia notatur in modo imminuenti, vbi quod additur non auferat sed imminuat quod dicebatur. Et tamen insolens est illa loquēdi forma, mutari in sacramentum. Augustinus scribit: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, non dicit mutatur in sacramentum. Et nemo dicit aquam quum adhibetur baptismo, illam mutari in sacramentum, & quomodo dicatur mutatum, cuius naturę nihil decedat intrinsecus, nihil accedit extrinsecus pręter vsum significationis? Quanquam de pane qui semper fuit figura corporis Christi, vt ex propheta constat, nihil dici potest accedere significationis nouæ, nam quod ex vsu prophano adhibetur in vsum sacrum, non magis eo nomine mutationem fieri in pane dicamus, quàm in eiusdem nomine quum sacris significandis adhibeatur. Quando nomina à propriis significationibus ad alias transferūtur, mutatio dici potest & tropus, quia significatio significationi cedit, & noua significandi virtus accrescit. Vt si itidem in re mutationem aliquam significes, aliquid nouæ rei intercedere ostendas, non significationis aut vsus, quæ sunt extra rem. Et de vsu notatur non mutari res, siue quis bene siue malè vtatur, & eadem sunt verba quibus sacra eloquimur, quæ erant quum prophanis exprimendis inseruirent. Mutatio decessionem significat & accessionem, nam sola accessio acquisitio est, sola decessio detrimentum, atque hoc secundū naturam ipsa re manente. Quum verò res desinat quod in corruptione fit existat mox alia vel augeatur alia. In hac mirabili mutatione non manet quod mutatur, nec aliud generat aut auget, sed in aliud desinit, & hactenus tamen cum mutatione conuenit naturali, quod aliud erat, aliud modò est, licet quod erat non sit illud aliud, quod est mirabile in oculis nostris. Et hoc notauit Cyprianus, quòd licet ex pane fieret caro, non fieret tamen carnis effigies, sed ipsa maneret effigies panis, atque hoc verbo (effigies) significanter vsus est Cyprianus, vt eius in pane metaphora ipsam exprimeret veritatem carnis præsentis, cuius effigiem ne expectaremus admonet, vt Christus visibilis existeret: sed ipsa maneret effigies panis dixit, quia non effigie, sed natura mutatur panis, quum effigies de pane vt formam significet, minus propriè dicatur. Nam effigies ad viuam alterius similitudinem figura dicitur, quam effigiem veritas præsentis carnis

Hiere.11.

exigeret,ſed in illam non mutatur, & ideo manet effigies,inquit,id eſt,forma panis,vnde panis natura quæ mutatur,ſubſtantiam ſignificat,quę in carnis ſubſtantiā verè præſentem conuertitur. Quis eſſe hic locus poteſt huic mutationi ſacramentali? vt ſubſtātia panis,inquit alibi Sectarius,fiat ſacramētum. Hîc ſi iſtam definitionē ſacramenti accipias,vt ſit viſibilis forma inuiſibilis gratiæ: Subſtantia panis quia non eſt viſibilis forma,ſed inuiſibilis,non poteſt illa eſſe ſacramentum,ſed eius panis effigies potius,quæ eſt viſibilis. Sin illā ſacramenti definitionem accipias,ſacramentum eſt ſacræ rei ſignum: iam antea erat panis hoc modo ſacramentum, quia & in lege,& in prophetis panis ſignificabat Chriſtum , vt non ſit neceſſaria aliqua mutatio , ſed potius eius quod in pane iam aderat explicatio. Ergo libenter diſcerem , quid rei ſubeſſet iis verbis , panem mutari ſacramentaliter, & in quo potiſsimum conſiſtat hæc mutatio ſacramentalis. Nam in ſacramentum mutari panem propriè dici non poteſt, ab iſtis qui nolunt illum mutari in rem cœleſtem , quæ ſecundum Irenæum quem eatenus admittunt, eſt altera ſacramenti pars, vt nō in ſacramentum , ſed in partem ſacramenti fieret illa iſtorum panis mutatio. Et illud vide lector, quum de ſacramento loquuntur, de pane loquuntur & corpore Chriſti , ſed omnem efficientiam dant fidei noſtræ,& ſpiritui ſancto, vt ſpiritualem alimoniam conſequamur , vt ſi penitius conſideres , otioſa ferè ſunt apud illos vocabula panis & corporis, & tamen panem volunt ſacramentaliter mutari. Et quæro , quæ ſunt igitur partes huius panis mutati? hîc audi qua verborum pompa reſpondebit Sectarius. Panis inquit ſacramentalis exhibebit & offeret ipſiſsimum Chriſti corpus , non leuiter, non caſſè,non inaniter ſignificatione ſola,ſed potenter & efficaciter. Verba quidem præclara & in ſpeciem magnifica , ſed quorum ſenſus quomodo ſe interdum iſti aperiunt, nihil habet reconditi. Nam is eſt qui in ſymbolo exprimitur aliquanto apertius, Chriſtum videlicet ſedere ad dextram patris, noſtrum aduocatum , qui etiam pro nobis mortuus,corpus ſuū obtulit ſemel,quod nunc abeſt nobis, & in cœlo regnat. Et quæ eſt iſta potentia ſymbolorū, quam fatentur tenuiorem ea quæ verbis adſit? & rectè, nam habet ſemper aliquid latentis energiæ viua vox, vt magis afficiat. Et quæ eſt iſta exhibitio & oblatio corporis ipſiſsimi,quam dicunt fieri ſymbolis, ſi doceat

ceat corpus non adesse, sed abesse? Nam offerre & exhibere, de præsentibus dicuntur, non de absentibus. & alibi dicit Sectarius nos fide conscendere cœlum, vt ibi manducemus Christum regnantem. Noua oblationis & exhibitionis species, vt nihilo magis habeas aut posis habere quod exhibetur, nisi ipse adieris, & tibi quæras fidei tuæ machina & efficientia, & quia se tibi Christus dare non potest, vel non vult, ibi manduces in gloria regnantem. Quæ est hæc noua & antehac non audita doctrina? Christus iam in terris agens dixit, accipite & manducate: neque iussit fide in cœlum conscendere vt manducent regnantem: Sed terram dedit, vt Augustinus interpretatur, & in terris dedit, & terrenis adhuc dedit & dat, sed terram cœlestem effectam, & nunc in cœlis regnantem, ac nobis nihilominus in eadem cœna quoties illam celebramus præsentem, vt manducemus hîc in sacramento, cuius sacramenti substantia nõ est panis, sed ipsum Christi corpus, in quod panis mutatur, non in sacramentum, vt sit mutatio ista sacramentalis, sed substãtialis, hoc est naturæ, id est, substantia panis in substantiam corporis Christi, adeò inane figmentum est quod hic tantopere garrit de sacramentali mutatione, & verborum strepitu lectorem fallit.

August. in Psal. 98.

SEXTA REGVLA.

SCIENDVM PRAETEREA, INTER NOS *& Capernaitas quoad res ipsas, non esse discrimen: Illi putarunt se verum corpus & veram carnem Christi manducaturos, quod & nos fieri concedimus. Cæterùm discrimen est in modo, & ratione manducationis: Quod illi carnaliter faciundum putarunt, nos fieri spiritualiter docemus, alioquin verum corpus, & verus sanguis exhibetur, quia fides non complectitur ficta, sed vera.*

CATHOLICVS.

NEMO fidelis cogitatione communicat cum Capernaitis, qui se corpus quod videbant comesturos putabant, quum tanquam ex ore Christi Augustinus fideles sic alloquatur: Non hoc corpus quod videtis comesturi estis. Sed ego erro. Nam hic Sectarius de se & suis loquitur, qui nullam habent cum fidelibus portionem, & ideo se & suos congruenter cõ

August. in Psal. 98.

fert cum infidelibus Capernaitis. Quod nunc tradit non eſt regula, ſed ænigma. Se & ſuos diſcriminat à Capernaitis in modo & ratione manducationis, non etiam in re, quum tamen Capernaitæ rem prorſus ignorarent: neque enim intelligebāt diuinam & ſpiritualē carnē dari, quam dei eſſe carnem neſciebant. Sed hæc à Sectario per inuidiam tractantur ad iſtum modū, vt ſub perſona Capernaitarum ſuggillet catholicos. Verùm enimuero carnalis manducatio, quā ſecundum Chriſti inſtitutionē amplectuntur catholici, dum Chriſti carnē in ſacramento datā ore excipiunt, ſpiritualiter illam digeſturi, myſterium eſt à carne tam remotū, & à carnali cogitatione tam alienum, quam Capernaitæ ſomniabāt, vt nō ſimiliter de Capernaitis & catholicis carnaliter prædicetur. Sed vide lector quanta in huius ſectarij verbis fallacia. Primū manducationem veri corporis à ſe & ſuis fieri concedit, & illius corporis de quo ſenſerāt Carpernaitæ, ſed modo & ratione diuerſis. Nā quod illi, inquit, carnaliter, nos fieri ſpiritualiter docemus. Imò quod illi ſacrilego modo fieri putabāt, vos negatis omnino fieri, in hoc etiā ſacrilegi quòd ſurripitis ſacrum. Nam propriam manducationē quæ ſecundum myſterij modum fit, veri corporis Chriſti in ſacramento tollitis, & in ſola credulitate verſamini, quam tamē non tenetis, dicētes vos manducare corpus Chriſti, id eſt credere, ſi tamen creditis, quod vtinam crederetis, vt de Chriſti corpore eſſe poſsitis. Sed quoties dicitis vos manducare ſpiritualiter, ad excluſionem dicitis ſacramenti, ſecundum cuius myſterium non manducatis, hoc eſt, vt patres loquuntur, ritu ſacramentorum, qui corpus adeſſe negatis, quod ibi ſuſcipiatur. Et ſtultè atque ineptè in metaphora luditis verbi manducare, & ibi ponere diſcrimen ſolius modi & rationis, vbi in re ipſa diſſentitur. Nam Capernaitæ veritatem carnis in manducatione ſpectabant ore excipi, & vos negatis ore excipi, & aliam ſentitis manducationem abſentis corporis. An in ſolo modo mādućationis diſſentitis, qui in re ipſa ita diſsidetis? Sed fingitis vobis pręſentiā efficacia fidei, de qua efficacia dicam ſuo loco. Si ſpiritualiter Chriſtum manducaretis, de quo vobis tam frequens mentio: non ita Chriſti inſtitutionem impugnaretis, vt negocium faceſcentes corpori Chriſti myſtico, eius in Euchariſtia corporis præſentiam, excogitatis arte calumniis conemini diſſuadere.

SEPTIMA REGVLA.

ITEM CVM LEGITVR IN PATRIBVS, *corpus Christi contineri aut haberi his mysteriis, per ista nihil aliud accipiendum est, quàm denotari, ostendi, demonstrari, atque significari.*

CATHOLICVS.

HAC regula veras significationes falsò mutat, & per fallaciam tollit, qui tam ægrè alioqui fert mutationis verbum. In qua tandem potestate hæc nobis tradit hic Sectarius, vt contineri esse & haberi, nihil aliud significent, quàm denotari, offendi, demonstrari, significari? Quòd si regula censeatur, quæ rem quæ sit breuiter enarret: vbi nobis scriptum, pictum, fictum, lectum, vel auditum demonstrabit, haberi & contineri idem esse quod significari? Bucerus etiamsi multis nominibus improbandus, gloriatur tamen eo quasi dementiæ nunquam fuisse prolapsum, vt est pro significat, in verbis Christi interpretaretur. Et hic Sectarius postulat, vt ex hac sua regula veluti ius sumatur, quo verba (contineri & haberi) suis significationibus spoliemus: de patribus ex se coniecturã facit, quasi verbis fucum facere meditarentur, vt aliud mente sentirent, aliud efferrent verbis, linguæ & cordis perniciosissimo dissidio. Sunt qui Eucharistiæ sacramẽtum explicantes, hęc verba (significare & continere) distinctione opponãt, dicentes, corpus Christi mysticum sacramento significari quidem, non contineri, quum corpus Christi naturale & significetur, & contineatur. At si huius Sectarij regulas sequimur, nihil aliud est contineri quàm significari. Simile quiddam habuerunt Arriani, sed aliquãto subtilius & callidius. Istud quod hic agit regulator, est profectò crassius & rudius, vim facere in publico, & iubere aperta regula ipsas significationes verbis eripere, nulla causa, nulla ratione edita, sed ruditer & rusticè tyrannidem exercere in aliena scripta, non modica significationis deflexione in aliquid cognatum aut proximum, arte aliqua eleganti deducere, sed in prorsus opposita & aliena cogere, quum habere & significare, in cæteris locutionibus permagnum discrepent. Nam & multi significant quæ non habent, & multi rursus habent quæ cauent significare, simulant illi, isti dissimulant, & qui dissimulat habet sine significatione, & qui simulat

non habet quod ſe ſignificat habere. Cæterùm ex hac regula, vt mihi quidem videtur, illa naſcitur, non debere quenquam huius regulatoris ſcriptis fidere, qui quum loquatur, ipſe aliorum verbis non ſentit, vt loquitur, ſed ſuo modo: adeò hæc verba offerri, exhiberi, præſens eſſe, adeſſe, contineri, & haberi, nihil aliud illi ſignificent, quàm ſignificari. Nam hoc illud eſt, in quod tendit verborum illa gradatio à denotari, oſtendi, demonſtrari, quæ omnia deſinunt in ſignificationẽ, vnde ſupremum locum occupat ſignificari.

OCTAVA REGVLA.

CV'MQVE AVDIS PATRES DICENtes, *hîc panem aut vinum amplius non eſſe, hoc debes intelligere non ſimpliciter, ſed quoad teipſum, quando piè communicas, quia illic tibi non eſt cogitandum vel de pane, vel del vino: mens tua & ſenſus, oportet ſolùm inhæreat rebus, quæ tibi repræſentãtur. Ideò dicitur, Surſum corda, vt ab iſtis animum ſubuehas ad inuiſibilia quæ tibi offeruntur. Scripturæ etiam ſacræ non abhorrent ab hoc tropi genere. Paulus inquit, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, qui tamen non negaſſet corpus & carnem aggrauare animam, & refrenanda eſſe, cùm alibi ſcribat, caro cõcupiſſet aduerſus ſpiritum. Neque etiam ignorauit multos eſſe malos homines, qui caro & ſanguis dicuntur, à quibus tamen infeſtamur, & cum illis eſt nobis quotidiana lucta. Sed intelligebat Paulus de illa ſumma & præcipua contentione, vnde iſtæ aliæ ortum habent. Dixit etiam in Chriſto non eſſe marem, neque fœminam, neque ſeruum, neque liberum: cùm tamẽ iſta officia, & iſtæ perſonæ, à Chriſto & eccleſia non remoueantur, imò de illis præcepta ſeorſim deſcripta ſint. Sed intelligebat Paulus iſta non eſſe in Chriſto, quoad regenerationem, remiſsionem peccatorum, & vitam æternam conſequendam, quæ ſumma ſunt in chriſtianiſmo. Et in illis diſtribuendis, Chriſtus non reſpicit hos ſtatus & iſtas conditiones. Scribit idem Apoſtolus, Regnũ Dei non eſt in ſermone: nec tamen voluit propterea ab eccleſia, quæ regnum Dei eſt, remouere conciones, admonitiones, & lectiones, quæ verbo fiunt, ſed tantùm reſpiciebat illam ſummam vim, & efficaciam ſpiritus, qua omnia in eccleſia regi debent. Ita loquuntur patres cùm negant ſymbolorum naturam manere, quod non eſt, vt diximus, ſimpliciter accipiendum, ſed quoad noſtram fidem, & cogitationem, quas non oportet illis inhærere.*

CATHOLICVS.

PRoxima regula violentior fuit, iſta ſubtilior, videlicet ex Stoicorum ſchola huc accerſita, qui in loquendi formis rerum obſcurationes eleganter notarũt: vbi quod minimum eſt, cum eo quod maximum eſt, in eodem rerum genere confertur, vt nihil eſt lumen lichni ad lumen ſolis, & nihil eſt ſtilla murię in Aegeo mari. Et ſi artifices in eodem artificij genere cõponas eleganter, dixeris, nihil ille ad Phidiã, quemadmodum nihil ad Perſium, & vt prouerbiũ habet, Nihil ad Parmenonis ſuem. Atque à ſimilibus loquendi formis non abhorret ſcriptura. Nam quod hîc affertur ex Paulo, Non eſt colluctatio &c. Luctam carnis obſcurando negat Paulus, vt aliam maiorẽ intendat & augeat, quam exprimit poſtea, dicens, Sed aduerſus &c. Et item in illo, Regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute. Sermo & virtus quum ſint vtraque regni Dei, tamen collatione obſcuratur ſermo, qui nihil eſt ad virtutem. Et quum Paulus dicit, In Chriſto neque mas neque fœmina: vbi conditio naturæ in Chriſto, confertur cum conditionę gratiæ: ibi natura gratiæ collatione obſcurata negatur. Atque illud animaduertendum, collationem de iis fieri quæ certò conſtant vtraque in eodem eſſe, veluti conſtat & in carne luctam eſſe, & cum principibus aëris luctam eſſe. Item cõſtat in regno Dei ſermonem eſſe, & virtutem. Conſtat denique in Chriſto marem eſſe & fœminam, hoc eſt conditionem naturæ conſtare cum conditione gratiæ. Adeò non ſola loquendi forma obſcurationem iſtam ſignificat, ſed rerum ratio quæ cõmittuntur. Nam in eo quod Paulus ſcribit ad Titum, Apparuit benignitas Dei, nõ ex operibus iuſticiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiã &c. non eſt illa obſcuratio operũ, ſed mera negatio, & tamẽ forma locutionis videtur aliud innuere, ſed notatur dici ἀφνητικῶς, nõ vt minuat & extenuet, atque obſcuret: ſed vt remoueat prorſus. Cui ſimile eſt illud Chriſti ad Petrum, Caro & ſanguis nõ reuelauit, ſed pater, &c. non obſcurantur caro & ſanguis, ſed remouentur. Et item in illo, Non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt: negatio prorſus remouet, non obſcurat. Atque hæc ita tracto fuſius, vt oſtendam ex indicio rerum intellectarum, non ex ſola locutionis forma ſenſum æſtimandum eſſe, & multis eſſe obnoxiã erroribus

Ephes.6. *Rom.14.* *Gal.3.* *Tit.3.* *Matth.16.* *Ioan.1.*

roribus

roribus hãc regulam, quam hic Sectarius edit, & ad id quod agit nihil omnino pertinere, quum alia ſit ratio abſolutè negationis, quàm eius quæ in collatione adhibetur. Neque enim hæc locutionis forma (quod equidem legerim) apud patres de Euchariſtia reperitur, non eſt panis tibi ſed corpus: quomodo vellet intelligi Chryſoſtomum hic Sectarius, qui ſi ad illam formam loquerentur: Euchariſtia non eſt panis, ſed corpus Chriſti: hic rerum ipſarum iudicium efficeret, ne ſimiliter intelligeremus atque illud, regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute, quoniam hic alterius rerum collatarum negatio, ideo tantùm obſcurat, non remouet, ne falſus ſit ſenſus: ibi verò alterum remouet, vt verus ſit ſenſus. Ergo veritas ſenſus cui omnia ſubſeruiunt efficit, vt vbi negatio abſoluta eſſe non poteſt, ne vim faciat veritati, ibi contrahatur ad aliquem modum,
1.Corint. 3. qui poſsit cum veritate conſiſtere. Itaque quum Paulus dicat, eum qui rigat nihil eſſe: abſoluta negatione nõ dici intelligo propter abſurditatem, & rectè interpretabor nihil aliud quàm extenuationem eſſe. Item quum lego neq; marem neque fœminam in Chriſto eſſe, tam eſt abſurdum quod ſignificet abſoluta negatio, vt illam amplectar imminutionem. Quæ hactenus à me dicta eò pertinent, vt quum abſurdum non ſit, imò catholicæ doctrinæ maximè conſentaneum, vt panis ſubſtantia de Euchariſtia negetur, non eſt neceſſe quum id legero apud patres, vt à propria negationis vi confugiam ad hanc regulam extenuationis, quomodo iſte comminiſcitur, vt credam negatum mihi ne mihi ſit panis, cui tamen confirmando dicta vult ea verba (Surſum corda,) de quibus verbis quomodo intelligantur, alibi dixi, ne ſit hîc neceſſe repetere. Patres qui negant ſymbolorum naturam manere, quia id vt dixi negant, quòd in propria negationis ſignificatione nihil inferat abſurdi, nulla eſt cauſa cur à verborum ſimplicitate recedentes, fallaciæ quam hic Sectarius molitur inhærentes, nos ipſos præcipitemus in errorẽ, niſi videntes prudentes perire non curemus.

NONA

NONA REGVLA.

FIDES TANTAE EST EFFICACIAE, VT *res præsentes faciat non quidẽ realiter aut substantialiter, sed spiritualiter. Nam illas verè cõplectitur. Atq; ita dicebat Apostolus, Christũ ob oculos Galatarum fuisse crucifixũ. Sic & Abraham dictus est vidisse diem domini, atque hoc pacto veteres eundem Christũ habuerũt in sacramentis, quo & nos fruimur. Et ita vides ad hanc præsentiã non requiri res quoad naturalem constitutionẽ, mutare locum, aut nobis adesse cum omnibus suis materialibus, & Physicis conditionibus.*

CATHOLICVS.

HAEC regula digna est quæ diligenter excutiatur. Aperit enim hominis fraudes & fidem malam, tum etiam detegit inconstantiam, quæ à confictis mendaciis haud potest abesse. Primùm hoc dicit, fidem tantæ esse efficaciæ, vt res præsentes faciat, non quidem, inquit, realiter aut substantialiter, sed spiritualiter. Hæc iste. Paulus notat fidem esse argumentum rerum non apparentium, videlicet vt quæ secundum carnis sensum nos lateant, illa tanquam per speculum cernamus fide. De speculo autem non propriè dicimus, rem quæ absit, speculi vi præsentẽ fieri, sed rem præsentem mõstrare speculum, atque ita quomodo se quæque res habeat monstrare. Verbi gratia: quum hominem monstret, si iaceat homo, iacere eum, si sedeat, sedere, si ambulet, ambulare, si vestitus sit, cum vestibus, si nudus, sine vestibus. Nam aliquid aliter speculo referri, quàm rei habitudo postulet, reprobatur in speculo, nec in vero speculo potest accidere. Et certissimum nobis est speculũ Christiana fides, quæ de Christo nihil aliud mõstrat quàm quod sit verissimum, adeò quidem vt si verum sit quod contendunt Sectarij, corpus Christi vno cœli loco ita contineri, vt illud nobis in mysterio non sistatur: fides iam quæ nobis pro speculo est, Christi corpus nobis in vno cœli loco monstrat, & vbi sedet in gloria monstrat regnantem, quatenus quidem certè nostra fides eius magnitudinis sit capax, & si aliquando propter nostrã imbecillitatem fides aliquando omnia nõ plenè exprimat, certè quod non est, nunquam addit, vt si tantùm in cœlo Christus sit, alibi quàm in cœlo Christum monstret, qui si ibi præsens non est realiter & substantialiter *Hebr. 11.*

præsens, quò tandē euanuit illa diuina corporis substantia si in cœlo non est? vbi & non alibi Christi corpus Sectarij possunt videre. Ergo quod agitur cōcludam hoc dilemmate. Si vera est fides quam docent Sectarij, Christi corpus extra cœlum exhiberi non posse, & in solo maiestatis solio esse posse: erit illis eorum fides illius veritatis certum argumētum, lux, demonstratio, speculum, vt Christi corpus in cœlo esse, & nobis abesse monstret ac significet, vltra quod nihil potest fidei efficacia, ne si aliter ac res habeat monstret, seipsam perimat ne sit fides. Secundum quæ vbi fides monstret præsentiam, ibi detrahere realiter & substantialiter est absurdißimū. Sui autem hæc vera sit fides quam tradūt catholici, quæ est profectò verißima, Christi diuinum corpus simul in cœlo esse, simul fidelibus in mysterio manducandum dari, quando hanc nobis præsentiam fides mōstrat, & certum sit eius argumentū, quo intelligamus adesse quod sensus non assequuntur: quomodo fiat vt corpus Christi à re diuidā? quod si non est res, nihil est: tum autem quomodo à substantia abstraham, sine qua non est corpus verū, vt dicat nec realiter nec substantialiter adesse, quod verè adesse vera fides indicat? Neque enim vna est ratio horum aduerbiorum, realiter & substantialiter, quæ est illorum, corporaliter & carnaliter. Hæc enim & ad rei veritatem referri possunt, & ad præsentiæ modum, quoniā sunt composita, à quibus deriuantur. Illa verò, realiter & substantialiter, quoniam à simplici natura deducta sunt, vnam rei existentiæ veritatem respiciunt, nō existentiæ modum, & ideò rem negare præsentem realiter aut substantialiter, non est modum præsentiæ negare aliquē: sed ipsam præsentiæ veritatem refutare. Itaq; hic regulator dum iis aduerbiis (realiter & substantialiter) opponit suū, spiritualiter, (suum dico quoniam libenter hoc aduerbio vtuntur ad fallaciam) sed dum illud opponit, Christū quodammodo excludit cœlo, quasi spiritualiter, realiter, & substantialiter aduersentur, quū certum sit Christum totum Deum & hominem spiritualiter, realiter & substantialiter habitare cœlum, & ecclesia catholica verè confitetur Christū, Christi verum corpus realiter, substantialiter, & spiritualiter adesse nobis in mysterio, rem illam diuinā & gloriosam substantiam, verè cœlestē & spiritualem, spiritus opificio spirituali modo, & spiritualiter esse præsentē agnoscentes, secundum fidei catholicæ certißimā veritatem. Sed subdit

regulator

regulator, Istas res verè amplecti fidem. Quomodo inquã verè amplectitur quod profitemini verè non esse presens, id est, vt etiam ipse Bucerus interpretatur, substantialiter non esse, quũ vt ille vult, verè ac substantialiter conuertantur? At verò vt ista fidei efficacia quam iactat Sectarius, ex scripturis doceatur, affert huc verba Pauli ad Galathas, Christum ob oculos Galatharũ fuisse crucifixum, quæ per allegoriã dicta sunt, metaphoris etiam variè apud authores explicatis, quibus verbum Græcum προεγράφη, quo Paulus eo in loco vtitur, sua fœcunditate subseruit. Significat enim depictum esse, descriptum esse: siue etiã proscriptum, id est, in exilium actũ esse: quod Galathis exprobrat Paulus, vt quidam intelligunt, quoniam Christum semel admissum pasi sint ipsis videntibus exulare, & in eis denuò quasi crucifigi. Qui verò προεγράφη, depictum esse intelligunt, efficaciam prædicationis notant potius quàm fidei illorũ, etiamsi nisi illi credidissent, nõ eam energiã prædicatio habuisset. Sed illud mecum perpende Lector, agitur in hac regula de veritate dogmatis, & citatur ex Paulo allegoria, quæ semper inepta est ad constituendum dogma, multo verò ineptisima quum sit locus ambiguus & perplexus, variis interpretamẽtis exagitatus. Cæterùm (vt in ore duorum stet omne verbum, quum quid dicant non referre putetur) adiicitur ex scriptura alius locus: Sic, inquit, & Abrahã dictus est vidisse diẽ domini. Illud quæro, quomodo sic? vt Galatæ ne? quum illis Pauli verbis quid significetur non vsquequaque consentiant interpretes? Abraham certè vidit monstrante fide quod erat futurũ: vera enim verè credidit, & quomodo diuus Petrus scribit de prophetis, quod de hac salute exquisierunt & scrutati sunt prophetæ, qui de ventura in nobis gratia vaticinati sunt scrutantes. Ad quem aut cuiusmodi temporis articulum, significaret qui in illis erat spiritus Christi, qui prius quàm acciderent, testabatur vẽturas in Christum afflictiones, & quæ essent consequuturæ glorias: quibus & illud reuelatum est, quod haud sibi ipsis, imò nobis ministrarent. Hæc diuus Petrus de spiritu Christi in prophetis, qui idem fuit in Abrahamo vt diem videret domini, sed quomodo re vera erat ille futurus, etiam futurum vidit, quemadmodum & prophetę, non dum præsentem vidit, quoniam verum in veritate vidit, spiritu veritatis illuminatus. Atque hoc animaduerte lector, quàm parum aptè coguntur in vnam pro-

Galat. 3.

1. Pet. 1.

bationem hæc duo loca, quorum alter præteritum respicit de Christo crucifixo, alter futurum de Christo nondum nato, ex quibus extremis conatur hic argutator confirmare, quiddam fieri fidei efficacia præsens. Efficacia fidei persuasit Galathis Christum crucifixũ, sed in præteritum abiisse persuasit: Abrahamo verò nondum in terris fuisse, sed certò futurum persuasit fides. Et nunc id agitur, vt quia fides efficacia sua præterita & futura ex veritate monstrauit, eadem efficacia sua, quæ verè præsentia non sunt, statuat tamen præsentia esse contra veritatem, quum veritas sit obiectum fidei, secundum quam potest, & contra quam nihil potest. Montes quidem mouet efficacia fidei, dæmones fugat, morbos pellit, & Deo cooperante quæ natura & conditione sua mobilia & mutabilia, præter naturæ leges tractat, vnde fiant quæ confitemur signa, miracula. Ipsam verò veritatem quæ est sui conditione immobilis, nihil aliud quàm contemplatur, indicat, monstrat, & lumine diuinitus immisso reuelat fides, vt quod in diuinis operibus verè fiat ita fieri, quod verè sit ita esse, nec aliter esse illa, fidei dono imbuti cognoscamus. Quæ quum ita sint, tamen infertur illud. Atque secundum hoc, inquit hic regulator, veteres eundem Christum habuerunt in sacramentis, quo & nos fruimur: quod ipsum significat veteribus (secundum catholicæ fidei veritatem) abfuisse Christi corpus, quod nondum erat assumptum, nobis verò adesse in sacramẽto, propter verba Christi instituentis, & post corpus assumptum dicentis, vt Theophilactus interpretatur, Hoc quod sumitis est corpus meũ. Sed vt magistralẽ huius regulatoris conclusionem perstringam paucis, Docuit nos hic Magister, præsentiam rei quæ verè absit, quam tamen licet realiter absentem, vult haberi præsentem, propter auctoritatem fidei, cui vt in montibus transferendis, sic etiam in veritatibus mutandis tribuit potestatem.

Theophilact⁹ in Mar. 14.

DECIMA REGVLA.

EST ETIAM OBSERVANDVM, PER AL-*ternationem & communicationem proprietatum, quia natura diuina Christi, nobis verißimè adest, hoc ipsum communicari posse humanitati, vt Christus cùm loqueretur in terra, filium hominis dicebat esse in cœlis, & sic humanitati attribuebat quod fuit diuinitatis. Et hoc pacto*

in com-

in communione naturam humanam Christi nobis adesse concederem, etsi per communicationem idiomatum exponerem.

CATHOLICVS.

VIS huius regulæ in prima fuit: sed quomodo hîc specialiter explicat, constituit aliam, quæ eò valet, ne humanitatem Christi in Eucharistia præsentem credas, sed diuinitatẽ solam. Ita vides in regulis istis fieri itidem vt in legibus, vt posteriores prioribus derogent. Nam secundum hanc regulam corpus Christi ne fidei quidem efficacia vnquã adest, sed sola diuinitas, nisi quatenus nominetur adesse propter communicationem idiomatum, quomodo filius hominis à Christo dicebatur in cœlo, & quomodo dicimus deum crucifixum, quorum dictorum veritas in altera natura intelligitur. Hæc machina est subsidiaria, vt si illa fidei efficacia, de qua non minus cõfidenter loquitur, nõ substiterit, huc sit receptus ad communicationem idiomatum, vt potius quàm apertè prosternaris, eleganter cedas, & te quasi latere tecto subducas, iis verbis sensisse te, quum de Christi humanitate præsente diceres, secũdum figuram alternationis, quam aliter efferunt communicationem idiomatum, id est proprietatum. O doctrinæ cõstantiam? quod efficacia fidei iam aderat, rursum communicatione idiomatum abest, puerili sententia, quam deridet comicus: volo nolo, & volo rursum, imò nolo.

VNDECIMA REGVLA.

VBICVNQVE LOQVVNTVR PATRES DE *vera præsentia & manducatione corporis & sanguinis, quibuscunque verbis id exprimant, intelligendum est quod loquuntur, vel quoad diuinam naturam, vel figuratiuè, vel spiritualiter.*

CATHOLICVS.

ISTA sub nomine regulæ censura est, & summam resipit authoritatem, præ se fert postea nescio quid augustius: sed videamus quid insit. Sub nomine corporis & sanguinis Christi, sentit diuinam naturam aliquãdo posse intelligi, quod vt detur posse: tamen in sacra-

mentali manducatione humanam ſe naturam dare Chriſtus teſtatus eſt, quum de corpore loqueretur quod pro nobis daret, nec (vt Cyrillus confitetur) diuinitatis natura manducatur, ſed humanitatis. An autem corpus & ſanguis figuratiuè intelligi poſsint, aliàs à me tractatum eſt, in refutādis cauillationibus, & quum, vt Hilarius habet, interius in veritate veritas creditur corporis Chriſti, non poteſt de vmbra, id eſt, de figura intelligi. Quòd verò addit vel ſpiritualiter, quoniam hoc verbi ad modum manducationis pertinet, nō vt imminuat veritatem rei manducatę, iungitur à catholicis ſacramentali manducationi, vbi boni communicant, qui & corpus Chriſti ſub viſibili ſpecie datum accipiunt, & pia animi meditatione & pura pectoris innocentia in os admittunt, quomodo Chriſtus & docuit, inde mādueaturi. Quatenus verò verbum ſpiritualiter veritaté ſacramentalis manducationis excludit, nititur authoritate cum imperio edicentis, non ſacris ſcripturis & eccleſiæ dogmate, quæ ſola ſequi & amplecti debeamus.

Cyrillus ad Theodo. de recta fide.
Hilarius Pont. Ro.

DVODECIMA REGVLA.

VBICVNQVE PATRES DICANT NATVram *panis mutari, capienda eſt natura pro proprietate, vt in Cypriano. Vbi verò naturam panis non mutari, capienda eſt pro ſubſtantia, vt in Gelaſio.*

CATHOLICVS.

SI intelligas in Cypriano naturam ſignificare naturæ proprietatem, & eam proprietatem mutari: occurret mox epiſtola Ioānis Cōſtantinopolitani, quæ Chryſoſtomi dicitur, quæ verbis apertis dicit proprietates naturæ manere, ſic loquens: Proprietatis conſeruatagnitionem vnaquæq; natura in perſona Chriſti, quod videtur exigere in ſacramento. Quòd ſi per mutationem intelligas acceſsioné, abſurdiſsimum erit fateri corpus Chriſti ita accedere pani, vt ſit eius proprium. Quinetiam ſi naturæ panis vt proprium accederet, quomodo dicerentur duæ naturæ exiſtere, quum in proprietatem alterius altera conceſſerit, etiam alieni quaſi iuris effecta, in ſuo manere iure & proprietate haud poſsit videri? Poſtremò ſi omnes excutias

panis

panis partes, proprietates omnes, nihil proprietatis decessisse comperies: sed manere in accidentibus. Appellatur panis, manet effigies quæ erat, manet pondus, color durat, gustus est idem qui fuerat, denique corrumpitur: addere autem significationẽ nouam, quod figuratores volunt, non est nouæ proprietatis quicquam adiicere, nã & antea significabat panis corpus Christi, & si quid nunc addatur, adscititium quiddam, proprium non naturæ sed gratiæ. Quod verò volunt naturam apud Gelasium, quia mutari negatur, significare substantiam: expediant ergo quid sit quod idem dicat Gelasius, trãsire in diuinam substantiam, in quam ne gemina consistat substantia, quod verba Christi nõ ferunt, desinat illa panis necesse est. Illud sanè veritati consonantissimum, vt natura apud Cyprianum quæ mutari dicitur, substantiam significet, & quæ apud Gelasium non mutatur, proprietatem. Nam natura nomen & substantiam naturæ & proprietatem eleganter significat, quod & hic regulator non diffitetur.

Confutatio solutionum quibus Sectarii diluere conantur quædam catholicorum argumenta.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

Promisit dominus se daturum nobis in panem carnem suam, dicẽs: Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, sed quod promisit Christus, nõ legimus præstitisse nisi in cœna: ergo in cœna dedit carnem suam, eandem scilicet quã dedit pro mundi vita. Pręterea quod datum est pro mundi vita, nõ fuit substantialiter panis: ergo nec hoc quod dabatur in cœna, fuit substantialiter panis.

SOLVIT SECTARIVS.

FATEMVR CHRISTVM PROMISISSE VE*ram carnem suam se daturum in cibum, & præstitisse maximè in cœna, sed non solum. Nam præstat quoties illum verè pro nobis mortuũ credimus. In cœna autem dedit veram carnem suam non realiter præsen-*

tem: sed

tem: sed significatione, & non carnaliter manducandam, sed fide percipiendam, & spiritualiter manducandam, & plus in cœna præstitit quàm promisit. Nam illi mãducationi spirituali addidit symbola panis & vini, quæ symbola adsunt realiter, & dantur carnaliter manducanda. Et si dicimus duo esse data in cœna, panem naturalem symbolicũ, qui est caro Christi, non substantialiter sed sacramentaliter per significationem, & verum corpus Christi per fidẽ spiritualiter manducandã.

CONFVTAT CATHOLICVS.

Si hanc solutionem recipimus, fateamur oportet quod est absurdissimum, ęquipollere rem, & rei significationem, vt rem pollicitus videatur promissis satisfecisse, quũ dederit significationem. Sed expendamus huius solutionis partes. Dicit Sectarius Christum dare carnem, quoties illum verè pro nobis mortuum credimus. Sequitur igitur quoniã à Catechumenis iam baptizandis, huius articuli fides antequam sint in Christo regenerati, exigatur, alantur nondũ renati ex aqua & spiritu sancto, Christi carne, quod est ipsam sacramentorum rationem confundere. Tum & illud vide. Sectarius quod est nostri officij, & nostrarũ partium in manducando, ita verbis annectit, quasi pars sit dationis ipsius rei. Non malè loqueretur ita, nos admonẽs fide à nobis percipiendũ quod datur, hoc est, fide intelligendũ, vt diiudicemus corpus domini, vt dignè defungamur manducatione. Sed argumentũ catholicorum vrget veritaté carnis ab ipso Christo datæ in sacra cœna: & Sectarius admiscet quomodo nos intelligamus adesse, si adesse permitteret, & vtamur dignè data, siquidem vellet cum catholicis confiteri datam. Sed clarè dicit nihil adesse præter significationẽ, quæ non est præstatio ipsa, sed præstationis futuræ noua & iterata pollicitatio, & quædam quasi procrastinatio carnis dandæ. Vnde ridiculum est quod hic fingit Sectarius, spirituali mãducationi addita symbola: neque enim significant symbola actionem manducantium, vt spiritualiter manducans, à non spiritualiter manducante distinguatur symbolis: & addi symbola spirituali manducationi, significat ea manducationis peractæ signa esse, vel si futuræ spirituali manducationi addita sint, nunquam symbola accipiet indignus, qui spiritualiter non manducat, adeò symbola ista actionis Christi dantis signa

tis ſigna ſunt, non hominis manducantis, adeò non dicantur rectè addita ſpirituali mãducationi. Omnes Patres catholici tradũt Chriſtum in ſexto Ioannis promiſiſſe carnem manducandam dare, & in cœna dediſſe, diſtinguẽtes à promiſsione ipſam dationẽ, quod ſecundum iſtos ſectarios non fit, quia ſymbola ſecundum hos nihil aliud quàm alio ſermonis genere, id eſt viſibili verbo, promiſsionẽ ſemel quũ doctrina traderetur factam, in cœna repetunt, & repetũt quaſi cum cõditione noua, ita demum videlicet Chriſtum daturum carnẽ, ſi ſymbola illa dignè ſuſceperint, & mãducauerint cum fide, nec quauis fide, ſed quæ tantæ ſit efficaciæ, vt quaſi cunctantem carnem inuitet & acceleret, imò Chriſti thronum vbi regnat, petat & ibi manducet. Et hæc fingunt Sectarij vt veritatem ſacramẽti eludant, in quo Chriſtus ſua manu dat, exhibet corpus ſuum comedendum, quomodo promiſerat, & in os noſtrum mittit, vt ipſa vera præſentia fidem noſtram excitet, & augeat ad præmium, nec viuis doctrinæ verbis ſubſtituit in cœna mutarum & inſenſibilium creaturarum voces, quaſi magis afficiamur concionante pane, quàm concionante homine. Quod autem Sectarius aduerbio ſubſtantialiter opponit ſacramentaliter, id in Euchariſtiæ ſacramento abſurdum eſt, quum huius ſacramenti ſit poſt conſecrationem materia ipſum Chriſti corpus, quod ex verbis eius præſens credimus: quoniam diceret, Hoc eſt corpus meum, quum hoc inſtitueret ſacramentum.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

VErba Chriſti ſunt clara & perſpicua, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur: Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effunditur. quæ declarant ſubſtantiam illius quod diſcipulis dedit, in quibus ſi admittamus tropos, nihil erit tutum ab hæreticis. Nam niſi verba hæc eſſent ſimpliciter accipienda, ita vt ſonant Euangeliſtæ, inter ſe nunquam tanta concordia conſenſiſſent.

SOLVIT SECTARIVS.

PERSPICVITAS VERBORVM NON EST *tantopere obiicienda. Nam omnes hæretici ferè collegerunt suas hæreses ex eo sensu quem verba præ se tulerunt, sed oportet ex aliis scripturæ locis & circunstantiis bene respicere quid hîc agatur: Christus ne beneficium mortis suæ intercidat, hoc sacramento refricari voluit, vt fide volueremus in animo, Christum pro nobis in mortem traditum, & id credendo manducaremus corpus eius, quod vt efficacius fieret, panis & vini symbola fuerunt addita, cúmque dicit, hoc est corpus meum, fuit ac si diceret, Corpus meum pro vobis tradendum, si fide ac spiritualiter à vobis manducetur, est pro pane, vel instar panis ad vos nutriendos ac sustentandos, & sic est metonymia, quum signo tribuitur nomen signati, vel synecdoche, quum de toto vel parte dicitur quod est alterius partis. In hac interpretatione omnia sunt facilia, vitãtur absurda, & vnus scripturæ locus non pugnat cum aliis. Præterea talis phrasis & tropica locutio, frequens est in scripturis, vt, Semen est verbum Dei, Petra est Christus, &c.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

HAEretici lucem tenebras, & tenebras lucem dicũt: sed certam perspicuitatẽ sequitur ecclesia catholica. Quod autem hîc prouocat ad collationem scripturarum, quæ in sensu contrauerso diiudicãdo rectè adhibetur: iniuria est tam perspicuæ, & ab ipsis ecclesiæ incunabulis receptæ veritati, præsertim quum in vniuersa scriptura nihil reperiatur, quod & Erasmus annotauit, quod opponatur iis verbis (hoc est corpus meum.) Sed vice collationis quam requirunt, proferunt isti capitis sui somnium, cuius vt in ægrotis fit, vanæ finguntur species. Nam suum cuique commentum placet, nec sequitur ferè quisquam quod sit alterius. Verba interim mutuantur à catholicis, veluti sunt illa, Christum ne mortis suæ beneficium excidat, voluisse hoc sacramẽto memoriam nostram refricari. Nam & hoc dicunt catholici. Tum quod fidem isti exigunt, cum catholicis consentiunt. Quod verò Sectarij fidei nostræ prætextu, admirabilem illam Christi in corpore suo dando actionem eludunt, in eo à catholicis dissentiunt. Istud suum (efficacius) quod verbo dant, symbolis concionantibus non expli-

explicant: imò omnem efficaciam in fide ponunt, & ex illis sunt sectariis, qui dicant nos carnem Christi non minus verbo accipere quàm symbolis. Accersunt è grammatica figuras loquendi, vt proprium literæ sensum auertant, id est, mysterium euertant. Nam & hoc in loco secundum sensum, quem iste affingit, nihil omnino in cœna dedit Christus, qui nihil aliud quàm docuit virtutem corporis, & quomodo iste facit Christum loquentem, non est à mortis Christi beneficio alimonia spiritualis. Nam corpus, inquit, illud tradendum, est pro pane, vel instar panis: tradendum dicit, non traditū, dum hunc cōcinnat sensum, quum Hieronymus notet diuinam & spiritualem carnem dari manducandam, qua dote Christus carnem quum daret dotauit, quam vt propriam dedit (vt Cyrillus notat) & carnem dei de qua vt de sacrificio mādúcamus, secundū Hesychiū, & ideo corpus traditum alit, non tradendum. Vnde Christus seipsum sacrificauit in cœna propriis manibus, vt corpus tradēdū postea Iudæis iam porrigeret, quasi sacrificatū suis manibus. Sed vt Sectarij sensum, quem verbis Christi affingit consideremus: Quis vnquam legit interpretationem magis coactam & magis violentam? Vbi quod est in subiecto obscurum, sub demonstratione (Hoc) efficitur declaratio prædicati, per transpositionem terminorū & suppositionem noui sensus, atque hanc nobis difficultatem & obscuritatem ingerit Sectarius, vt alia reddat facilia, quasi quod inferiori rationi sit perspectu difficile, id sit nobis in Christi verbis carnalis ingenij lumine illustrandum, ne Christus credatur quid aut fecisse aut dixisse supra captum nostrum, vt siue credamus Christum filium fabricatoris dei (vt Ireneus dicit,) siue negemus, nihil referat, quū verba Christi, si istis permittamus figurarū admouere machinas, nullo negotio sint in sensum humano captui facilem impulsuri, ne vsquā rationem offendat difficultas. Nam quod ab iis dicitur, vitanda absurda, significat abolēda mysteria, quæ animalis homo deputat stulta, quòd aduersentur (quam vnam nouit, si tamen illam nouit) rationi carnis. Additur à Sectario nullam fore pugnam locorum: simulat videlicet contentionem vbi nulla est, vt ad instar Labionis Romani arbitri, aliquid efficiat in medio relinqui quod veritati subtrahatur. Concludit postea similes esse phrases in scriptura, quod est falsissimum, quum non alibi in vniuersa scriptura sit similis causa

Hieron. ad Ephe. lib. 1. cap. 1.
Cyrillus ad Theodosiū.
Hesychius in Leu. lib. 1. cap. 4. & lib. 2. ca. 8.
Cice. offi. 1.

dicendi, quæ ſecundum Hilarium ſuppeditat intellectum. Nullibi enim in inſtitutione ſacramenti reperire eſt ſimilem loquendi formam. Nam illa, ſemen eſt verbum dei, & Petra erat Chriſtus: non ſolùm in cauſis dicendi differunt, altero enim declaratur parabola, altero figura teſtamenti veteris, ſed in ipſis verbis & verborum vi, quum in verbis Chriſti diſparatum non prædicetur de diſparato, ſed pronomini hoc explicando adiicitur in prædicato corpus &c. In illis verò, Petra erat Chriſtus, Semen eſt verbū dei: diſparatū prędicatur de diſparato, quod interpretamur per ſignificationem, vt ſit prædicatio non ſecundum proprietatem naturæ, ſed per analogiam ſimilitudinis.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

PRopoſitiones huius generis vt iſta, Hoc eſt corpus meū, accipi debent, vt prædicatū idem referat quod ſubiectū, niſi aliquid ante vel poſtea in ſermonis contextu reperiatur, quod nos ad tropum adigat, quod hîc non inuenitur. Imò quæ conſequuntur, ad ſimplicitatem propoſitionis nos potius reuocant, nam dicitur, quod pro vobis traditur, & planum eſt traditum fuiſſe ipſiſsimum corpus Chriſti.

SOLVIT SECTARIVS.

NOS (INQVIVNT) NE ITA ACCIPIA*mus multis conſiderationibus mouemur. Primū Chriſtum in cœna adfuiſſe, vnde non opus erat vt apoſtolis oſtenderet corpus ſuum: videbant enim ipſum. Deinde qui fieri potuit, vt ipſe manducaret realiter & corporaliter ſeipſum? Eum verò communicaſſe cum apoſtolis patres aſſerunt. Prætereà planum eſt in cœna myſtica bibiſſe vinum: nam ipſe ait, Poſthac nō bibam ammodo de hoc fructu vitis, qui fructus, vt ait Chryſoſtomus, eſt vinum naturale. Tum reſpicimus quod hîc agitur de memoria, vbi tropus indicatur. Videmus etiam aduerſarios mutare tempora, vt quod per præſens enunciatur de traditione corporis & effuſione ſanguinis Chriſti, in præteritum interpretentur. Cōſideramus poſtea aduerſarios non poſſe carere tropis conſecrando, quia verbum, eſt, accipiunt pro, conuertitur, tranſubſtantiatur, vel fit. Videmus etiam Chriſtum inſtituere ſacramentum, vbi conuenit vt per ſignificationes tropicè ſymbola accipiantur iuxta naturam ſacramenti, quæ eſt vt ſit ſignum. Re*-

ſpicimus

spicimus & ad ascensionē Christi in cœlum, veritatē humanæ naturæ quam assumpsit. Et verba Christi sexto Ioannis, quū dicitur Capernaitis, verba mea sunt spiritus & vita, caro non prodest quicquam, nimirum carnaliter manducata: spiritus est qui viuificat. Rursus considera mus Paulum, qui panem hîc ponit quàm apertissimè, vbi aduersarij vo lunt tropum esse, qui nostrum tropum tantopere auersantur. Audimus etiam Paulum attestantem veteres habuisse nobiscum eadem sacramen ta: nam Augustini sententia non satis illi fuit dicere, eos habuisse spiritualem cibum & potum: sed adiecit eundem. Videmus præterea vicinas istis locutiones tropicè accipi: nam dicitur panis quem frangimus, communicatio corporis Christi est, & hic calix nouum testamentum est. Deinde non propriè conuenit corpori Christi, vt edatur. Postremò certum est quòd non accipiamus illud corpus quod tradebatur, nam id & visibile fuit & passibile, neq; in eodem subiecto possunt simul con uenire & corruptibilis corporis conditiones, & dotes glorificati.

CONFVTAT CATHOLICVS.

HAEC ferè sunt in aceruum hîc coacta, quæ alibi separatis obiiciunt argumentis, quibus suis locis abunde responsum est. Itaque hîc breuiter quid sit dicendum, perstringam. Quod ad primam consideratione̅ attinet, Agebat id Christus in cœna, vt iugem passionis memoriam institueret, cui exprime̅dæ vera corporis ipsius passi præsentia efficacissima esset, non quæ visibilis corporeis oculis: sed quæ fidei oculis perceptibilis, & sensibus insensibilis exhiberetur, quod magnum simul credulitati nostræ præmium impetraret, & hominem ab externis auocans, ad contemplanda cœlestia excitaret: vt qui secundum speciem visibilem Christum in carne non noscunt, noscant iam per fidem in sacrame̅to præsentem. Non enim corpus quod oculis carnis videbãt, comesturi essent: sed illud quod in sacrame̅to verè dabatur, oculis fidei cognoscendum, vt discamus ibi in fide videre Christum, & cognoscere in fractio̅ne, quòd symbolum foret exprimendæ passionis. Postremò ita se dare Christum opus erat, vt promissionem dandæ carnis perimpleret, quam visibili specie datam non comedissemus præ horrore. Secunda consideratio quæ quærit qui fieri potuit, Iudaica est, nõ Christiana, quando

qui Christiani sunt, credunt Christum quod facere voluerat, etiam facere potuisse, qui quum esset deus, posse & velle ex æquo haberet. Tertia consideratio vana collectione nititur, quum verba non probent Christum bibisse vinum, sed quod benedictione confecerat sacramentum. Quarta consideratio de tropo inconsiderata est, memoria enim agitur præteritæ mortis, quæ præsentis corporis exhibitione ἐναργῶς exprimitur. Quinta consideratio ridicula, quum verba illa indicent actionis certitudinem, nõ tempus. Certum enim est corpus traditum, & sanguinem fusum fuisse, quoniam Christus traditum & fusum dixit præsenti tempore, nullo tropo sed consueto loquendi modo. Sexta consideratio est leuis, nam catholici simplicitatem sermonis sequuntur, vt sit omnino quod Christus esse dicit, qui quum de vna substantia pronuntiat, illam esse corpus suum verbis Christi inhærentes: illam vnã esse profitentur catholici, & quam Christus declarauit, videlicet corporis sui. Septima consideratio pro catholicis facit. Nam quia Christus instituit sacramentũ, credamus rem, id est substantiam sacramenti, ex eius verbis qui dixit esse corpus suum. Quoniam autem sub formis panis & vini dedit, illas intelligamus sacramenti partem visibilem, id est post consecrationem sacramenti formam, quæ nomen substantiæ & materiæ sacramenti induit quidem & accipit, sed tamen ἀκριβῶς figura dicitur, & quod intus in veritate creditur, vt Hilarius ait, ipsa est veritas. Octauam considerationẽ expedit Cyrillus, carnem videlicet Christi propter mysterium ineffabilis vnionis quodammodo spiritum esse, quoniã vt spiritus sanctificat, de quo aliàs abunde est dictum, vt non sit necesse hîc inculcare. Nona consideratio quæ de Pauli verbis est, tenuis admodũ est, neq; enim iusta sit causa, vt verbis Christi intelligendis accersatur ideò tropus, quòd diuus Paulus dum mysterium tractet, aliquando vtatur tropo, si modo vtatur, neque enim in confesso est, in panis appellatione apud Paulum tropum esse, sed communiorẽ panis appellationem vsurpari, quæ tam propriè significat omnẽ cibum, quàm ex aqua & farina factũ & coctum panẽ. Quod propriè dico, ad veritatem significationis dico, ne quis de significatorum proprietate cauilletur. Decima consideratio de sacramentis veterũ, aliàs refutata est. Vndecima consideratio nulla est: nam fractio illa in signo explicatur verè, in mysterio autem mysticè, quia

Hilar. p. p.

Christi

Christi corpus sine fractione frangitur, quo pasionis memoria illo symbolo apertius repręsentetur, & tropus qui in (calice) est, apud alios Euangelistas propria locutione refertur. Duodecima consideratio non propriè cõuenire Christi corpori vt edatur, carnis est consideratio, non intelligentis mysterium, secundum quod ex institutione Christi fit proprium obtinente fide, quod erat minus propriũ contendente ratione. Nam proprium esse incipit quod Christus instituit, in cuius voluntate ratio quærẽda non sit, quando summa est regula rationis. Vltima consideratio sophistica est, quæ ab accidentibus definit substantiam corporis, quum nihil prohibeat visibile & inuisibile diuersis relationibus de eodem corpore prædicari, de quo aliàs in soluendis argumentis est dictum. Atque hæc quum ita sint, apparet istos figuratores quæsitis causationibus à veritate deficere, nec vt desererent veritatem argumentis adactos, sed vt desertæ per malitiam veritatis crimẽ celẽt, prætextus quosdam vanos & ineptos fingere, & specioso appellare nomine considerationes.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

PAulus demonstrat corpus domini esse id quod traditur, quum inquit, qui manducat & bibit indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Item iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini.

SOLVIT SECTARIVS.

HOC NIHIL EST, QVIA AMBROSIVS *respondet quoad primum locum, sic dicens. Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare mortis domini? Occisus est enim pro iis qui beneficium eius in irritum ducunt. Ecce quid vocat reos esse corporis domini. Neque ad hoc requiritur transubstantiatio. Et indignè sumentes asseruntur non diiudicare, hoc est, in precio nõ habere corpus domini, quia tanta est coniunctio inter symbola & significata, vt istorum contumelia in illa redundet. Præterea Paulus scripsit ad Corinthios, qui non penitus destituti erant fide, sed laborabant alicubi infirmitatibus, & tales non tantùm accipiunt symbola, sed etiam habent corpus Christi. At non habẽt infideles, Epicurei, ἄθεοι, & ab ecclesia excisi. Vnde de Corinthiis dici potest rectè, non solùm quoad symbola, sed etiam ad rem sacramẽti, quòd*

rei

rei essent corporis domini, quòd non diiudicabant corpus domini, quum ista fide perciperent, & vita non exprimerent. Et notandum est quòd Paulus quum agit de sacramẽtali actione, id est, esu & potu, panis meminit, sed quũ postea vitium est exaggeratũ, meminit corporis domini.

CONFVTAT CATHOLICVS.

QVOD ad Ambrosium attinet, quatenus reos esse corporis domini ita interpretatur, vt pœnas dent mortis domini: cum illis consentit qui par esse crimen eorum aiunt, qui indignè manducant, cum iis qui Christi sanguinem in cruce fuderunt, quod certum est argumentum præsentiæ corporis domini, quæ præsentia corporis ostendit in sacramento absentiã siue desinentiam substantiæ panis, quæ est transubstantiatio, non in id requisita (quod stultè infert Sectarius) vt qui indignus manducãdo deliquit puniatur, sed dum veritas mysterij prædicatur, necessariò confitenda. Contumeliam quæ in Symbola fiat, in ipsa significata redundare non est ambigendum, sed gradu tamen remotiori, ne par sit pœna violantiũ symbola, & ipsam indignè tractando substantiam corporis Christi, nam pro qualitate criminis sit plagarum modus. Et licet domino per seruũ, patri per filium, marito per vxorem fiat iniuria: non est tamen eadem, neque tam atrox quæ in nos per alios deriuatur, atque est ea quæ nos proximè & immediatè con-
Act.9. tingat. Et Christus in corpore mysticè patitur, qui dixit, Paule quid me persequeris? sed aliter passus est in corpore naturali: Ergo redundat in Christum cõtumelia, quoties verbi prædicatores spernimus, quoties sacra verba vel negligenter audimus, vel non retinemus: & tamen non sic legimus vindicatum, vt quia beneficium Christi negligitur, ita dicatur quis reus corporis & sanguinis domini, vt pro-
Luc.10. pter hoc infirmi sint multi, & dormiant multi, etiamsi generaliter
Rom.1. dicatur, qui vos spernit, me spernit: & reuelatur ira Dei de cœlo in
Hebr.6. eos, qui veritatem Dei in iniustitia detinent: & qui iterari baptismũ vellent, iterum viderentur crucifigere filium Dei. Sed indignè comedenti panẽ, qui nihil aliud esset quàm visibile verbum, & significaret modo, proponi pœnam mortis corporis & animæ, & in lege noua quæ est fauoris & gratiæ: non est cæteris eius partibus consentaneum. Vnde istud commentum huius Sectarij non penitus destitui fide,

ſtitui fide, ſed laborare infirmitatibus: oſtendit eum ipſum in hoc loco tractando laborare conſilij infirmitate, dum huc confugeret, qui videbat Paulum ſentire indignos accipere corpus Chriſti, & ideò dicit Paulum ſcripſiſſe Corinthiis, qui non penitus deſtituti erant fide: ſed laborabant aliquibus infirmitatibus:& tales inquit Sectarius,non tantùm accipiunt ſymbola, ſed etiam habent corpus Chriſti. Hîc ego occinerem illud Pauli,ſi habent,ergo acceperunt: quid enim habes quod non accepiſti? Et quomodo acceperunt qui laborabant infirmitatibus, in quibus non vigebat fides, cuius efficacia haberent ſecundum ſectarios? nam indigni ſunt iſti, de quibus loquitur Paulus, quibus non audet Sectarius tribuere fidem, ſed dicit non prorſus deſtitui fide, quod eſt languere fidem, & modicam eſſe, vnde fit vt laborent infirmitatibus: & tamen ſecundum Sectarium habent corpus Chriſti, à quo Sectario quæro quod ille quærere ſolebat, quo inſtrumento acceperunt? vel oris vel fidei. De ore negabit, vt ſectæ inſeruiat. De fide non poteſt concedere, quia languet & modica eſt, atque adeò extrema linea hæret. Vnde eſt illud non penitus deſtitui fide, Hîc tenetur Sectarius medius, nec ſe poterit expedire, quomodo habeant corpus quos dicit habere, nec tamen accepiſſe in ſacramento. Itaque hinc dilabitur ad indignitatem conſequentem, nam & quidam indignè accedunt, quidam dignè accedentes, & dignè communicantes,quum iam guſtauerunt ſuauitatem domini, in cœnum ſe immergunt vitiorum & ſcelerum, qui non imitantur quem acceperunt. Sed hæc poſterior indignitas quæ in multis contingit,non excludit priorem. De Epicureis quod dicit, & ἀθεοῖς, fatetur eccleſia, vt alibi diximus. Quod autem notandum cenſet Paulum,quum agit de ſacramentali actione, id eſt,eſu & potu, meminiſſe panis, ſed quum poſtea vitium eſſet exaggeraturus, meminiſſe corporis domini,rectè dicit.Nam oſtendit Paulus in illo myſterio ſumpto, & in illa actione adfuiſſe corpus & ſanguinem domini, quem cibum verè cœleſtem ille indignus citra delectum vt cibos communes ſumpſit, non diiudicans corpus domini, quod verè ſub illis ſpeciebus aderat. Et panis appellationem ſignificare eo loco cibum congruenter dicitur, & additum pronomen(hunc)innuere cibi dignitatem, non quemuis cibum, & communem eſſe quem manducant, ſed hunc cœleſtem, &

1.Corin. 4.

ſic docuiſſe Paulum verè eſſe eundem qui daretur in cœna omnibus, quum Chriſtus ſuis verbis corpus ſuum ſe dediſſe fateatur & ſanguinem. Vnde ſacræ cœnæ accreſceret ex veritate æſtimatio, vt eam tantopere reuereantur boni, & improbi deterreantur ne accedant, pœnam luituri ſi ſecus fecerint, quaſi rei corporis & ſanguinis domini. Vt meritò ex hoc loco argumentũ duxerint catholici, corpus Chriſti verè in myſterio præſens, ſub ſpeciebus elementorum adeſſe, omnipotentia Dei præparatum in cibum myſticum, nõ fide ſumentium (quod Sectarij volunt) accerſendum, quando & mali in quibus lãgueſcit fides, corpus domini accipiant ad condemnationẽ.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

QVAE ſunt diſparata, id eſt, natura & ſpecie diſcreta, nullo modo poſſunt de ſe mutuò prædicare, vt lapis eſt homo, ergo quum certum ſit hoc quod Chriſtus dedit in cœna, eſſe corpus Chriſti, neceſſarium eſt non eſſe panem, & ſic per conſequens non adeſſe ſubſtantiam panis.

SOLVIT SECTARIVS.

FATEMVR DISPARATA NON POSSE *de ſe mutuò prædicare identicè, vt loquũtur ſcholaſtici, quum vtraque propriè ſumantur. At ſi prædicatũ analogicè ſumatur, tum per ſignificationem de altero rectè poteſt prædicari, vt ſemen eſt verbum Dei, id eſt, ſignificat verbum Dei: atque ita vera eſt propoſitio, Hoc eſt corpus meum: alioqui eſt falſum.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

ARgumentum catholicorum Lutheranos petit cõſubſtantiatores qui vocãtur, qui ſubſtantiã corporis Chriſti adeſſe fatentur, & vera præſentia ſubſtantialiter, vt ipſi loquuntur, etiam & corporaliter, in hoc cum catholicis ſummè conſentientes: ſed contendunt ſimul adeſſe ſubſtantiam panis, & illud (hoc) in verbis Chriſti interpretantur, in hoc, vel, cum hoc, quod quoniam ſine tropo non fit, Bucerus narrat quomodo in conuentu Bernenſi, quũ inter Sacramentarios, & Lutheranos diſceptatio ibi de ſacramento inſtituta eſſet, non potuiſſe

tuisse sensum suum è verbis Christi sine tropo in pronomine Hoc, elicere Lutheranos, & ideo quia sacramētariis tropum vicissim suū nō concederēt in verbo (corpus,) ab illo verborū Christi præsidio à sacramētariis fuisse eiectos. Et sanè solebāt irridere maximè Zuinglius & Oecolampadius illā Lutheri propositionem, Hic panis est hoc corpus: quia disparata de se mutuò non prędicantur, quo tamen argumēto, non ita vtuntur catholici, quasi è verbis Christi sumpto, tanquam sentirent Christū ita dixisse: sed hæc afferunt ex interpretatione Lutheranorū, vt ostendatur absurditas inde nata. At verò hic Sectarius ita arripit, quasi cōcederet hæc verba Christi, hoc est corpus meū: ita intelligi, panis est corpus. Et affert distinctionem scholasticorum, secundum quā non potest esse prædicatio identica duorum disparatorum, quod cōfitemur. Ergo, inquit, sit prædicatio per analogiā, ne falsa sit propositio, Hoc est corpus meum. Respondent catholici, hanc propositionem, Hoc est corpus meum, non confici ex duobus terminis disparatis: quia pronomē, hoc, in subiecto, non est naturæ termini disparati, de quo pronomine alibi dictū est fusius, & ideo non est similis illa propositio huic, Semen est verbum Dei. Sed hoc ita est. Argumentum quod catholici ab absurdis Lutheranorum assertionibus in illos torquent, hic Sectarius intelligit quasi confessum à catholicis, quod est longè secus.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

CHristus non temerè vsus est verbo substantiuo præsentis temporis, vt diceret, hoc est corpus meum quod, &c. Potuisset sanè dixisse, hoc significat corpus meū, hoc repræsentat, hoc est figura corporis, vel signū, aut hic panis est corpus meum: quæ omnia quum euitauit, simpliciter accipiendum est dictum vt ipse protulit.

SOLVIT SECTARIVS.

REGERIMVS IN VOS ARGVMENTVM, *quòd Christus nō dixit in illis accidentibus absque subiecto corpus suū latitare, neque asseruisse substantiam panis desinere esse, aut cōuerti, aut transubstantiari in corpus suū. Et apud patres istæ inueniuntur expositiones, quæ dicunt frequenter repræsentari, significari, designari, ostendi corpus & sanguinē domini, & symbola appellant panis & vinū, signa-*

culum, figurã, typum: antitypa, quæ non ad mortem, vt vos cauillamini, sed ad corpus Christi referuntur. Tum ostendimus ex sacris literis, vbi (est) accipitur pro significat, per multa exempla. Ergo infirmiter concludunt, nec debent obtrudere nobis huiusmodi phrasim.

CONFVTAT CATHOLICVS.

INiquè regeritis hæc, quæ nõ eadem ratione reiiciuntur à vobis, quomodo ecclesia reiicit quæ vestra sunt: quæ vestra eo spectant, vt magnitudinẽ mysterij imminuant, & totius sensus afferant immutationem, vt rectè dicant catholici, si ita sensisset Christus vt vos Sectarij fingitis: ita dixisset, nec in tanto sacramento instituendo amplius sono vocis quàm reipsa subesset, prædicasset. Tum autem ecclesiæ acceptio verborum Christi, confirmat ipsum Deum & hominem, qui nisi homo esset, haud haberet corpus, & nisi verus esset Deus, haud posset nobis constare, vt Irenæus sentit, horum verborum veritas. Vos verò Sectarij ita intelligitis, vt à Christo si nihil aliud quàm homo fuisset, sensu vero ea verba dici potuissent. Deinde quod vos alicubi (est) pro (sinificare) intelligi legitis, nihil affert quur etiã hîc sic intelligatur. Quod denique catholici mysteriũ explicantes, illa dicunt quæ vos regeritis: tanquam coacti dicunt ab ipsis Christi verbis, quæ quatenus veram corporis Christi præsentiam affirmant, & vnũ illud, hoc, in vna corporis Christi substantia declarant, consequentia quadam dicunt non esse aliam ab illa substantiã, quæ sit panis. Vnde conuersio constat & transubstantiatio. Reperiri hæc verba quæ commemoratis fatemur, sed eo sensu dicta, vt cum catholica de Eucharistia doctrina consentiant, vt aliàs est amplè explicatum.

Irenæus li. 4. cap. 34.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

CARO Christi adoranda est in sacramento, vt Ambrosius, Augustinus, & alij sancti patres nos docẽt: ergo caro Christi realiter illic continetur.

SOLVIT SECTARIVS.

IMO NOS DOCEMVS DOMINVM *nõ esse illic realiter & corporaliter, & ideo non in sacramẽto esse eum adorandum, sed in oratione: non ad symbola esse conuertendam mentem, sed ad Christum regnantem in cœlis.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

IMò quia in veritate catholica ab ecclesia dissentitis, ex deo non estis, qui quum sitis abalienati, nihil refert quid doceatis. Non audetis negare Patres exigere adorationem, quorum sensui tamẽ conamini fraudem facere, vt adorationem concedatis verbo, sed re ipsa negetis. Christus semper regnat in cœlis, vbi semper est adorandus. At Ambrosius etiam dixit nos adorare Christum in mysteriis. Augustinus ab adoratione Christi in sacramento, elicit verum sensum verborum Dauidis. Emissenus hortatur accedentes ad altare, vt respiciant corpus dei sui, non dicit mentem in symbola conuertendam, quasi in symbolis hæreat adoratio, quomodo suggillant sectarij; sed in ipsum corpus Christi quod ibi est, dirigatur adoratio, quæ cœlum quoque ipsum penetrat, quando in mysterio & in cœlo vnus sit Christus deus & homo, vt vni & integro corpori Christi hîc pleno & ibi pleno, ne multi sint Christi, vna & integra adhibeatur adoratio. Adeò sectarij quum corporis Christi adorationem in sacramento negligant, nec regnantem in cœlis adorare possunt in veritate, cuius veram in mysterio præsentiam contemnunt.

Ambro. de spiritu sancto.
August. in Psal. 98.
Emisenus in orat. de corpore domini.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

QVum constet Christi corpus adorandum esse in eucharistia, si panis in substantia sua ibi maneret, is quoque adoraretur.

SOLVIT SECTARIVS.

CVR PARI RATIONE INDE NON *semouetis accidentia, ne illa forte adorarentur? At si dicatis quòd nullus velit colere accidentia, nihil est, quum picturæ quas in templis adoratis sint accidentia, ad quæ homines procumbunt. Nam si lapidum substantias adorare vellent, in plateis haberent paßim quod adorarent: & rustici & simplices homines nesciũt distinguere inter accidẽtia & substantiã. At si dicatis vos non adorare picturas, sed quæ per eas repræsentantur, quare non conceditis idem de pane, si remaneat quòd is non adorabitur, sed ea quæ ab illo significantur: quiq; fingunt se moueri tãto zelo, debuerunt & calicem transubstantiare, ne fortè quum ostenditur, adoretur.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

NOn ratione humana constituitur Eucharistiæ mysterium, sed voluntate & omnipotentia dei, cuius operationem qui quatenus datur notant & piè expendunt: pro facultatis suæ modo, quod à deo fieri credunt, illustrant illi quidẽ, non aliqua artis aut ingenij fiducia refingunt, vt ridiculè ab hoc obiiciatur catholicis rationis paritas, quasi si quis astrologum sic alloquatur, cur nõ pari celeritate facias Saturnũ mouere ac Martem, perinde ac si idem sit operis effector, qui opus ab alio factum contemplatur. Quod Christi consecratio in Eucharistia efficit ne panis substantia maneat, ab igne substantiæ diuinæ absumpta notatur conuenienter fieri, vt audacius adoremus, ne si panis maneret adoretur vnà, quod sibi delegit confutandum Sectarius, & ideo proposuit pro argumento catholicorum, & à ridicula quæstione orditur, cur non pari ratione submouetis accidentia? & philosophatur hac occasione de adoratione, tractátq; vtrum substantia adoretur an accidens, in quo sibi videtur acutus. Panem non esse, vel propter adorationem annotarunt pij bene esse, & iste quærit ociosè quur non idem de accidenti fit si remaneat, vt de eo quod non est disputetur, & de eo quod mutari non potest ineatur deliberatio: nec alienum huic videtur in sacra scurrari, vt iocetur in transubstantiationem calicis, quasi suggillet omnia humanę fictionis esse, non vlla veritate niti. Docetur populus non adorare quod vident oculis corporis, sed ad intelligibilia per oculos mentis fidei dono illuminatæ penetrare. Quæ doctrina etiam si substantia panis mansisset, obtineret ne panis adoretur: & tamen rectè notauit Catholicus, si intelligeremus Christum naturã panis sumpsisse, vt Lutherani velle videntur, & impanatum esse: iam propter vnionem videretur deberi adoratio ipsi pani, quemadmodum carni Christi, quod absurdum veritas transubstantiationis abstulit, atque id opportunè fieri annotauit catholicus, quod sectarius commodum sibi putauit, in quo festiuus esse posit, ideóque confutandum potissimum delegit.

CATH.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

SAcrificium ecclesiæ incruentum, quod dominus instituit continuò in memoriam passionis eius offerendum, est corpus eius & sanguis, quod non potest offerri à ministro, nisi adsit realiter vt offeratur, vel si non adsit, tum destituimur sacrificio, & sic religio nostra periret.

SOLVIT SECTARIVS.

HIC PRO NOBIS SATISFACIET CY- *prianus, qui ad Cæcilium epistola 3. lib. 2. ait passionem esse domini quã offerimus. Quis autem nesciat passionem Christi minimè esse præsentem in manibus sacrifici, quum sit res elapsa, cuius agitur memoria, & de qua aguntur gratiæ? sed hoc totum quod prætexunt in hoc argumento, est figmentum, quo fingunt ipsum filium dei à sacrificis propriè & verè immolari.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

MYsteria Christi summis veritatibus nituntur, & suas habent proprietates. Passionis Christi recolitur vera memoria in ecclesiæ sacrificio, quod authore Christo veritatis fonte institutum est: verum Christi corpus & sanguis verus in mysteriis præsentia exhibentur, quoniam veritas dixit, Hoc est corpus, Hic est sanguis: qui & illud addidit, Hoc facite in meam cõmemorationem. Qui ergo ex Christi mandato quod Christus fecit faciunt, factores sunt veri, non fictores falsi, quod hic calumniatur. Imò, inquit, fingunt se propriè & verè immolare. Quàm non pudet vanitatis? Quatenus enim verum & proprium sit immolationis mactare & occidere, nõ hoc docet Ecclesia, quod iste tamen insinuat. Et nihilominus verã & propriam immolationem ecclesia docet, quatenus immolationem exequitur, quam Christus instituit mysterij propriam, hoc est, ad mysterij modum: nõ quomodo visibiliter & sensibiliter in cruce facta est, sed quomodo ad recordationem mortis ex Christi institutione celebrari iussa est. Et ideo Nicenum illud sanctissimum concilium sic loquitur: agnum in mensa sacrificari ἀθύτως, non quasi reliquarum victimarum more iterum occidatur, & tamẽ verum peragitur veri

Nicenum con. de Eucharistia.

veri corporis & ſanguinis ſacrificium, propter exhibitionis ſub illis ſpeciebus veritatem peractæ ſemel paſsionis, & præteritæ renouans memoriam. Nec quia rei præteritæ memoria recolitur, argumento eſſe poteſt, non eſſe ideo eorum veram præſentiam, in quibus Chriſtus voluit memoriam celebrari. Quare quanuis ſic loquatur Cyprianus, paſsionem eſſe domini ſacrificium quod offerimus, ſacrificij cauſam illis verbis ſignificans, & myſticam etiam paſsionis imaginem in vero corpore & ſanguine domini repræſentari: materiam tamen & rem ſacrificij ipſum Chriſti corpus & ſanguinē eſſe docet, quomodo & alij patres tradunt, & præcipuè Cyrillus, qui ſcribit ſacrificium eccleſiæ incruentum & viuificum eſſe corpus domini & ſanguinem, quæ offeruntur, &c. Sed quid dicat Cyprianus hoc iſto in loco, à ſectariis citatò audiamus. Nos autem reſurrectionem domini mane celebramus, quia paſsionis eius mētionem in ſacrificiis omnibus facimus. Paſsio enim eſt domini ſacrificium quod offerimus, nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus. Scriptura enim dicit: quotieſcunque ederitis panem iſtum, & calicem iſtum biberitis, mortem domini annūciabitis donec veniat. Quotieſcunque ergo calicem in commemorationem domini & paſsionē eius offerimus, id quod cōſtat dominū feciſſe, faciamus. Hæc Cyprianus, qui licet dicat paſsionem domini eſſe ſacrificium quod offerimus, ſentire tamen ſe res quæ ad paſsionis memoriam offerantur, præſentes eſſe ſignificat, dum generaliter dicat omnia quæ Chriſtus fecit, nos facere debere, & ſpecialiter illis verbis: Ergo quotieſcūque calicem in commemorationem domini & paſsionis eius offerimus, id quod conſtat dominum feciſſe faciamus. Paſsionis eſt hîc mentio, & paſsionis memoria, vt eius recolendæ cauſa inſtitutum ſit ſacrificium: ſed corporis ſui & ſanguinis verā præſentiā fecit Chriſtus, vt ſacrificium eccleſiæ ſecundum Auguſtinum ex duobus conſtaret, viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili domini noſtri carne & ſanguine. Atque hæc domino cooperante, miniſterio eccleſiæ fieri debent ſecundum Cyprianum, vt corporis & ſanguinis Chriſti vera præſentia, præteritæ mortis memoria verè, ſolidè, & efficaciter celebretur.

Cyrillus Interpret. Canonis 11. Concil. Ephesini.

Cyprianus lib. 2. ep. 3.

August. in lib. senten. Prosperi.

Dum

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

DVM disputatur de hac mutatione panis & corporis Christi, sancti patres eam persuadent credendam ex immensa potentia dei, quam per miracula ostendunt: at si panis in substantia sua maneat, corpúsq; Christi non realiter præsens: quorsum opus esset omnipotentiam dei allegare?

SOLVIT SECTARIVS.

ARGVMENTVM EST DEBILE, QVIA *non ostendunt deum hoc voluisse, etiamsi concedatur eum potuisse, quod fuerat in primis ostendendum. Et quod adducunt, hoc est corpus meum, contra versum est, & potest habere alium sensum, & patres rectè loquuntur. Nam ad potentiam dei pertinet panē & vinum mutare, vt sint sacramenta quæ antè non erant, neque est opus naturæ vt tam potenter & efficaciter significet, offerant & exhibeant corpus & sanguinem domini, apprehendenda animis nostris & fide. Adde etiā his mutationem, siue cōuersionem nostram in Christum, dum communicamus haberi, quæ omnia vim naturæ superāt, & in baptismo requiritur eadē dei potentia, quæ non est opus naturæ vt aqua fiat lauacrum regenerationis, & non est necessarium vt aqua transubstantietur.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

IMò ex verbis scripturæ ostendit deum voluisse, nisi enim ita voluisset non ita loqueretur, vt diceret, Hoc est corpus meum. At enim hæc ipsa verba controuersa sunt, inquiunt. Quid ego audio: an protinus cōtrouersum est, cui negotium facessit calumniandi libido, & impudentis procacitatis non ferenda temeritas? Quid tandem est in scriptura vniuersa quod non simili argumento controuersum dicatur? Manichæi semel reiecerunt instrumētum vetus, & è nouo expunxerunt quod inde citaretur. Ipsa sigillatim euangelia calumniā passa sunt. Epistolas Pauli hæretici reprobarunt. Apocalypsim Ioānis improbarunt quidam. De Iacobi epistola addubitarunt alij. In epistolas Petri mota est lis. Iudæ epistolam propter quędā ex Enoch citata, alij reiecerūt. Ecclesia verò, in qua viget veri iudicandi spiritus: ab iis molestiis asseruit veritatem, & suam iis scripturis apud fi-

deles authoritatem vindicauit. Et postea prout quisque exorietur, sua somnia narrans, & quomodo temere in linguam incideret hæc aut illa negans, continuóne hæc temeritas faciet controuersiam, vt res quasi in iudicium deducta videatur, & litigiosa effecta? Negent licet Sectarij perspicuitatem verborum, ecclesia certè agnoscit perspicua esse. Nam quod ab istis additur posse habere alium sensum, prorsus negandum est. Si posse intelligamus iure posse, conuenienter posse & probabiliter posse. Nam temeraria facti potentia in vertiginoso capite vniuersam scripturam nouo sensu nondum audito donauerit, eius modo licentiosæ potentiæ illi concedatur impunitas. Et hîc argutantur isti à posse ad esse, vanissima colligendi forma. Potest, inquiunt, habere alium sensum. Cæterùm quoniam patres quod à Christo in huius mysterij institutione fiat, omnipotentia dei factum prædicant, conantur etiam isti figuratores sensui quem ipsi affingunt, potentiam dei adsciscere: quod ita faciunt quasi quisquam sit qui dicat sine potentia dei quicquam fieri. Nemo festucam de terra tollit sine potentia dei. In ipsius enim potentia viuimus, mouemur & sumus. Et dixit Paulus, omnia possum in eo qui me confortat Christus: vt quemadmodum omnis sapientia, sic omnis potentia à domino deo est. Sed quum Christus nos doceret orantes petere panem quotidianum, vbi vno verbo panis significatur omnis generis alimentum, & temporale carnis, & spirituale animæ: nemo tamen patrum sic tractat eum locum, vt dei omnipotentia dicat fieri, vt vnum panis nomen, tot & tãta nobis significet, & significet etiam ipsum Christi corpus? At enim, inquient Sectarij, panis hic sit sacramentum, & deus est author sacramẽtorum. Fateor: & eodem authore panis erat sacramentum in ore prophetarũ, quum ex spiritu dei dicerent: Mittamus lignum in panem eius. Panis erat sacramentum in oblatione Melchisedech, id est, signum sacræ rei per Christum exhibendæ, & item in panibus propositionis, qui quum essent, nemo patrum miratus est nouam pani additam significationem, & tamen idem isti figuratores dicũt, veteres habuisse eadem sacramenta quæ nos habemus. At enim nunc non est sola significatio, inquient isti, quia panis & vinum significant potenter & efficaciter. Tum autem offerunt & exhibent corpus Christi. Magna est hæc verborum pompa, & quò comitatior ac spectatior prodat

Act.17. *Philip.4.* *Mat.6.* *Hiere.11.*

prodat in publicum hæc significatio: adduntur quasi temporis causa pro anteambulonibus duo verba (offerre & exhibere) cum duobus aduerbiis, quasi dicas pro pedisequis, (potenter & efficaciter,) at enimuerò quum diligenter excusseris istum externum apparatū, nihil rei subesse comperies, præter significationem meram, aliquanto etiam tenuiorem, quàm quę fiat verbis. vnde & illud istorum est, non minus percipi corpus Christi verbis, quàm symbolis. Ergo quum Euangelium sit potentia dei ad salutem omni credenti, non negauerim signum quodque vel minimum fieri potentia dei, sed solam significationem, vel cuiusmodi statuunt figuratores, nihil habere contendo præcipuum & singulare, quod istam in patribus admirationem excitet, vt in hoc vno admirando obstupescant animi, vt vim non solùm potentiæ, sed etiam omnipotentiæ dei agnoscere cogerentur, quasi exertæ in opus operatum in diebus nostris, quale non vidêre priores, etiamsi multa deus in illis magnalia & mirabilia fecerit: nihil inquam habet hæc figuratorum significatio eiusmodi, neque conficta ab illis sacramentalis mutatio. Verùm enimuero quod verè de Eucharistia credit catholica ecclesia, panem videlicet & vinum ita conuerti, vt eorum substantia transeat in diuinam corporis & sanguinis Christi substantiam, vnde Christus totus deus & homo in sacramento sit præsens, immensæ cuiusdam admirationis est, & quod à Chrysostomo expresit, vt exclamaret, O miraculum. Multas in natura mutationes & conuersiones mirabiles adnotarunt, qui eiusmodi contemplantur, & multa quotidie fiunt quæ nō animaduersa, sinimus præterire, ad consuetudinem hebescente speculatione nostra. Multa commemorat Ambrosius præter naturæ ordinem edita miracula: sed immane quantum superat omnia quod in Eucharistia fit, non dico de effectu, quomodo in nobis operatur, quod paris quoque admirationis est: sed de sacramenti ipsius constitutione loquor, quomodo panis fiat verè caro, & vinum sanguis. In baptismo quum multa sint plena miraculis, tamen in effectu censentur illa, quòd sacramentum baptismi actione ipsa baptizandi & incipit & finitur. Cui aqua communis adhibetur, etiamsi precibus & sanctificatione pio cultu in eum vsum separata sit, quæ in ipsa lotione cooperante spiritu efficax est ad regenerationem, sed ante actionem non est illa aut hæc aqua lauacrum regenerationis, tandem

Roma. x.

Chrysost. de sacerdo. li. 3

vt dixi in verbo fit potens, quum baptizandus immergitur. In Eucharistia verò corpus Christi iam adest constituto mysterio, & in vsum futurum præparatur sacramentum: vbi ex pane fit corpus Christi magna dei potentia, quod mirantur Christiani & venerantur, de quo Christi corpore consecrando ipse Christus pronunciat, hoc est corpus meum. De aqua verò baptismi nunquam legitur quicquam dictum, cur vllam aquæ transubstantiationem esse credamus. Postremò supra naturam est, nos mutari in Christum, aut in illum conuerti, quod modo suo fit spirituali & admirabili, vel in effectu baptismatis, vel sacræ communionis: sed quod in effectu est mirabile, nihil detrahit admirationi in constitutione sacramenti, de qua constitutione quomodo admirati sunt patres, alibi est à me tractatum fusius.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

FIdes ecclesiæ de Eucharistia, cõfirmata est multis miraculis & prodigiis, quæ leguntur apud Cyprianum, Optatum, Augustinum, Nazianzenum, Gregorium & alios.

SOLVIT SECTARIVS.

DICIMVS AD HAEC, MIRACVLA POSse *fieri trifariam, vel ad arcendos indignos à tanto sacramento, & ea amplectimur. Nã Paulus scribit multos ideo infirmos & dormiuisse. In hunc ordinem redigenda sunt quæ scribit Cyprianus: Aliud genus quandoque inductum est ad sacramentum illustrandum, vt dignitas & magnitudo explicaretur, quæ non respuimus. Nam & baptismus sæpe miraculis ornatus est. Tertium genus esse potest ad confirmandũ hunc errorem de transubstantiatione. Huius generis miracula prorsus reiicienda sunt, quia lex iubet, vt propheta inducens ad idololatriam & superstitiones, lapidaretur, & Antichristus venturus est cum signis & prodigiis, & in tempore Moyses fuerunt Magi, qui miracula ediderunt aduersus Dei verbum, & fuit etiam quidam Marcus impostor, qui illudebat simplicibus mutando colorem vini, & Ethnici confirmarunt suum cultum idolorum talibus prodigiis, & non sunt ignotæ nebulonũ imposturæ, quibus vsi sunt sæpius ad confingenda miracula.*

Confutat

CONFVTAT CATHOLICVS.

QVòd hic fatetur miracula facta esse, accipimus, quòd verò eam sibi arroget scientiã, vt quum edita sint quò pertineant dicat, nõ est necesse illi concedere, præsertim quũ suam prodit inscitiam, ne diuinans habeatur. An credibile est Deum velle suis miraculis nostræ simplicitati illudere, vt cuius sacramenti doctrinam non probet, illud eo tempore illustret miraculis? Nam quod Sectarius addit, non ideo miracula facta fuisse, vt doctrina probetur, nihil est, quando quum illa traderetur doctrina, fuêre miracula, vt si qua esset idololatria in adoratione, Deus videretur confirmasse, qui arcet (vt nobis fatetur Sectarius) indignos, & exornat sacramentum. Sed clamat Sectarius falsa esse miracula quæ statuant transubstantiationem: quo argumento? quia pugnat, inquit, hæc doctrina cum verbo. Atqui hoc illi probandũ esset antea quàm assumendum. Scripturas quidem citat, quæ illud rectè probant contra veritatem doctrinæ veræ, nihil valere miracula. Sed hoc illi fuerat probandum, esse transubstantiationis doctrinam contra veritatẽ, quod non fecit, & interim nobis concessit miracula fieri circa Eucharistiam, quæ eousq; saltem apud illum valere debeant & pro veris haberi, donec nobis probauerit ecclesiæ doctrinam de Eucharistia, à veritate scripturæ discrepare, quod nũquam faciet, & quoniam se facturum diffidit, impotenti animo prorumpit in conuicia, & quæritur impostor de impostoribus.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

MAgnam vim habet in verbis Christi, ad veram & propriam significationem nominis exprimendam adiectio articuli, quod & Cyrillus annotauit in nomine, λόγος, apud Ioannem, vbi est ὁ λόγος, quasi dicas, ille ipse sermo. Quare quum Christus dicat, τοῦτ' ἐστὶ τὸ σῶμα: illud τὸ σῶμα, ostendit proprietatem corporis significari, quasi sit illud ipsum corpus quod tradetur, &c. qua ratione excludatur tropus.

SOLVIT SECTARIVS.

DECIPIVNTVR ISTI. NON ENIM SEMper *ea est vis articuli Græcè, quod patet ex Luca cap. 8. vbi Christus ait, ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ: vbi vides ad verbum λόγος, additum esse articulum, nec tamen efficit vt ibi λόγος teneatur propriè, quasi realiter & corporaliter insit illi semini quod iactatur in agros. Sic nos dicimus corpus domini non prædicari de pane, nisi per significationem.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

Catholici in æstimanda vi articuli Græci, authorem habent Cyrillum Græcum, qui in explicatione Euangelij Ioannis id annotauit. Sectarius contrà putat. Dic argumentum? quia apud Lucam, inquit, articulus additus verbo λόγος, non efficit vt λόγος accipiatur propriè. & propriè sentit Sectarius, quomodo ex verbis eius liquet, dũ dicit realiter & corporaliter, quasi propria significatio λόγος esset, exprimere verbum Dei increatum filiũ Dei Christum, quemadmodũ in primo Ioannis ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. quum in verbis Christi ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος, non filium significet, quasi insit semini corporaliter. Nec videt iste noster Sectarius, genitiuũ τοῦ θεοῦ, qui adiungitur vocabulo λόγος, & ab illo regitur & quasi generatur, naturam eius efferre & aperire, ne significet quod solum & absolutè positum solet significare & debet. Nam vt ὁ λόγος significat κατ' ἐξοχὴν, quod summè est λόγος, id est, Christum sermonẽ increatum, & verbum patris æternum: Ita ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, significat verbum prædicatum à Deo, & semen Dei in homines satum, vt aliud sit & sonet verbum Deus, & verbum Dei, quoniam passim occurrit in scripturis illa locutio, ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, significans verbum prædicatum. Quare non infirmat hoc exemplum naturam articuli Græci, Sed debeat ab adiectione articuli aliqua notari propriȩ significationis emphasis, quòd Christus diceret τὸ σῶμα, vt sermo intelligatur magis proprius, præsertim quum cætera quæ sequantur & adiungantur verba, ad eandem proprietatem explicandam pertinent, quod in exemplo ab hoc Sectario prolato non fit. Et tamen in illo Lucæ loco, nomen ὁ λόγος, propriissimè significat sermonem non in Deo manentem æternum, sed à deo manantem, & in

in nostra corda per verbi prædicatores sparsum ac satum. Vnde sensus illorum verborũ est, quod verbum Dei est semen, quod seminatum fructificat in cordibus nostris.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

CHristus promisit discipulis, Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi, quod non est referendum tantùm ad diuinitatem, quia & illi hoc scribatur: verùm quia tristabantur propter eius corporalem abitum, illos consolatur, quòd sit cum eis futurus eius corpore.

SOLVIT SECTARIVS.

CONFITEMVR CHRISTVM NOBIS *adesse per naturam diuinam, item per gratiam, & quod spiritus eius multa dona confert nobis, deinde si corpus & sanguinem illius cupimus, ea possumus cõplecti in hoc sacramento, fide & spiritualiter manducando, ad quod postea consequitur verißima, arcana tamen & ineffabilis nostra coniunctio cum Christo.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

HAEC verba Sectarij ad fallaciam composita sunt. Nam quatenus dicit nos, si sanguinem cupimus, in hoc sacramento complecti posse fide, videatur iis qui istorũ artes non norint, haud aliena loqui à catholica doctrina. Siquidem in sacramento ita complectamur Christum, vt noster sit, quod est cum vitæ fructu complecti: necessaria est profectò fides nostra, & spiritualis mãducatio, nõ solùm sacramentalis. Sed illud vide, vt non rectè respondeat ad argumentum sectarius. Nam argumentum tractat actionem Christi Dei in cõstituendo sacramento, vbi dignatur sistere Christus humanitatem suam, & ita nos solari sui corporis præsentia. Hic Sectarius in sua responsione illud dissimulat, & generalia quædam præfatus, addit quomodo qui cupiunt complecti sanguinem id queant. Et fit quod est apud poëtam, ille quærit quæ? & alter respondet Ble.

Si non

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

SI non adſit corpus Chriſti niſi ſola ſignificatio eius, tunc non haberent noua ſacramenta quippiam, quod in veteribus non reperiretur. Nam & illa Chriſtum ſignificabant, & amplius & clarius & viuidius quàm panis & vinum, quoniam ibi animalia bruta cædebantur, & fundebatur eorum ſanguis, quod non contingit in pane & vino.

SOLVIT SECTARIVS.

DICIMVS QVOD AD REM ATTINET, *eadem vtriuſque teſtamenti eſſe ſacramenta, vt Paulus ait primæ Corinth.10. At noſtra habent multas prærogatiuas præ veteribus. Sunt magis firma, & non amplius mutanda vſque ad finem ſeculi, oſtendunt rem factam non faciendam. Sunt ſimpliciora, & pertinent ad numeroſiorem populum, ſunt clariora, non vt aduerſarij fingunt externa repræſentatione, ſed ex natura verborum quæ ibi proferuntur, quæ clarius annunciāt redemptionem perfectam, & maiorem fidem excitant, & inde ſequitur vberior copia ſpiritus.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

SAcramēta veterum eadem fuiſſe ſignificatione cum noſtris in ſigno vt loquuntur remoto, fatendum eſt, quoniam omnia eundem ſpectabant Chriſtum. Tempora, præcepta, figuræ, leges, ſacramenta, variarunt: at vnus & idem ſemper deus & pater, ex quo omnia: vnus filius Ieſus Chriſtus, per quem omnia, vnus & idem ſpiritus, in quo omnia, & vna ſemper horum fides implicita, licet non ſemper nec omnibus eadem deductione explicata. Ergo cōfiteor ſacramenta & eadem fuiſſe, & variaſſe eadem, qua in re quæ fuerit ſententia patrum, & quomodo de noſtris & veterum ſacramētis illi locuti ſunt, cupio tibi ex illorum verbis huc citatis innoteſcere. Vnde vt ab Auguſtino exordiar, de temporū varietate ſic ſcribit: Diſpartita diuinis eloquiis ſacrificia pro temporum congruentia, vt alia fierent ante manifeſtationem noui teſtamenti, quod ex ipſa vera & in vnius ſacerdotis victima, hoc eſt, effuſo Chriſti ſanguine miniſtratur, & aliud nunc quod huic manifeſtationi eſt congruum, qui iam

Auguſt. epiſto. 49. quæſt. 3.

iam declarato nomine Christiani appellamur offeramus,non solùm Euangelicis,sed etiam propheticis literis demonstratur. Hæc Augustinus, qui notat congruentiam temporum exigere sacrificiorum varietatem. Vnde etiam Chrysostomus ita scribit,explicans illud,omnia noua. Et in summa omnia noua,pro templo visibili templum vidimus spirituale, pro lapideis tabulis carneas, pro circuncisione baptisma, pro manna corpus dominicum, pro aqua petræ, sanguinem è latere, pro virga Moyse vel Aaronis, crucē,pro terra regnum cœlorum,pro innumeris sacerdotibus vnum pontificem,pro agno irrationali agnum spiritualem. Hæc alia cogitans dicebat noua omnia. Hæc autem ex Deo per Christum ex dono illius. Hæc Chrysostomus, Christi ecclesiam & nostra Christianorum sacramenta cum illis veterum conferens, discrimina manifestissima & certissima demōstrans. Temporum autem varietatem notauit Hesychius iis verbis: Non ergo oportere nos habentes in manibus & consummātes verum mysterium, sequi figuras: quæ prædicta sunt demonstrant. Neque enim est eiusdem temporis, sed aliud quidem pertinere ad figuram, aliud autem ad veritatem, qui vtraque sanciuit præcepit, propter quod & Christus primùm celebrauit figuratum pascha, post cœnā autem intelligibilem tradit. Ista Hesychius, qui aliud figuræ tempus,aliud veritatis dicit,ídque propter præsentiam corporis Christi in cœna, quam soli fideles intelligunt. Sed & varietatem sacramentorum notauit Augustinus illis verbis: Sicut aliud est carnis circuncisio Iudæorum, aliud quod octauo die baptizatorum nos celebramus, & aliud est pascha quod adhuc illi de oue celebrant,aliud autem quod nos in corpore & sanguine domini accipimus: sic alius fuit baptismus Ioannis, alius est baptismus Christi. Hæc Augustinus,qui notat aliud & aliud, vt tantum interesse censeas, quantum inter promittere & dare, quod & verba Augustini sequentia indicant, dum sic scribit: Quando promittebatur, tunc dicebatur, quum autem datum est quod promissum est,ablata sunt verba promissiua,data sunt completiua. Sacrificia ergo illa tanquam verba promissiua ablata sunt. Quid est quod datum est completiuum? corpus quod nostis, quod vtinam qui nostis omnes,non ad iudicium noueritis. Videte quando dictum est. Christus enim ille est dominus noster, modò loquens ex membris suis, modò lo-

Chrysost. in epi. 2. Cor. 6. Hom. 11.

Hesychius in Leu. lib. 6. cap. 22.

Augusti. cōtra lit. Petiliani lib. 2. cap. 37.

Idem in Psal. 39.

quens ex persona sua. Sacrificium, inquit, & oblationem noluisti. quid ergo? nos iam hoc tempore sine sacrificio dimissi sumus? Absit: corpus autem perfecisti mihi. Ex iis verbis Augustini liquet illum sensisse sacramenta veterum tam à nostris distare, quàm promissionem ab ipsa datione & præstatione, quod consentit cum verbis Pauli, habuisse illos vmbram non ipsam imaginem rerum: Vnde intelligamus in vno Christo impleta omnia. Quæ verò præcesserunt, figuræ & significationes erant. Quare etiam Chrysostomus dicit, vt sequitur: Quamobrem passionis tempore hoc mysterium tradidit? vt vndique discamus ipsum etiam veterem legem sanxisse, & omnia quæ in illa sunt, propter nouam hanc adumbrata fuisse, hac igitur de causa veritatem figuræ adiunxit. Atque hæc de discrimine sacramentorum, quasi generaliter dicta sunto. Quantum autem cibus noster spiritualis, quem in mysterio accipimus, ab illo veterum distet, ex testimonio patrum videamus. Origenes sic scribit: Tunc in ænigmate erat manna cibus: nunc autem in specie caro verbi Dei est verus cibus, sicut & ipse dicit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, &c. Hic Origenes conferens manna cum cibo nostro, qui est caro Christi, vocat illud ænigma, & quod nos habemus speciem, significans idem spectare vtrunque cibum, sed nobis in specie datum, quod illis secundum Paulum contigerat in figura: quod ipsum Origenes ænigma dicit, vnde sequitur nos in specie & veritate carnem Christi datam accipere, quam illi in ænigmate promissam acceperunt. Cyprianus verò cibi nostri spiritualis & substantiam & dignitatem ita exprimit: Cœna, inquit, disposita inter sacramentales epulas, obuiauerunt sibi instituta antiqua & noua, & consumpto agno quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis. Nec iam ad elaborata impensis & arte conuiuia populi inuitantur: sed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed virtutis diuinæ inuisibili efficientia probans adesse præsentiam. Hæc Cyprianus, qui quatenus inconsumptibilem cibum dicit, carnem Christi diuinam & spiritualem intelligit, quæ iam glorificata consumi non potest, cuius veram præsentiam ab effectu mirabili Cyprianus astruit, atque eiusdem cibi præstantiam Ambrosius cum Manna confert,

Chrysost. in Matth. Homil. 83.

Origenes in Num. Homil. 7.

Cyprianus serm. de cœna domini.

confert, iis verbis: Considera, inquit, nunc vter præstantior sit, panis angelorum, an caro Christi, quæ vtique corpus est vitæ. Manna illud è cœlo, hoc supra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium si in diem alterum seruaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiosè gustauerit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo. Illos ad horam satiauit aqua, te sanguis diluit in æternum. Hactenus Ambrosius, qui hac collatione & discrimen sacramentorum, & nostri præstantiam sacramenti luculenter exprimit. Hieronymus autem ita confert, Sicut illi, inquit, de cœlis fluente manna refecti sunt: ita nos hodie in ecclesia corpore agni accepto reficimur. Hæc paucis Hieronymus, quibus tamen quid potest dici clarius? sed & de panibus propositionis loquens, sic ait: Tantũ interest inter panes propositionis & corpus Christi, quãtum inter vmbrã & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum & ea ipsa quæ per exemplaria figurabantur. Atque hæc (ne quid erres) loquitur Hieronymus de Christi corpore in mysterio Eucharistiæ exhibito, quod (vt illius verbis vtar) conficiunt sacerdotes. Cyrillus de Manna tractans sic ait: Mannæ alimentum non æternam vitam, sed breue famis remedium afferebat. Non ergo erat cibus verus, id est, panis de cœlo. Sanctum verò Christi corpus ad immortalitatem & vitam æternam nutriens cibus est. Sic Cyrillus, quem vt intelligas de Eucharistiæ cibo sentire, illud adiiciam ex eodẽ: Aquam illi ex petra biberunt. Quid igitur inde lucrati sunt, qui mortui fuerunt? non erat igitur potus ille verus, sed verus potus est sanguis Christi, quo radicitus mors euertitur atque destruitur. Non enim hominis simpliciter sanguis est, sed eius qui naturali vitæ coniunctus vita effectus est, propterea corpus & membra Christi sumus, quia per hanc benedictionem mysterij ipsum filium Dei suscepimus. Hæc Cyrillus, qui Eucharistiam vocat benedictionem mysticam. De ipso Manna etiam ita loquitur Augustinus: Manna typus est escæ spiritalis, quæ resurrectionis domini veritas facta est in Eucharistiæ mysterio. Hæc Augustinus, qui in Manna typum escæ spiritalis, in Eucharistia eiusdem escæ veritatem asserit. Et hactenus de discrimine, nam expecto qui mihi obiiciat frustra ius adducere Augustinum, quo authore

Ambrosius de iis qui initiantur. cap. 9.

Hieronym⁹ in Psa. 105

Idẽ in epist. ad Titũ cap. 1.

Cyrillus in Ioan. li. 4. cap. 16.

Ibidem.

Augustin⁹ quæst. 95. ex nouo testamento.

natum est illud, vt sacramenta veterum eadem dicantur cum nostris, & ex eo potissimum quòd idem Augustinus explicans illud diui Pauli ad Corinthios (eundem cibum spiritualem manducauerunt) interpretationem edat huiusmodi, sic scribens: Suffecerat vt diceret, cibum spiritualem manducauerunt (eundem inquit.) Eundem non inuenio quomodo intelligam, nisi eum quem manducamus & nos. Quid ergo ait aliquis? Hoc erat manna illud quod ego nunc accipio? ergo nihil modò venit. Si ante iam fuit, ergo euacuatum est scandalum crucis. quomodo ergo eundem nisi quia addidit spiritualem? Nam qui manna illud sic acceperunt, vt tantummodò indigentiæ suæ corporali satisfieri putarent, & vētrem suum pasci non mentem: nihil magnum manducauerunt, factum est satis eorum indigentiæ. Alios Deus pauit, Aliis aliquid nunciauit, hi tales & cibum corporalem manducauerunt, non cibum spiritualem. Quos ergo dicit patres nostros cibum spiritalem eundem manducasse? quos putamus fratres, nisi qui verè patres nostri fuerunt? imò patres nostri non fuerunt sed sunt, omnes enim illi viuunt. Hactenus Augustinus, qui licet se non inuenire dicat quomodo locum illum Pauli aliter explicet: Chrysostomus tamen ex ipso sermonis proprio cōtextu longè aliter interpretatur, quod hîc subiiciam: Sicut autem dixit quod omnes per mare transierunt: sic nobilitatem ecclesiæ præfigurauit quum dixit, eundem spiritualem cibum comederunt. hoc idem rursus insinuauit. Sic enim in ecclesia non aliud quidem corpus diues, aliud verò pauper, neque alium quidem sanguinem ille, alium autem iste: Sic & tunc non aliud quidem accipiebat diues manna, aliud verò pauper, neque alterius fontis iste particeps erat, alterius verò indigentioris ille, sed sicut nunc eadem mensa, & idem poculum, eadem & educatio omnibus, qui huc ingrediuntur proponitur: sic & tunc idem manna, & idem fons omnibus proferebatur, & hoc vtique mirabile & rarum. Hæc Chrysostomus, qui illud (eundem) in verbis Pauli, longè aliter exponit quàm Augustinus, non ea videlicet significatione, quasi idem quod nos biberent & comederent illi veteres patres: sed omnes illi idem suum, quemadmodum nos omnes sine personarū acceptione idem nostrum, mirabili illi modo & raro, qui nostrum maximè omnium admirandum præfiguraret. Quin & illud quod

Augustin⁹ de vtilitate pœnit. ca. 1.

Chrys. Homi. in dictū Apost. Nolo vos ignorare.

dicit

dicit Paulus (ſpiritualem cibum) Chryſoſtomus ſic interpretatur, *Hom.eadē.*
vt ideo dicatur cibus illorum ſpiritualis, quoniam dei virtute, non ſecundum naturæ conſequentiam data ſint illa. Sic enim ſcribit: Sicut tu, inquit, à lauacro aquarum aſcendens ad mēſam curris: ſic & illi à mari aſcendentes ad menſam venêre nouam & admirabilem. De Manna loquor. Et iterum: ſicut tu admirabilem habes potū ſalutarem ſanguinem: ſic & illi admirabilem habuerunt poculi naturam. Non enim inuenerunt fontes & amnes manātes, ſed à dura & inaquoſa petra multam fluminum largitatem acceperūt. Propterea & ſpiritualem vocauit, non quòd natura talis eſſet: ſed quòd hoc modo ſuppeditabatur. Non enim ſecundum naturæ cōuenientiam ipſis dabatur, ſed ſecundum operationem dei ipſos ducētis, &c. Ex iis duobus Chryſoſtomi locis apparet lōgè illum ab Auguſtino in interpretatione illorum verborum diui Pauli (eundem cibum ſpiritualem) diſſentire. Et huic Chryſoſtomi interpretationi conſentit Ambroſius, iis verbis: Et omnes eandem eſcam ſpiritualem ederūt, *Ambroſius in epiſto. 1.Cor.10.*
&c. Manna & aqua quæ fluxit de petra, hæc dicit ſpiritalia, quia nō mundi lege parata ſunt, ſed dei virtute ſine elementorum commixtione ad tempus creata, habentia in ſe figuram futuri myſterij, quod nunc nos ſumimus in commemorationem Chriſti domini. Ideò & panis angelorum dictus eſt, quia virtute qua angeli ſubſiſtunt creatus eſt, hoc ſignificans quia de cœlis vēturus erat qui ſpiritaliter paſceret. Hæc Ambroſius, qui veterum cibum ſpiritalem dicit, quòd non ſit mundi lege paratus. Aſtipulatur iſtis Oecumenius his verbis: Eundem cibum ſpiritalem vocat & cibum & potum, eo quòd *Oecumeni' in 1.Cor.10*
vtrunque ſpiritus arcana ſua potentia per Moyſen dederit: dicit autem de Manna, & de carnibus, & de aqua. Comederūt nempe mãna ſicut nos corpus Chriſti: potum ſpiritualem, hoc eſt aquam è rupe ſiue petra ſcaturientem, quemadmodum & nos ſanguinē Chriſti. Quanquam enim ſenſibilia quoque erant quæ illis præbebãtur, tamen ſpiritualiter tradebantur: neque enim naturæ conformis erat traditio, ſed gratiæ ſpiritali. Hactenus Oecumenius, cuius verba ſimul explicant Euchariſtiæ myſterium, ſimul docēt illum Chryſoſtomi interpretationem ſecutum in verbis Pauli, quæ plurimū diſcrepat ab Auguſtino. Accedit etiam illis Theophilacti interpretatio, qui ita ſcribit: Et omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaue- *Theophila. in 1.Co.10.*

runt,& omnes eūdem potum ſpiritualem biberūt. Vt enim nos baptiſmi aqua perfuſi corpus dominicum manducamus: ſic & manna illi mari traiecto in eſum ſunt vſi. Et quemadmodum ipſi domini ſanguinem bibimus: ſic illi erumpentem è percuſſo lapide aquam biberunt. Hęc quidem Paulus ſpiritali quodam diſſerit ſenſu. Nam & ſi hæc ſenſibilia erant, haud tamen naturæ conſentanea, ſed ſpiritus gratia gerebantur, quæ gratia cum corpore vna & animas aleret, & ad fidem credulitatem induceret. Hæc Theophilactus, qui ſpiritualem cibum & potum dicit, quòd licet ſenſibilia eſſent, haud erant tamen naturæ cōſentanea, ſed ſpiritus gratia effecta. Vnde addit Theophilactus, gratiam etiam ſpiritualem alendæ animæ illis accedere, vt credulitatem eorum ad fidem induceret. Cui dicto congruit quod eſt à ſcolaſticis notatum, ſacramenta veteribus profuiſſe, non efficacia ſua, ſed propter vtentium fidem, quum in noua lege ſacramenta ipſa conferant, & exhibeant gratiam iis qui obicem non ponunt deo, in illis tanquam organis operante potēter & efficaciter, in Euchariſtia verò Chriſto deo & homine pręſente, qui eſt illud de cœlo manna verum, & petra vnde nobis ſcaturit aqua ſaliens in vitam æternam. Sed redeo ad inſtitutum. Protuli Chryſoſtomum, Ambroſium, Oecumenium, & Theophilactum ab Auguſtino quaſi diſſentientes in interpretatione verborum Pauli: quod non eò feci, vt quod dixit Auguſtinus vel omnino redarguam vel reiiciam, cuius ſenſum cum reliquorum interpretationibus cōſtare poſſe arbitror: ſed vt oſtendam comiter intelligendum, ne illius authoritate Sectarij abutantur ad calumniam, vociferantes Paulum authore Auguſtino pronūciare, veteres comediſſe eundem cibum ſpiritalem quē nos comedimus. Et pergunt Sectarij, ſed illi non comederunt Chriſti corpus realiter, quia non aderat quum nondū eſſet: ergo nec nos comedimus, quomodo iſte nūc Sectarius colligit inſanè. Quomodo ergo intelligemus Auguſtinum? nimirū commodiſsimum reor quomodo ipſe Auguſtinus ſeipſum intelligit, qui alio in loco ſic ſcribit: Significata ſunt ergo omnia, nunquid non eadem credebant per quos hæc ſigna miniſtrabantur, per quos eadem quæ credimus prophetata prænuntiabantur? Vtique credebant, ſed illi ventura eſſe, nos autem veniſſe. Ideo autem ſic ait: Eūdem potum ſpiritualem biberunt. Si ſpiritualem eundem, nam corporalem non eūdem. Quid enim

Auguſt. in Ioan. tractatu 45.

nim

nim illi bibebant? bibebant enim de ſpiritali ſequenti petra, Petra autem erat Chriſtus. Videte ergo fide manente ſigna variata. Ibi petra Chriſtus, nobis Chriſtus quod in altari dei ponitur: & illi pro magno ſacramento eiuſdem Chriſti biberunt aquam profluentem de petra, nos quid bibamus norunt fideles. Si ſpeciem viſibilem intendas, aliud eſt, ſi intelligibilem ſignificationem, eũdem potum ſpiritalem biberunt. Hęc Auguſtinus, qui à fidei vnitate quam nobis cũ veteribus fuiſſe contendit, eundem potum dicit, quod innuunt illa verba (ideo autem ſic ait, eũdem &c.) Tum ſequitur in Auguſtino fide manente ſigna variata, & deinde quæ ab Auguſtino additur, quaſi expolitio eius quod dicit, & ad dicti eius elucidationem, & ad myſterij Euchariſtici veritatem & dignitatem exprimendam pertinet, dum ſic confert: ibi petra Chriſtus, nobis Chriſtus quod in altari dei ponitur. Quid ergo Auguſtinus ſentit? quaſi alius ibi Chriſtus, alius nobis in altari? & alius in cœlo, qui non ſit in altari? Abſit. & ne quum huiuſmodi ſentire videretur, illos dicit pro magno ſacramento bibiſſe aquam profluẽtem de petra, & aliam partem collationis reticentia ſupprimens, nos, inquit, quid bibamus norunt fideles. Quod Ambroſius expreſsit, tibi ſanguis è Chriſto. & Chryſoſtomus dicit ſanguinem qui è latere fluit. Et rectè ſanè, quoniam & ipſum in myſterio ſumimus, è cuius latere fluxit. Imò ſi liceat apertius explicare & pinguius, quod hîc reticet Auguſtinus: Illi veteres de petra bibebant, non ipſam petram bibebant, gratiam ex petra profluentem bibebant, non ipſum fontem omnis gratiæ. Eadem quidem eſt fontis aqua quę profluit & reſtat, ſed vberiori & pleniori hauſtu ebibitur totus fons, quàm hauriatur quæ inde manat aqua, quantumuis manet abundè. Chriſtus eſt gratiæ fons inexhauſtus, à quo in nos profluit omne bonum, à quo licet indeſinenter virtus exeat, plenus tamẽ ſemper & integer manet, qui ſe nobis impartibiliter impertit, vt vbiq; ſit plenus vnus Chriſtus, hic nobis in altari dei adeſt, totus à nobis manducandus & bibendus, quia vt norunt fideles, totus ibi adeſt ſub viſibilibus ſpeciebus, ſub quibus nobis in veritate datur, qui illis promittebatur. Nos non de petra bibimus profluẽtem aquam, ſed ipſam aquam cũ fonte in myſterio ſumimus. Vna vbique gratia, vna vita, ab vno authore Chriſto data, & in vno illo conſeruata, cuius ſpiritus & illos tum pauit, & nos paſcit:

ſcit:ſed nos corpus Chriſti accipimus in ſacramento, in quo omnis plenitudo diuinitatis inhabitat,cuius caro naturali vitæ vnita etiam ipſa viuificat, vt licet veteres eodem Chriſti ſpiritu vegetati, vitam inde hauſerint, vt eodem quo nos cibo & potu ſpiritali paſti & potati dici poſsint: tamen propter Chriſti in ſacramento corpore & ſpiritu præſentiam, vberiùs nos, pleniùs, & auguſtiùs paſti & potati ſumus. Quibus is benignitatis honos habitus eſt, vt non gratia ſolùm, ſed ipſius gratiæ fons manducãdus nobis proponatur & bibendus.

Chryſoſt. in 1. Corin. 10. Homil. 23. Et in hanc ſententiam ſcribit Chryſoſtomus, eundem locum ad Corinthios exponens in hæc verba: Animaduertis Pauli ſapientiam, quo pacto vtrorumque Chriſtum largitorem oſtẽdit, & hac in parte figuram iuxta veritatem adducit. Qui enim illa illis præbuit, inquit, his etiam hanc præparauit menſam, & ipſe idem & illos per mare, & te per baptiſma adduxit, & illis manna & aquam, & tibi corpus & ſanguinẽ dedit, & illius munera huiuſmodi ſunt. Hęc Chryſoſtomus, qui ab vno datore Chriſto eadem munera ſentit, non tamen eodem modo data, quia illis manna & aqua, nobis datur corpus & ſanguis. Quin & ipſe Auguſtinus alibi ſic ſcribit: Dixit Apo-

Auguſtin. queſt. 20. ex veteri teſtamẽto. ſtolus inter cætera, Petra autem erat Chriſtus: vt quia Chriſti virtute aqua fluxit de petra, petra appellatus ſit Chriſtus. Simili modo & quia manna poteſtate eius venit de cœlo, manna, id eſt Chriſtus panis dicatur: quod tunc factum eius rei quæ nũc in eccleſia offertur, figura fuiſſe exiſtimetur. Quibus verbis Auguſtinus à virtute Chriſti manna & aquã, quæ illis data ſunt in cibum & potum, ab authore Chriſto æſtimat, qui idem eſt author nobis, & hoc intereſſe cenſet, vt ibi ſit figura eius quod nunc fit in eccleſia. Et hîc cõſentit Auguſtinus verbis Pauli, qui eodem in loco ſcripſit omnia in figura cõtigiſſe illis: adeò non oportet vrgere verba Pauli, quatenus dicit eũdem eſſe potum & eundem cibum, quaſi & in modo & vbertate dãdi ſit veteribus & nobis cibus & potus idem. Illi vitam per fidem manducabant & bibebant, quam ſpiritus Chriſti miniſtrabat illis. Nos vitam manducamus & bibimus in ſacramẽto, & cibi ac potus identitas in vita eſt. Illis vita erat à ſolo Chriſti ſpiritu: nobis eſt etiã à carne Chriſti, in ſacramento data, vt carne & ſpiritu noſtro, à carne & ſpiritu Chriſti ſanctificemur & hauriamus vitam. Vnde veterum ſacramenta eadem cum noſtris dicerentur in ſigno remoto,

quoad

quoad eandem in cœlum viam, eandem credendorum veritatem, eandem adipiscendam cœlestem vitam spectabāt, tum hîc per gratiā in via, tum in patria per gloriam, quorum dux doctor & dator Christus est, qui de se dixit, Ego sum via veritas & vita: qui nec eodē semper modo duxit tamen, licet eandē viam, non eodem modo docuit, licet eandem veritatē, nec eodem modo dedit, licet eandem vitam: quam vitam veteres nobiscum manducasse fatendum est & bibisse, sed nouo modo & mirabili bibimus nos, quibus non solùm gratia profluens, sed ipse fons vitæ datur bibēdus, de quo etiā veteres ante biberunt, vt idem potus non immeritò dicatur. Quæ verò hic Sectarius ad varietatem sacramentorū ostendendā cōmemorat, partim ex scolasticis deprompta sunt, partim ab eodem quasi quodam Catholicorum simia cōposita ad fallaciā imitatione loquendi. Et verborū Christi claritatē notat, quę interim quàm potest conatur obscurare. Ioan. 14.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

CVM Christus promiserit fidem ecclesiæ non defuturam, cúmque sit sponsa Christi charissima, mirum est quomodo eam tamdiu tam graui errore & horrenda idololatria deseruerit, neque ostendit ei veritatem rei contra tantam impietatem, si ita sit vt vos dicitis.

SOLVIT SECTARIVS.

NON MIRARENTVR SI COGITARENT *quæ Christus dixit de suo postremo aduētu, Putas ne quū venerit filius hominis, fidem inueniet super terram? & tantus ostenditur futurus error, vt si fieri posset etiam selecti seducantur, vt ante aduentū, scribæ, pharisæi, sacerdotes, pontifices, omnia corruperant suis traditionibus: non tamen ecclesia prorsus deserta fuit in errore, quum boni aliquot fuerūt, vt Simeon, Anna, Ioseph, Maria, Ioannes Baptista: Ita factum est his postremis temporibus. Non enim vniuersa ecclesia iis traditionibus humanis fermentata est.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

AGitur hoc argumēto quid fiat media diei luce: & hic Sectarius quærit occasum secundo aduentui Christi proximum, & crepusculum iam præteritum ante ortum solis. Quid autem futurum sit ante secundum eius aduen-

Luc.18. tum,& ipſum iam imminentem, Chriſtus notauit illis verbis, Putas &c. At verò quæ de Simeone, Anna, Ioſepho, Maria, & Ioanne cōmemorat hic Sectarius, ad primi aduentus exordium pertinent. Interim quod factum eſt, tractat ſuo argumento Catholicus: quaſi ita diceret, Tot annorū centenarij præterierunt, necdum exiuit in orbē terrarum veritatis ſonus, (ſiquidem iſti vera prædicant) nondum illuxit ſuo populo dominus, nondum venit lumen, & gloria domini nō hactenus exorta eſt. Populus qui ſedebat in idololatriæ tenebris, lumen non vidit: non eſt enim fugata ſecundum iſtos figuratores gentium idololatria, ſed mutata. Panem & vinum miſeri colimus, vt iſti tradunt, quaſi Bacchum & Cererem figmēta naturę vulgaria. Hæc abſurda & abominanda permittere Chriſtum in eccleſia ſua, quam ſuo ſanguine cōgregauit, non eſt credibile. Vnde argumentum ſuppeditatur catholico à voluntate dei per ſignum. Tenebras quærit Sectarius exorientis, vt dixi, diei & occidētis. Quod eſt in medio, non attingit niſi timidè, addita generali clauſula. Non, inquit, vniuerſa eccleſia his traditionibus eſt fermentata. De multitudine quæritur in nomine Chriſti congregata, & muſsitat Sectarius de ſingulis ſui ſimilibus, quos negat eſſe fermentatos, & rectè: ſal enim abeſt quo condiantur, itaque putreſcunt infatuati.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

SI in Euchariſtia non adſit veritas corporis Chriſti, ſed tantùm ſignificatio ſpiritualis nutrimenti: tunc nihil plus habebitur in ſacramento, quàm in cōmunibus cibis & conuiuiis, nam ibi quoque fideles panis & vini ſignificationem intelligent. Et ſufficiet panis Catechumenorum, & ſic peribit dignitas & effectus ſacramentorum.

SOLVIT SECTARIVS.

QVAMVIS PANIS VVLGARIS POTEST *eandem præſtare ſignificationem, tamen argumentum eſt infirmum. Nā in communibus cibis non eſt domini inſtitutum, non ſacramentum, non audiuntur verba domini, neque eſt vlla ibi promiſsio. Ideo non ſunt hæc interſe conferenda.*

Confutat

CONFVTAT CATHOLICVS.

SI nihil aliud eſt quàm panis quod datur, quin intelligatur in pane ſacramentũ quoties manducatur, nihil prohibet. Nam ſi omnia in nomine domini facienda ſunt, ſiue edimus ſiue bibimus, verba autẽ Chriſti cognita nobis & cogitatione fixa retineamus: vbi nullũ eſt ſacerdotium, quod contendunt iſti, altaria nulla: ſed menſa ad edendum & bibendũ propoſita, in qua nihil præterea agitur niſi gratiarum actio: quid ni obtineat quod Pſalmiſta cecinit, Benedicamus dominũ in omni tempore: & huic iſti Sectario manducatio ita deſcribitur, quaſi dicas, meditari mente ſymbolũ cum cantico Zachariæ. Quod autem hic loquitur de promiſsione, nulla eſt adiecta ſymbolis, ſi nihil aliud quàm concionentur abeſſe carnẽ Chriſti, cuius manducationi eſt addita à Chriſto promiſsio. De auditu verborum domini quẽ nunc exigit Sectarius, non erit ſcilicet difficultas, recitabuntur per vices ab vno & altero, & ſimul aſſeuerabitur fortiter, eſſe domini inſtitutum, quod iſtis eſt loco firmiſsimi argumẽti. Sed iſti Sectarij quod obliquè moliũtur, & quò tandẽ tendant, non audent profiteri palàm. Interim præ ſe ferunt verbis promiſsionẽ inſtitutioni ſacramenti additam, tum autẽ auditionẽ verborum Chriſti magni æſtimari, & verã corporis Chriſti præſentiã negãt, quæ ex vero verborum Chriſti ſenſu eccleſiæ conſtat, & ſola addit ſacramẽto dignitatẽ. Vnde Theophilactus: Non diiudicans, inquit, corpus domini, hoc eſt, nil prius diſquirens, vel internoſcens præſentis myſterij magnitudinẽ. Nam ſi certiores eſſemus, quiſnam & quãtus ſit ille qui nobis in conſpectu adiacet, nulla fermè rei alterius ope indigeremus, ſed ſolus ille & vigilantiam nobis & diligentiam compararet. Hæc Theophilactus, qui Chriſti præſentiam in ſacramento adeò veram eſſe perſuaſus eſt: vt illam ſolam ſufficere putarit ad deterrendos nos, ne quid tanto myſterio indignum faciamus: ad quã veritatem iſti ſectarij aures obturant ſuas, & ſolam eſſe aiunt corporis ſignificationem, ſecundum quam doctrinam facilè, vt prædixi, obtineatur, vt panis omnis triticeus, omni loco, omni tẽpore, ſignificet Chriſtũ, quò frequẽtior fiat ſignificatio, & in vino largior, quatenus pocula maiora exhauriantur, vt ita protinus conculcetur religio, & ipſa vilitate abeat in contemptum.

Pſal.33.

Theophi. in 1.Cor.11.

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

SI tropicè accipiantur verba Christi, tum facilè fieri poterat, vt multa præcepta subuertantur. Abraham iussus circuncidere se, potuit dixisse, sermo est figuratus, & huic mādato satisfaciam, si cor meum circuncidero. Item quum delectus ciborum mandabatur, dixissent Israelitæ, executionem illius mandati posse constare morali obseruatione, si ea peccata non perpetrarent, quæ immundis illis animalibus designabantur, & sic nec circuncisio, nec delectus ciborum locum habuisset.

SOLVIT SECTARIVS.

INFIRMA EST RATIO: NAM LITERA *ipsa & circunstantiæ euincunt sermonem nō esse tropicum. Nam dies octauus determinatur circuncisionis, & additur fœdus domini in carne gestandum, atque in delectu ciborum tam disertè conditiones animantium mundorum & immundorum describuntur, & purificationes præuaricantium, vt non sit relictus ambigendi locus.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

IMò firma est ratio, nec defuerunt qui religionem nostram illis artibus adorirentur, nec deerit ingenium malitiæ, vt illum diem octauū, de quo loquitur Sectarius, tropo aliquo expediant: videlicet in circūcisione, quatenus octauo die fieri iubetur, nouum sabbatismū significari, vt ab operibus carnis in corde cessetur. Et quum Deus sit spiritus, non in carnis præcisione, sed in cordis inscriptione notari fœdus, & ibi gestandum, nō in pellicula. Et item de esu animalium philosophandum, si illa ociosis ingeniis aperiatur licentiæ fenestra, vt in præceptis & sacramentis intelligēdis liceat tropis & allegoriis ludere, ac literæ sensum, & simplicem verborum intellectū eludere. Quare rectè est annotatum in mandatis dei & sacramentis, dummodo nihil contineant ipsa literæ specie absurdi, hoc est à fidei regulis alienum, à proprio verborum intellectu non esse recedendum.

Catho-

CATHOLICVS ARGVMENTATVR.

IN prophetis & historiis tropi facilè possunt admitti, eò quòd spiritus sanctus agat more hominum, vt vehementius & magis exprimat quæ sunt dicenda. At in dogmatibus & præceptis, omnia simpliciter debent sumi.

SOLVIT SECTARIVS.

HAEC SENTENTIA NON EST VNIVER-*salis. Nam quoad præcepta Christus ait: Cauete à fermento Pharisæorum: vbi apertè tropo vtitur. Et in septimo Matthæi præcepit, vt sibi cauerent à falsis prophetis. Nam, inquit, ad vos veniunt in vestimentis ouium, intus autē sunt lupi rapaces: in quo præcepto figurata est locutio, & in dogmatibus sunt tropi. Nam Paulus ait: petra erat Christus, Nos sumus vnus panis: & de Deo scribitur quòd sit ignis comburens.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

QVOD hîc adducit Sectarius, non infirmat vniuersalitatem. Nam cauete à fermento Pharisæorū, non simpliciter dogmatis causa à Christo dicebatur: Sed vt suorum animos ab oscitantia excitaret, qui de panibus ad ventris saturitatem, ne deessent, in eremo nimium soliciti, spiritualia negligentiùs haberent. Vnde errorem in Christi verbis intelligendis quum deprehendissent suū, altius postea in animis infigerent, quod illa cautione docebātur. Quare quod speciali ratione à Christo factum est, nō potest id quod generale est infirmare. In illis verò verbis, Cauete à falsis prophetis: præceptum quidem ipsum simplicissimis verbis effertur & apertissimis: quod autem sequitur, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: ad discernendi notam pertinet, non ad præcepti causam, in quibus metaphoris notatur aptè simulatio sanctitatis, quæ quidem verbo vno hypocrisis dicitur, sed nō vno modo apud homines fingitur, & significanter exprimitur illa omnium deterrima, dum sub ouina pelle grassatur rapacitas. Illud verò, Petra erat Christus: nihil habet tropi, quatenus petram sequentem intelligamus, neque enim insensibilis petra sequebatur, sed petra Christus. Nec continent illa verba dogma præsentis ecclesiæ, sed docent quid veteribus in figura con-

Matth. 16. *Matth. 7.* *1. Corin. 10.*

1.Corin.10. tingebat. Et illa verba, vnus panis multi ſumus: myſterij arcanum inſinuant, quod nullis verbis propriis poteſt explicari. Nam quum dicimur Chriſti corpus, tropus eſt neceſſarius, quemadmodum in prophanis dicuntur gemmare vites: quia verbũ propriũ non eſt quo id explicetur, & annotatum eſt plura eſſe negocia quàm vocabula. Quum verò Chriſtus inſtituerit Euchariſtiæ ſacramentum, verbis propriis expreſsit quod volebat, & ſi non corpus ſed corporis figuram dare voluiſſet, non deerant verba propria, quibus id exprimeret, quæ non dixiſſe Chriſtum eſt à patribus annotatum. Illud verò, Deus ignis eſt comburens, id nobis de Deo ſignificat, quod alibi verbis quoad poteſt propriis effertur. Nam de diuina natura noſtris verbis ſine tropo loqui non poſſumus. Chriſtus de humana natura locutus eſt in cœna verbis propriis, quum diceret, Hoc eſt corpus meum.

Confutatio ſolutionum, quibus conantur Sectarii authoritatem ſanctorum Patrum eleuare & eludere.

CATHOLICVS CITAT EX CLEMENTE, Epiſtola ſecunda.

TRIBVS gradibus commiſſa ſunt ſacramenta diuinorum ſecretorum, id eſt presbytero, diacono, & miniſtro, qui cum timore & tremore clericorum, reliquias fragmentorum corporis dominici cuſtodire debẽt, ne qua putredo in ſacrario inueniatur, ne quum negligenter agitur, portioni corporis domini grauis inferatur iniuria. Communio enim corporis domini noſtri Ieſu Chriſti, ſi negligenter erogetur, & presbyter minora non curet admouere officia, graui anathemate, & digna humiliationis plaga feriatur. Certè tanta in altario holocauſta offerãtur, quanta populo ſufficere debeant. Quòd ſi remãſerint, in craſtinum non reſeruentur: ſed cum timore & tremore, clericorum diligentia conſumantur. Qui autem reſi-

dua corporis domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes cibos accipiendos conueniant, ne putent sanctæ portioni commisceri cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur.

SOLVIT SECTARIVS.

PRIMVM DICIMVS QVOD EPISTOLA *hæc non est Clementis, sed ficta à papistis, & mundo obtrusa Clementis nomine. Deinde etsi concedamus esse Clementis, tamen aduersatur eorum errori in tribus rebus. Primùm quòd panis in sacramento vocatur corpus domini, & reliquiæ fragmentorum panis, vocãtur reliquiæ & fragmenta corporis domini, quod non potest intelligi nisi figuratiuè. Deinde quòd panis non debet reseruari, vt papistæ vbique faciunt. Tertiò, quòd sacerdotes non debent sumere sacramentum soli, sed cum populo. Et notandum est quòd non irreuerenter accedendum est ad cibum mensæ dominicæ, vt ad cæteros communes cibos: sed cum timore & tremore, ne indignè accedamus ad sanctam mensam, in qua Christus ipse non solùm repræsentatur, sed etiam verè nobis datur.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

ILLA calumnia est facillima, verbo velut fictitium reiicere quod aduersetur. Sed est ex istis qui bellè excogitauit, non fuisse hanc epistolam Clemẽtis primi, sed cuiusdam Clemẽtis tertij, qui post Gratianũ, quo authore hanc epistolam editam habemus, annos fermè sexaginta fuit, scilicet vt quod est in prouerbiis, antequam capra pareret, hœdus luderet in tectis: hoc est, ante Clementem natum prodiret eius epistola. Sed parum pensi habẽt huiusmodi homines quid dicant, modò aliquid dicant quod à veritate dissentiat. At verò hic Sectarius confictis tribus notulis regerit Clementem in catholicos. Et quàm non cohæret, idem fictum esse, & iis qui finxisse arguuntur, tam apertè (vt hic colligit suis notulis) aduersari? Sed ipsas excutiamus notulas. Primùm notat in verbis fragmenta corporis figuratam locutionem, quia nõ potest, inquit, aliter intelligi. Imò, ô bone, catholicus mysticam dicet locutionẽ, quæ est mysterij propria, vt Christus qui non frangitur ipse, tamen in mysterio frangatur ad

exprimen-

exprimendam pasſionem, licet in ſolo ſigno ſit fractio ſenſibilis. Quòd ſi vt vult Sectarius, hæc verba ſine tropo intelligi nõ poſſunt, iuſtam dicit cauſam adſciſcẽdi tropi, quæ in Chriſti verbis interpretandis non eſt neceſſaria, & ideo non adhibetur. Quòd autem panis vocetur corpus, non probat hic locus, qui nõ exigit vt fateamur manere panem, quando fractio in panis accidentibus, expeditur ſenſibus, & Chriſti corpus dicitur impartibiliter diuidi, vt ſub minimo fragmento ſit integrum corpus, vnde conuenienter fragmenta ſunt indiuiſibilis corporis. Secundum autem quod hic Sectarius notat, non verbis Clementis exprimitur, ſed huius Sectarij interpretatione colligitur. Iuſsit Clemẽs ne reſeruentur in craſtinum, quoniam ita illi videbatur conuenire: non dixit autem non deberi, aut non poſſe reſeruari, quod hæretici quidam putabant, quos arguit Cyrillus. Tertium quod hic Sectarius notat, iſtum ipſum Sectariũ mendacij notat. Quãuis enim Clemens dicat populo paranda Holocauſta, quod eccleſia ſemper profeſſa eſt, & omnes Miſſæ cæremoniæ prædicant: tamẽ non dicit ſi populus defuerit, & præparato illorũ cauſa ſacramento, vel noluerint, vel non potuerint adeſſe: non dicit inquam Clemens eo caſu ſacerdotem, qui myſterium confecit, ideo abſtinere debere, quia conuiuæ inuitati non veniunt, ne ſolus poſsit manducare. Imò contrà potius, ne reliquiæ in craſtinum maneant, vult vniuerſum, quod paratum eſt, à clericis conſumi, vt vbi vnus modò clericus ſit, quod ruri accidit, ibi ſolum poſſe & debere, ſecundum Clementem, ſumere quod parauit pluſquam manifeſtum eſt. Illud mihi videtur annotatu dignum, quod verba huius epiſtolæ quam hic Sectarius vt confictam reiicit, huc illum impulerint, vt de ſacramẽto auguſtius quàm vſquam ferè alibi loquatur. Nam hîc timorem & tremorem à ſuis ſymmiſtis exigit, & menſam ſanctam vocat, in qua Chriſtum ipſum non ſolùm repræſentari dicit, ſed etiã verè nobis dari. Certè ea eſt iſtorum Sectariorum aſtutia, vt loquantur interdum cum catholicis, ſentiant nihilominus cum hæreticis. Nam ſi quis quod hic dicit Sectarius, vrgeret, ita elaberetur Chriſtum, vt Deum vbique eſſe, & dari in menſa, quia verbis ſuis adeſt diuina gratia, ſunt autem ſymbola viſibilia verba. Qua verborum ſpecie myſterium humanitatis Chriſti, diuinitatis mentione eluderetur, quum in ſacramento proprium eſt humanitatis manducari, qua-

Cyrillus ad Caloſyriũ.

quã Christus se nobis per mysticam benedictionem communicat, vt Cyrillus ait, & sanctificat carne, quos antea in baptismo sanctificauit spiritu. At isti mysteria religionis nostræ vel ignorant, vel confundunt data opera. Breuiter qui istam Clementis epistolam perpenderit, intelliget veram ecclesiæ doctrinam ea tradi, & Sectariorum conuelli. Primùm appellat sacramenta diuinorum secretorum, quum sola significatio nihil habeat secreti: negligentiam in custodia, graui anathemate feriri iubet, quod docet mysterij magnitudinem: fatetur deinde corpus esse domini nostri Iesu Christi, appellat postea holocaustum, quod est veri Christi corporis proprium, & quoniam reliquias tanta veneratione consumi exigit, integrum adhuc superesse sacramentum etiam peracta communione confirmat, quod Sectarij derident.

CATHOLICVS EX IGNATIO ad Ephesios.

Estinate ergo frequenter accedere ad Eucharistiã & gloriam Dei. Quando enim asiduè hoc ipsum agitur, expelluntur potestates sathanæ, qui actus suos conuertit in sagittas ignitas ad peccatũ. Et ad Romanos: Non comedã escã corruptionis, neq; voluptatis huius mũdi desidero, panem Dei volo, panẽ cœlestẽ, panẽ vitæ, qui est caro Christi filij Dei viui, & potũ volo sanguinis eius, qui est dilectio incorruptibilis, & vita ęterna.

SOLVIT SECTARIVS.

PRIMA SENTENTIA NIHIL FACIT *pro opinione Papistarum, sed versatur in commendatione sanctæ communionis, & exhortatione ad eam, quæ à nemine satis pro dignitate eius commendari potest, si bene vtatur. Secunda sententia loquitur de spirituali manducatione per fidem.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

IMO quod Cyprianus in hoc sacramento annotauit, ab *Cyprianus*
effectu videlicet æstimari causam, si hæc prima Ignatij *ser. de vn-*
sententia consideretur, inde nobis constare faciet, qua- *ctiõe Chrys*
tenus hac sacra communione potestates sathanæ expelli *matis.*
dicat eum, qui sathanã deuicit, & cui omnis potestas data est in cœ-

lo & in terra, adesse intelligamus: atque eius præsentia hæc fieri. Quod autem nominet Ignatius Eucharistiam gloriam Dei, non potest non significare Christum, qui regnat in gloria Dei patris, & ideo gloria Dei patris solus prædicatur, quæ appellatio non communicatur creaturæ, quia gloriam suam non dat alteri. Secunda Ignatij sententia de sacramento loquitur apertissimè, qua illud dicit Ignatius, panem Dei desidero, volo panem cœlestem, panem vitæ, qui est caro Christi. Nam manducatio spiritualis, de qua loquitur Sectarius, sola meditatione peragitur, quæ nihil externum exigat, vt non sit causa cur dicatur ab Ignatio, desidero, volo, qui quatenus desiderat & vult, fide iam habet, & charitate Christi spiritum, quo Christo coniungitur habitudine virtutum, quæ est manducatio spiritualis. Sed Ignatius in prima sententia magnum mysterium Eucharistiæ prædicat, quam fatetur gloriam Dei: in secunda sententia specialiter agnoscit diuina munificentia præparatum cibũ vitæ, ipsam carnem Iesu Christi filij Dei viui, quem se esurire ostendit, & eo saturari desiderat, & ideo vehementem animi affectum illis verbis exprimit (volo cibum, volo potum) illud summopere expetentis coniungi Christo reipsa secundum Chrysostomũ, & vniri carne secundum Cyrillum, quemadmodum se iam sentit vnitum spiritu, quatenus Christum habeat in se naturaliter secundum Hylarium, & corporaliter habitantem secundum Cyrillum, corporis videlicet eius substantia communicata, quód fit, vt Cyrillus ait, per mysticam benedictionem, id est Eucharistiam, quæ vt nobis prosit, spiritualiter manducari debet, & cum fide adeò, sine qua impossibile est placere Deo. Sed Ignatius desiderauit ipsum sacramentum, gloriam Dei, panem Dei, panem vitæ, hoc est, carnem Iesu Christi, quæ nobis in Eucharistia sumenda datur officio oris: quod excludere conatur Sectarius hac loquendi forma, per fidem, cui partes arrogat omnipotentiæ Dei, vt quum Dei omnipotentia caro Christi in sacramento præsens non sit, fidei tamẽ efficacia tanquam accersatur, vt sit præsens ipsi credenti.

Hebr. 11.

CATHOLICVS EX TERTVLLIANO.

Tertull. de Resurrect. carnis.

CARO corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur: non possunt ergo separari in mercede quas opera coniungit.

Sic

SOLVIT SECTARIVS.

SIC EXPONIMVS TERTVLLIANVM, *quòd caro vescitur pane & vino, quæ vocātur corpus & sanguis Christi, quia, vt idem ait, repræsentant corpus Christi, quamuis non sint ea realiter.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

LOquitur Tertullianus magna & arcana mysteria, carnem videlicet nostrā eo honore haberi, vt corpus percipiat & sanguinem Christi, vnde dicit, sequi saginam animæ, & vesci nihil aliud Tertulliano significat quā manducare, quo notat corpus & animam vna opera iungi. Quod non ita fieret si sola anima carnē Christi exciperet per fidem, vt sensisse appareat eum id quod corde creditur, etiā ore percipi, vt vna in excipiendo Christi corpore, carnis & animæ iungatur opera, ne postea in mercede separentur. Quod rursus si à carne corporis nostri, tantùm panis & vinum sumerentur, suum iam munus caro & anima exequerētur singulæ, nec opera iungerentur, quæ separatim nunc (quomodo vult Sectarius) & partitò agunt. Sed quid hæc tracto pluribus? Sensit Tertullianus vt catholicus, quod verba eius exprimūt: facit hic quod Sectarius, vt bene dicta deprauet violenta interpretatione. Nisi enim re ipsa adesset in sacramento corpus, non posset caro illo vesci, & id tanquam mirabile narrat Tertullianus, quum pane vesci quocunque vocetur nomine, non sit stupendum. Et panes propositionis quum vrgeret fames, comedebat Dauid cum suis: qui tamen significabant corpus Christi, & omnem panem significare corpus Christi, videtur innuisse propheta, quum diceret: Mittamus lignum in panem eius: nec dixit hunc aut illum *Hierem.XI.* panem, adeò nihil est admirabile in significatione panis, aut illius sic significantis manducatione. Tertullianus de corpore & sanguine Christi loquitur, quæ sub speciebus panis & vini caro excipit, & illis vescitur iuxta domini institutum, non cōminuendo aut consumendo vt in reliquis cibis: sed coniunctim cum anima vtendo, vt quia opera coniunguntur, in mercede non separentur.

CATHOLICVS EX ORIGINE IN Numeris. Homil. 7.

ANtea in ænigmate fuit baptiſmus, in nube & in mari: nunc autẽ in ſpecie regeneratio eſt in aqua & ſpiritu ſancto: tunc in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in ſpecie caro verbi Dei eſt verus cibus: ſicut ipſe dicit, quia caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Sic ergo iam nũc Moyſes apud nos poſitus, & huic Ethiopiſſæ cõiunctus: vel ipſe ad nos, vel Deus ad ipſum non loquitur in ænigmate, ſed in ſpecie.

SOLVIT SECTARIVS.

ORIGENES NON INTELLEXIT, QVOD *Chriſtus eſt corporaliter vel in aqua baptiſmatis, vel in pane & vino: neque quod nos carnaliter & corporaliter regenerati ſumus, vel carnem & ſanguinem Chriſti manducemus: ſed regeneratio noſtra eſt ſpiritualis, & manducatio item ſpiritualis, quæ non requirit realem & corporalem præſentiam Chriſti, ſed tantùm præſentiam in ſpiritu, gratia, & efficaci operatione.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

ORigenes ſpeciem ſentit, apertam verborum ſimplicitatem, & rerum congruentem præſtationem, vt quum Chriſtus dicat, Caro mea verè eſt cibus, fidelibus non loquatur ænigma, ſed ipſam rei ſpeciẽ, & quum promittat ſe carnem dare in cibum, ad nos loquatur in ſpecie. Et in cœna quum quod eſt pollicitus præſtat, in ſpecie præſtat, id eſt, ipſam veram carnem dat, non ænigmaticam carnis ſignificationem, quomodo manna fuit, quod qui ſpiritualiter manducabant, animos cum corporibus paſtos ſentiebant. Nam & illis aderat gratia & efficax operatio à ſpiritu Chriſti, in virtute etiam carnis Chriſti futuræ, vt & illis panis eſſet angelorũ in cibum, & Petra erat Chriſtus: vnde profluebant aquæ in potum. Sed illa in ænigmate adhuc ſecundum hunc Originem, quæ nobis in ſpecie exhibentur, hoc eſt, non nouo ſignificandi modo, vt pane ſignificetur caro, aqua verò per baptiſmum regeneratio: ſed in aqua & ſpiritu ſancto fit regeneratio, quemadmodum ſub viſibilibus panis & vini ſpeciebus,

bus, vera carnis & ſanguinis Chriſti præſentiũ exhibitio: quia Chriſtus ad nos nõ amplius loquitur in ænigmate. Quum diceret ergo, Hoc eſt corpus meũ, non figurã corporis ſenſit, quaſi ænigmaticè loqueretur. Et quemadmodũ Chriſtus verè adeſt in baptiſmate ſpiritu: ſic verè adeſt in Euchariſtia carne, vt vbiq; ſit ipſa in ſpecie præſtatio. Nã vt in baptiſmate dixit nos regenerari ſpiritu & aqua, quæ ipſa veritatis ſpecie adſunt: ſic in Euchariſtia qui promiſit carnem, & dixit in cœna, Hoc eſt corpus meum, verè eſt in carne Chriſtus in ipſo quod dat corpore, vt totus ſit deus & homo propter vnionẽ. Et iſta ſunt diuina & ſpiritualia, quæ in ſpecie fiunt, vt ſentit Origenes. Sectarius iniicit illa ſua ſolemnia (carnaliter & corporaliter) quibus loquitur ſuo more, vt offundat lectori tenebras, & addit non requiri realem præſentiam. Reſpõdeo: Ad veritatem promiſſorum requiritur, vt in ſpecie fiat quod dicitur, ne amplius ad nos Moyſes noſter loquatur in ænigmate, ſed caro nobis intelligatur caro vera, & verè data, & tum in cœna data, & ſub illis ſpeciebus data, denique ſub illis verè præſens eſſe, vt panis non ſignificet abſentem carnem, quod eſſet ænigma nouum, illo manna etiam obſcurius, quũ manna aliquid maioris virtutis præ ſe ferret, non mundi lege compoſitum, vt Ambroſius ait: Panis ab homine factus, nihil ex ſe ſuggerit altioris myſterij, adeò hic locus Origenis manifeſtè docet, verba Chriſti propriè intelligenda, & ſua ſpecie, vnde ſequitur veriſsima & certiſſima corporis Chriſti præſentia in Euchariſtia.

CATHOLICVS EX CYPRIANO EPIST. tertia, lib. decimo.

AT verò nunc nõ infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus ſed viuentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus. Et quum ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſsit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confeſsione nominis ſanguinem ſuum fundere: ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem de-

negamus? aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in ecclesia poculum domini iure communicationis admittimus?

SOLVIT SECTARIVS.

CYPRIANVS NON LOQVITVR HIC DE *crassa & carnali manducatione, cum ore corporis: sed de interna, pura & spirituali manducatione, cordis & mentis, quæ est in corde credere, quòd caro Christi lacerata sit pro nobis in cruce, & sanguis fusus pro redemptione nostra: & quòd eadem caro & sanguis nunc sedeat ad dextram dei patris, continuò intercedens pro nobis, & hæc in mentibus nostris imprimere & digerere, collocantes fiduciam nostram in ipsum, & offerentes nos ipsi ad diligendum & seruiendum ipsi omnibus diebus vitæ nostræ, hoc est, verè, syncerè, & spiritualiter manducare carnem Christi, & sanguinem bibere.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

EFfecerunt hæc verba Cypriani, vt se nobis aperiret hic Sectarius, & tandem euomeret quid de manducáda carne Christi spiritualiter sentiat. Qua in re quæ de manducatione spirituali dicit, non sunt mala, sed dicta malè, videlicet ideo dicta, vt vero expugnet verum, & meditatione in speciē pia summam Christi benignitatem in danda carne sua, ad manducandum impiè excluderet, & quasi cum contumelia reiiceret sumptionem sacramenti, nihil veritus crassam & carnalem dicere manducationem, quam docent catholici, vt corpus Christi ore excipiamus, quod ipse sua manu porrigit comedendum. Quin illud te velim considerare, lector, num catholicos planè ludant, & frustrentur suos Sectarij, illa verborum pompa ac strepitu, quoties de offerendo & exhibendo corpore Christi magnificè loquuntur, item de potenti & efficaci significatione symbolorū, de timore suo & tremore quem verbis fingunt, quæ omnia tandem huc redeunt, vt spiritualiter manducare, quo quicquid sit in sacramento spirituale defungi volunt, sit istis quasi animo dilĩgēter voluere symbolū illud apostolorum cum cãtico Zachariæ, tanquam appendice, in quibus fit mētio eorum omnium quæ hîc pro manducatione meditanda censet

Sectarius:nam Christi paſsio, & ad patris dextram ſeſsio ſymbolo continetur,noſtri verò oblatio in illis Zachariæ verbis: vt de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia,omnibus diebus vitæ noſtræ: quod eſt ſeriò gratū deo obſequiū, imò noſtri in Chriſto ſumma perfectio,quam vt aſſequamur, omnis noſtra cogitatio & meditatio incumbat, ſed hæc vt obtineamus nos ſubleuant,prouehunt,auxiliantur,roborant,& confirmant ipſa ſacramenta,quorum etiam protectione munimur,quemadmodum Cyprianus hîc loquitur,quod Sectarius diſsimulās,infarcit ſua,quę ſunt à Cypriano aliena. Sectarius enim reſpōdet quæ ſit ſumma officij noſtri in Chriſtum, dum Cyprianus tractat gratiam beneficij Chriſti, qui ſecundum Cyprianum prouidit nobis in ſacramento protectionem,munimenta,arma,quibus tecti & armati,quod facere debeamus nos offerēdo deo &c.etiam id facere poſsimus, qui ſine Chriſto nihil poſsimus, & in illo gloriatur verè Paulus ſe poſſe omnia, qui Chriſtus quoniam præſentiſsimè nobis adeſt in Euchariſtia,vbi corpus eſt,in quo ipſa diuinitatis plenitudo inhabitat corporaliter,hinc iſtæ voces manarunt Cypriano, dandam cōmunionem his qui ob Chriſti nomen patiūtur, vt quos excitamus, inquit, & exhortamur ad prelium,non inermes & nudos relinquamus,ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus. Vt hac nimirum protectione muniti, & de timore inimicorum ſecuriores effecti & tutiores,liberè ac verè offerant & præſtent, quod in illa perſecutionis procella exigebatur obſequium,& pro Chriſti nomine fortiter in illo prælio perſeuerēt.Ex quibus Cypriani verbis ita arguūt Catholici:Si eſt hic effectus huius ſacramēti,certè cauſa etiam adeſt, quæ hunc effectum operetur,quæ eſt Cypriani regula de hoc ſacramento. Nihil ad hæc reſpondet Sectarius, ſed ſe occulit in penetralibus internæ meditationis,& dū neſcit quid aliud dicat, prodit nobis ſuæ ſectæ myſteria,nihil ſe eorum ſentire quæ loquuntur, ſiquādo quid tribuunt ſymbolis & ſacramento, nam vno ſymbolo apoſtolorum meditato,cum cantico,vt dixi, Zachariæ,omnē cœnæ cæremoniam ſuperfluam,& minimè neceſſariam tradit. Nam ita claudit quod dixit,hoc eſt verè,ſyncerè, & ſpiritualiter manducare,&c. Adeò hæc ſolutio & ſi ad dictum Cypriani inepta ſit, & quæ quod in illo eſt,non attingit: non tamen omnino inutilis eſt, quòd Sectarios

rios nihil bona fide eloqui in hoc myſterio ornando, ſi quando id faciant, quod nonnunquam faciunt, planiſsimè oſtendat.

CATHOLICVS EX CYPRIANO DE cœna domini.

PAnis iſte quem dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia dei factus eſt caro. Et ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita ſacramento ineffabiliter diuina ſe infudit eſſentia.

SOLVIT SECTARIVS.

POSTERIOR SENTENTIA DECLARAT *priorem. Nam diuinitas ſacramentaliter infunditur, pane & vino etiã remanentibus, ſicut diuinitas in vnitate perſonæ erat in humanitate Chriſti, ipſa humanitate etiam remanente cum diuinitate: & tamen panis mutatur non in effigie, nec in ſubſtantia, ſed in natura, vt Cyprianus verè ait: non intelligens naturalem ſubſtantiam panis abiiſſe, ſed per verbum dei additam eſſe pani aliam ſublimiorem proprietatem, naturam & conditionem, ſupra naturam communis panis, hoc eſt, quod panis nobis ſignificat nos eſſe participes ſpiritus dei, & puriſsimè coniunctos Chriſto, & ſpiritualiter paſtos carne & ſanguine eius, ita quod nunc myſticus ille panis, ſimul eſt corporale alimentũ corporis, & ſpirituale alimentum animæ. Sed eſt ex illo grege qui ita reſpondet, Quod Cyprianus dicit de mutatione, illam nos concedimus, ſed ſacramentalẽ: & tunc fatemur non effigiem ſiue formam, & accidentia panis ſubire hoc munus vt ſint ſacramenta, ſed naturam & ſubſtantiam ipſam panis & vini, mutari in ſacramenta corporis & ſanguinis domini, & quòd ſubſtantia ipſa, & non effigies nutrit, ita corpus Chriſti & animam noſtram alit, & corpus fouet atque inſtaurat. Sed aduerſarij contra Cyprianum ſubſtantiam panis non mutant, verum prorſus auferunt: nos mutari dicimus, vtque corpus Chriſti fiat, id eſt ſacramentum corporis Chriſti, quod antè non erat.*

Confu-

CONFVTAT CATHOLICVS.

Hic seipsos diuidunt Sectarij, & quot homines, tot sententiæ. Ego singula considerabo. Primus dicit, senteñtiam posteriorem Cypriani declarare priorem. Declarat quidem, quoniã similitudine explicat vt sit illustrior, non vt de prioris significatione quicquã imminuat, imò significanter additur cõtra Nestorianos, à carne Christi non abesse diuinitatem. Tum autem illud agit, vt diuinitatem & humanitatem Christi tam certò credamus in sacramento, quàm in persona Christi. Et conatur hic Sectarius verbis Cypriani inducere interpretationem, quomodo sentiat ille panem natura mutari, non inquit Sectarius, vt substãtia mutetur: Sed quia pani sit addita sublimior proprietas, natura, & cõditio. Audis hîc lector tria verba, proprietas, natura, conditio, fermè sine sensu dicta. Primùm si de significatione sola agitur, quomodo potest esse proprium panis, quod illi sit commune cum petra? Petra enim significabat Christum, vt pleraque alia. Deinde quomodo dicatur esse de natura panis, quod neque internam neque externam naturam attingat? An verum erit significationem rei additam mutare naturam? An vermis desinet esse natura vermis, quia significat Christum? Quod autem ad conditionem attinet, dicunt aliàs isti panem non fieri sanctiorem. Et vt sit conditio alia, quid hoc ad naturã quam dicit mutari Cyprianus? quid ad panis proprietatem? At verò operæpretium est audire quid iste dat pani significationis, quæ non eius sit quod simus accepturi, aut accipimus: sed quod iamdudũ accepimus. Nam significant, inquit, symbola nos esse participes spiritus dei, & purissimè coniunctos Christo, & spiritualiter pastos, secundum quem significandi modum, Baptisma non conferet regenerationem & efficiet, sed testabitur collatam, vt omnia, opinor, referantur ad abyssum diuini consilij in prædestinatione ante mundi constitutionem. Nam huc spectare videntur quæ hîc loquitur. Alteri istorum sectariorum (vt ad illum veniam) non omnino ita videtur, nam hic verbis catholicorum libenter cedit, vt sensu postea vtatur suo, ergo concedit ille mutationẽ sed sacramentalem: de qua fictione in excutiendis istorum regulis egi pluribus: Atqui hic Sectarius ne desinat esse sub-

ſtantia panis, quomodo docent catholici: dat illi partes in ſacramento, & dicit ſubſtantiam panis mutari in ſacramentum. Vidit neceſſariò mutationem concedendam, atque adeò ſubſtantiæ, & quoniã proprium ſubſtantiæ ſit alere, ipſa quoniam nutrit, fit, inquit, ſacramentum. Secundum quam expoſitionem nihil eſt in ſacramento viſibile: nam ſubſtantia quæ eſt cuiuſque rei natura interna, nec videtur nec tangitur. Et hic iſte alibi argutatur, ſignum nõ poſſe latere, quum hoc in loco totius ſacramenti cõſtituat deliteſcentiam. Nam nec quæ ſignificet ſubſtantia panis videt, quod verò ſignificatur quoniam abeſt ſecundum eos corpus Chriſti, multo minus. Eccleſia non aufert ſubſtantiam panis, quæ nihil aliud quàm myſterij cõſtitutionem explicat, & mutatam confitetur: ſed nec in ipſo myſterio adnihilatur, propter ſucceſsionem melioris: ſed mirabiliter mutatur præter naturæ regulas. Iſtis verò malitia mutauit intellectum, vt nihil prorſus recti ſenſus illis relictum ſit. Nam alter ita verſatur in ſymbolis, quaſi ſignificent præterita: Iſte ſacramento nihil relinquit viſibile quum, illud deputet internæ ſubſtantiæ, & accidentia relinquat otioſa. Si propriè loquamur, totum non prædicatur de ſingulis ſuis partibus, ideóque terreni elementi ſpecies, non eſt ſacramentum: Sed altera ſacramenti pars, hoc eſt, poſt conſecrationem Euchariſtiæ, quaſi forma cum ipſa materia, & res ſacramenti ſit verum corpus Chriſti. Atque hæc quum ita ſint, apparet Cypriani verba eccleſiaſticæ doctrinæ conſentire, nec poſſe iſtorum machinis ab illo conſenſu diuelli. Multa prætereo, quæ tu, lector, in iſtorum dictis perſpicies facilè, & illud in primis, quomodo in prima ſolutione ita loquitur de diuinitate Chriſti Sectarius, quaſi perinde ſit vnita pani, atque eſt humanitati in perſona Chriſti, id quod Cyprianus non agebat illa ſimilitudine: ſed vt oſtenderet diuinitatem latere, quod fieri intelligendum eſt in carne Chriſti præſente, ex pane facta mutatione ineffabili. Sed iſti nihil curant aſſerere deum impanatum: in ea monſtra ruunt præcipites, à veritate auerſi, & obcæcati malitia.

Catho-

CATHOLICVS EX HILARIO DE TRINITATE lib. 9. affert illud.

Si verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo nō naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem, sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis, sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes sumus vnū, quia & in Christo pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter, vel se in Christo, vel Christū sibi inesse: Quia in Christo pater, & Christus in nobis vnum in iis esse nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nósque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas asseritur, quum naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit vnitatis. Non est humano aut seculi sensu in dei rebus loquendum, &c.

SOLVIT SECTARIVS.

QVAMVIS HILARIVS DICAT CHRI-*stum in nobis naturaliter esse, tamen etiam dicit nos naturaliter esse in eo. Neque intellexit de naturali & corporali præsentia substantiæ corporis Christi & nostri. Nam vt corpora nostra non sunt eo modo in eius corpore, sic corpus eius non est eo modo in nostris corporibus. Sed intellexi, quòd Christus in incarnatione assumpsit à nobis naturam mortalem, & vniuit eam diuinitati suæ, & sic nos sumus naturaliter in eo. Tum etiam sacramenta baptismi & sacræ cœnæ, si rite sumantur, certos nos faciunt quòd participes sumus diuinæ naturæ, habētes ab eo datam nobis immortalitatem & vitam æternam. Et sic Christus naturaliter est in nobis. Et ideo disserens Hilarius illic de vtroque sacramento, nullam differentiam facit inter vnionem nostram cum Christo in baptismo, & vnionem cum eo in sacra cœna. Nihil autem istorum nostræ sententiæ aduersatur, quia Hilarius non contendit sub accidentibus, aut in hoc sacramento latitare, atque opertum esse Christi corpus, sed asserit tantùm, nos communicādo verè coniungi carni Christi, quod nos minimè negamus.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

Hilarius tractat mysterium nostræ cum Christo vnionis secundum carnem, quam Christus ex nobis assumpsit, & diuinitati suæ vnitam, nobis deinde in sacramento dat & communicat, quo fit vt eiusdem carnis sit mutua cõmunicatio, dum in misterio Eucharistiæ à Christo accipimus, quod in mysterio incarnationis ille sibi suscepit à nobis, vtriusque mysterij author & opifex, & per hanc mutuã communicationem fit, vt quẽadmodum nos sumus naturaliter in Christo per mysterium incarnationis, in quo verbum caro verè factum est: sic Christus est naturaliter in nobis per mysterium Eucharistiæ, quam Hilarius vocat cibum dominicum, qui vnionis effectus in iis demum qui dignè cõmunicant fit, atque hæc quomodo explicauit, sentit hoc in loco Hilarius. Nunc aduerte quomodo hic Sectarius torquet hunc Hilarij locum tam apertũ. Primùm vt offundat tenebras lectori, quod Hilarius vtriusque mysterij incarnationis & Eucharistię effectum annotans, communiter de Christo & nobis loquitur, dicens nos in Christo, & Christũ in nobis naturaliter esse: iste distinguit per aduersatiuam: Quanuis, inquit, dicat Christũ in nobis naturaliter esse: tamen etiam dicit nos naturaliter esse in eo. Respondeo: Enimuerò dicit, quia vnitur illi natura carnis nostrę per incarnationem, vnitur autem nobis natura carnis eius per Eucharistiam: & sic perficitur vnionis mysterium, vt simus caro de carne illius, sicut ille est caro de carne nostra. Vnde nos in illo naturaliter, & ille iam in nobis naturaliter est. Adeò vides, lector, istam aduersatiuam ab hoc sectario in ipso tractationis ingressu sine causa confictam esse, nisi quatenus quod in Hilario clarum est, conatur loquendi formis obscurũ reddere. Tum autem quod sequitur in Sectario, Neque intellexit, &c. illis verbis remouet ab Hilario intellectum, quẽ nemo illi ex hoc loco tribuit, scilicet vt corpora nostra sint in Christo secundum integritatem indiuiduarum substantiarum, quemadmodũ Christi corpus in dispensatione mysterij Eucharistici integrum & impartibile, vt Cyrillus loquitur, singulis communicatur, quod nemo vnquam somniarit. Imò illud sentit Hilarius, nos propter substantiam carnis nostræ assumptæ esse in Christo naturaliter, & Christum item in nobis naturaliter esse propter substãtiam carnis eius in mysterio datæ,

Cyrillus li. 12. cap. 32.

&à

& à nobis acceptæ. Iam verò quia Hilarius eandem veritatem asserit carnis in myſterio datæ, & à nobis acceptæ, quæ eſt caro ab ipſo Chriſto aſſumpta in vtero. Hinc colligunt catholici ſentire apertiſſimè Hilarium, veram eſſe præſentiam ſubſtantiæ corporis Chriſti in ſacramento, ſecundum quem Hilarium, vt ex eius verbis liquet, nos tam verè ſumimus carnem Chriſti in hoc myſterio Euchariſtiæ, quàm Chriſtus ſumpſit in myſterio Incarnationis, adeò ſi illã carnem in myſterio Incarnationis ſumptam, verè, realiter, ſubſtantialiter, naturaliter, corporaliter ſumptam confitemur, illud ipſum confiteamur oportet de carne ſumpta in Euchariſtia, quia apud Hilarium iſtum, quod ad veritatem carnis ſumptæ & acceptæ attinet, hæc duo myſteria Incarnationis & Euchariſtiæ, pariter cẽſentur & æſtimantur. Atque hoc non potuit non videre Sectarius, qui tamen vt obfuſcet quod lucidũ eſt, admiſcet aliena de corporibus noſtris. Sic enim dicũt catholici: Chriſtus integram naturam humanam aſſumpſit, non autem aſſumpſit integros homines, quomodo nos ſinguli accipimus integrum Chriſtum. Sed quod ad effectum myſteriorum attinet, ſicut natura carnis noſtræ eſt in Chriſto per Incarnationem: ſic natura carnis Chriſti eſt in nobis per Euchariſtiam. Et ita probat Hilarius naturalem carnis Chriſti & noſtræ vnionẽ, quam dicit perfici per Euchariſtiam, qua nos accipimus carnẽ Chriſti diuinitati vnitam, & per carnẽ participamus diuinitati. Sed nunc excutiamus quomodo hic Sectarius cupiat Hilarium intelligi: illud enim quaſi ex ſenſu Hilarij loquitur. Sacramẽtum, inquit, baptiſmi & ſacramentũ cœnæ, ſi ritè ſumãtur, certos nos faciunt quòd participes ſumus diuinæ naturæ. Vnde obſecro, Lector, quàm hæc ſint ab Hilario aliena, qui hîc non loquitur de baptiſmo, de quo antea ſeparatim tractauit, vt probaret quandam ex baptiſmo ſecundum naturam vnionem, quam ex natura dicit, quia, quicquid vno & eodẽ modo à pluribus fiat, fieri ſecundum naturam dici poſsit, quæ alia eſt ratio naturæ ſubtilius intellecta. At verò nihil ibi de natura carnis: & illo tractatu baptiſmi expedito, huc venit, vt oſtendat præterea vnionem noſtram cum Chriſto naturalem ſecundum carnem, in qua carnis vnione tractanda ſolius cibi dominici, id eſt ſacramenti Euchariſtici, facit mentionem, baptiſmi nullam, id quod ipſius Hilarij verba huc citata præ ſe ferunt, & tamen non pudet iſtum Se-

ctarium quaſi in os mentiri. Deinde Sectarius dicit nos reddi ſacramento certos participationis diuinæ naturæ, diſsimulans interim quod eſt in Hilario de ſumptione ipſius carnis, quam conatur docere Hilarius, vt probet vnioné carnis. Sed infert poſtea Sectarius, ex participatione diuinæ naturæ Chriſtum eſſe naturaliter in nobis, quod ſecundum diuinam naturam non poteſt dici, niſi de patre & ſpiritu ſancto. Sed poſt hanc blaſphemiam addit Sectarius mendacium impudentiſsimum, dum dicit Hilarium nullam differentiam facere noſtræ in baptiſmo vnionis, ab ea quæ hoc ſacraméto fit, quũ tamen iſtam appellet ſpecialiter vnioné carnis. Poſtremò quomodo hic locus Hilarij catholicam de Euchariſtia veritatem affirmet, iam antea oſtendi, quod fortem iſtam Sectarij aſſeuerationem ſatis refellit, dum dicit nihil in Hilario eorum ſentétiæ aduerſari, & probat, quia, inquit, nihil loquitur de accidétibus, &c. Sed loquitur, inquam, de ipſiſsima veritate prçſentiæ carnis Chriſti, quam vos aboletis, inductis figuris. Hîc vos figuratores premit, quatenus ſumi dicit carné in cibo dominico, & gloriatur Sectarius eum nihil dicere de accidentibus, de quibus hoc loco nõ loquitur, quoniam non hoc agebatur. Nec aſtruit tantùm Hilarius nos communicando, carne Chriſto coniungi, quomodo illũ dicere Sectarius ſuis verbis narrat: Sed Hilarius aſtruit nos ſumere carnem in cibo dominico, quod Sectarium iugulat, nec dicit Hilarius nos communicádo iungi, ſed ipſam exprimit carnis communicationem noſtra ſumptione fieri. Quæ te volo obſeruare, lector, vt hinc æſtimes, quàm hic locus arctè & grauiter hũc Sectarium preſſerit, qui pondere ſuo tot illi expreſſerit, & tam inſignia mendacia.

CATHOLICVS AFFERT EX CYRILLO in Ioan. libro 10. cap. 13.

NON negamus, recta nos fide charitatéque ſyncera Chriſto ſpiritualiter coniungi: ſed nullam nobis coniunctionis rationem ſecundum carnem cum illo eſſe, id profectò pernegamus, ídque à diuinis ſcripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitauit Chriſtum etiam ſit vitem eſſe, nos verò palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem: Quia omnes vnum corpus ſumus in Chriſto: quia etſi

multi

multi ſumus, vnum tamen in eo ſumus. Omnes enim de vno pane participamus. An fortaſsis putat ignotã nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe, quæ quum in nobis fiat, nónne corporaliter quoque facit communicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium, membra Chriſti ſunt? Neſcitis, inquit, quia membra veſtra, membra ſunt Chriſti? Membra igitur Chriſti, meretricis faciam mẽbra? Abſit. Saluator etiam, Qui manducat carnẽ meã, ait, & bibit ſanguinẽ meũ, in me manet, & ego in eo. Vnde conſiderandum eſt, non habitudine ſolùm quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verumetiam & participatione naturali.

SOLVIT SECTARIVS.

QVAMVIS CYRILLVS DICAT CHRI*ſtum habitare corporaliter in nobis, quum ſumimus myſticam benedictionem: tamen neque dicit Chriſtum habitare corporaliter in pane, nec habitare in nobis corporaliter. His tãtùm temporibus quum ſumimus ſacramentum, nec Chriſtum habitare in nobis, & non nos in illo: ſed dicit nos æquè in illo, ac illum in nobis habitare: quæ habitatio neque eſt corporalis, nec localis, ſed cœleſtis, ſpiritualis, ſupernaturalis, per quam habemus vitam æternam. Et ideò dicit Cyrillus Chriſtum eſſe vitem, nos palmites. Nam vt palmites recipiunt vitam & nutrimentum à corpore vitis: ſic nos ab eo recipimus naturalẽ corporis eius proprietatem, quæ eſt vita & immortalitas: atque ita mẽbra eius facti viuimus & ſpiritualiter nutrimur. Et hoc intellexit Cyrillus per verbũ corporaliter. Et idem Hilarius per verbum naturaliter. Et vt Paulus, dum ait: Plenitudo diuinitatis habitat in Chriſto corporaliter: non ſenſit diuinitatem eſſe corpus, ſed diuinitatem ineſſe Chriſto, non accidentaliter & leuiter, ſed ſubſtantialiter & perfectè, cum omni eius potentia & virtute: Sic quum dicit Chriſtum eſſe in nobis corporaliter, ſenſit nos eum habere in nobis, non leuiter, ſed ſubſtantialiter, potenter, & efficaciter, Ita vt per eum habeamus redemptionem & vitam æternã. Atque ita apparet, quòd Cyrillus nunquã intellexit de manducatione corporali, & potatione ore corporis.*

CATHO-

CONFVTAT CATHOLICVS.

HAEC verba Cyrilli manifeſtè expugnant cauillum Sectariorũ,qui vt excludant veram carnis Chriſti cõmunicationẽ,quæ ipſius Euchariſtię exhibitione & virtute fit,omnia fingunt expediri ſola fide, ſola mentis meditatione, dũ credimus Chriſtum Deũ pro nobis paſſum,ſedere ad dextram patris pro nobis aduocatum,cui nos toto pectore obſequiũ noſtrum dedicamus. Quæ iſta ſunt in animo Chriſtiano fidei quidem & charitatis argumenta, noſtram cum Chriſto ſecundum harum virtutum habitudinem ſignificantia coniunctionem. Cyrillus autem iſtam coniunctionẽ profeſſus, oſtendit aliam eſſe nobis coniunctionem cum Chriſto, vi ſacramenti Euchariſtici, quæ eſt participatio naturalis Chriſti, communicatione carnis eius, ſecundum quam Chriſtus habitat in nobis corporaliter, ſignificãs verbo (corporaliter) Chriſti corporis in myſterio communionem, dum Chriſti carne ſumpta in myſterio, illa ſanctificamur, quemadmodum ipſe Cyrillus alibi etiam ſe exponit, & verbum corporaliter ita interpretatur, Chriſtum ſe nobis per myſticam benedictionẽ corporaliter communicare vt hominem, ſpiritualiter vt Deum. Quin & in verbis Cyrilli illud notandum, quod Cyrillus dicit, Chriſtum ſic eſſe vitem. Nam Chriſtus eſt vitis verè ſecundum diuinitatẽ, in quo viuunt omnia. Cyrillus autem hîc ſentit Chriſtum etiam ſecũdum humanitatem diuinitati vnitam, eſſe ſic vitem veram, quia ſanctificat & dat vitam, etiam carne quam dat in myſtica benedictione, & hæc eſt emphaſis illius aduerbij (ſic.) Vnde ex hoc loco docentur catholici, Cyrillum apertiſsimè ſenſiſſe dari in Euchariſtia non figuram carnis, ſed veram carnẽ, vt humanitatis Chriſti ſimus reipſa participes per myſticam benedictionem, quæ conficitur illis Chriſti verbis, Hoc eſt corpus meum: vt neceſſarium ſit credere verum corpus dari. Nunc mihi vide Lector, vt ſe torquet hic Sectarius in confundendo Cyrilli ſenſu, in cuius verbis illud (corporaliter) nimis moleſtè Sectarium cruciat, vt poſtea videbis, & interim verbis Cyrilli malè repetitis, cuperet lectorem intelligere, Chriſtum habitare in nobis corporaliter inter ſumendum, & ideo ſic loquitur. Quamuis Cyrillus, inquit, dicit Chriſtum habitare in nobis, quum ſumimus myſticam benedictionẽ, audis Lector ex hoc Sectario (quum ſumimus)

Cyrillus li. 11. cap. 27.

ſumimus:) & Cyrillus ait myſticam benedictionem facere communicatione carnis Chriſti, Chriſtum habitare in nobis corporaliter. Vides Cyrillum tribuere efficientiam ſacramẽto, non per fidem noſtram, etiamſi ſine fide non fiat, ſed communicatione carnis. Nunc redeo ad Sectarium, qui ſuo more ea Cyrilli dictis remouet, quæ nemo tribuit. Non dicit, inquit, Chriſtum habitare corporaliter in pane. Fateor, nam nec ita loquuntur catholici, aut ſentiunt: & illud tamen ex Cyrillo rectè colligunt catholici, Chriſti corpus ſub viſibilibus in Euchariſtia ſpeciebus verè præſens eſſe, quod nobis ſecundum hæc Cyrilli verba verè communicatur, quatenus fatetur Chriſtũ in nobis corporaliter per myſticam benedictionẽ eſſe communicatione carnis Chriſti. Illud verò quod notat Sectarius, non dicere Cyrillum iis tantùm temporibus habitare quum ſumimus ſacramentum, captat vt vides occaſionẽ Sectarius, vt inculcet illud ſuum quũ ſumimus. Non dicit, fateor, hoc Cyrillus: ſed dicit ſolo ſacramento effici vt corporaliter habitet in nobis Chriſtus, quatenus illo communicat carnẽ ſuam. De noſtra verò habitatione in Chriſto, Cyrillus ſuis verbis nihil dicit: ſed citat Chriſti verba, quibus docemur nos manducatione carnis Chriſti manere in eo. Vnde Sectarius de Cyrillo manifeſtè mentitur, quum aiat illum dicere nos æquè in Chriſto, ac Chriſtum in nobis habitare. Quæ profectò non dicit, nec illud (æquè) iniquitate vacat, vt modum noſtræ functionis adæquemus diuinæ operationi, quum diuina operatio ſit perfecta, & digna Chriſtiano vox eſt, verebar omnia opera mea. Sed manemus in Chriſto, quatenus manemus vel corporali vel ſpirituali vita, in quo omnis noſtra vita abſcondita eſt, quam manſionẽ non ſic interpretatur Cyrillus, nos eſſe corporaliter in Chriſto, licet quoniam natura noſtra in Chriſto eſt, in illo ſimus naturaliter & per myſticam benedictionem, id eſt cibum dominicum ille naturaliter in nobis, vt Hilarius Cyrillo conſentiens loquitur. Quare quod Sectarius dicit intellexiſſe Cyrillum nutrimentum ſpirituale, non nego ſenſiſſe quidem id Cyrillum: ſed & apertè explicat Cyrillus nos iſto modo conſequi hoc ſpirituale nutrimentum, videlicet per myſticam benedictionẽ, hoc eſt, per ſanctificationem carnis Chriſti, quæ communicatur nobis in Euchariſtia, & ſic communicata facit Chriſtũ habitare in nobis corporaliter, & eum eſſe ſic vi-

tem, nos palmites, quos fouet & nutrit carne ſua, quæ licet ſpiritus non ſit, tamen propter ineffabilem cum ſpiritu vnionem, vitam ſuppeditat, & exiſtens viuifica, ſpirituale præſtat nutrimentum. Nunquam ſibi ſatisfacit hic Sectarius, & diſsimulata interpretatione ipſius Cyrilli, qua ſeipſum alibi aperit, quid innuat verbo corporaliter, conatur ſagacitate diuinatrici alium inueſtigare illius verbi ſenſum: & citat illud Pauli (in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter) vbi notat diuinitatem non eſſe corpus, quaſi quiſquam tam inſaniat vt id dicat. Ergo inquit Sectarius, corporaliter non ſemper ſignificat corpus? quid ſemper fiat nihil ad hunc locum, quando ſatis eſt ſic ſignificare Cyrillo, qui ſuorũ verborum eſt interpres optimus, & quid ſignificabat explicauit, ne ad tuas iſtas coniecturas deſcendere ſit neceſſe. Ergo inquam tibi Sectarie, Si non legiſti Cyrillum ſeipſum interpretantem, temerarius es de verbis Cyrilli non plenè perſpectis diuinare: Sin legiſti, & diſſimulas tamen, iam planè ſycophanta es. Sed operæpretiũ eſt audire, quomodo Paulũ interpretetur ſectarius alieno in loco, vt verbo (corporaliter) affingat quod huic loco ad ſenſum ſuũ concinnando accommodetur: Corporaliter, inquit Sectarius, apud Paulum eſt, non accidentaliter & leuiter, ſed ſubſtantialiter & perfectè cum omni eius potentia & virtute, quæ loquendi forma innuit, quaſi in aliis à Chriſto diuinitas poſsit eſſe leuiter, quod verbum neſcio qua animi leuitate hunc locum occupat, vel accidentaliter etiam, quaſi vſquam ſit diuinitas per modũ accidentis, quæ eſt ipſa ſubſtantiarũ ſubſtantia, in qua ſunt omnia. Tum autẽ ſi verbum (corporaliter) ſignificat cũ omni potentia & virtute, quæ tandẽ vis erit verbi plenitudo, quod præceſsit, ne ſit otioſum? Sed hic Sectarius vt ſit ſemper ſui ſimilis, in vtraque Chriſti natura tum diuinitate, tum humanitate tractanda nugatur. Nam verbum corporaliter in illo loco Pauli, ſignificat ſubſtantialiter, hoc eſt ſecundum naturam, quoniam Chriſtus natura Deus eſt ipſa ſubſtantia, & hanc metaphoram verbum corporaliter in eo loco exprimit, quam metaphoram ſi huc afferat Sectarius, iam diceret Cyrillus idem quod Hilarius, Chriſtum videlicet per myſticam benedictionem eſſe ſecundum naturam in nobis; hoc eſt ſubſtantialiter in nobis, quod de natura diuina haud poteſt intelligi, ne ſimus dij, ſed ſecundum naturam humanam

manam, quam per mysticam benedictionem communicat nobis. Vnde impudentissima est asseueratio huius sectarij, qua sic claudit figmenta sua, Cyrillū videlicet nō intelligere de corporali manducatione, & potatione ore corporis, quum manifestissimum sit Cyrillum docere mysticam benedictioné esse sacramentum, quod Christus in cœna instituit, vbi iubet nos accipere & manducare, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, docens suos, vt Cyrillus ait, modum manducandæ carnis suæ, quem Capernaitas infideles celabat, in qua manducatione quum oris & corporis ex Christi mandato officium adhiberetur, non potest de ore & corpore non sensisse Cyrillus.

CATHOLICVS EX CYRILLO IN EODEM capite citat illud.

QVemadmodum si quis igne liquefactam ceram aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur: sic cōmunicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem & vitam perduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur.

SOLVIT SECTARIVS.

HAEC SIMILITVDO PRO NOBIS FACIT, *per quam Cyrillus docet, quòd non debemus crassè & ruditer cogitare de manducatione Christi ore nostro, sed fide: per quam manducationem licet Christus sit absens corporaliter in gloria patris, tamen participes facti sumus naturæ eius, vt simus immortales cum eo. Quod si velint aduersarij similia ista æquari per omnia, tum oporteret accidentia panis auferri ex isto sacramento, vt cæra liquefacta destruitur, & quoad substantiam, & quoad accidentia.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

HAEC similitudo fidei catholicæ veritatem exprimit, qua credimus veram communicationem substantiæ carnis Christi in sacramēto, vt dignè cōmunicantes, vniantur Christo & corpore & spiritu: Atq; hoc mysteriū vnionis carnis nostræ, cum Christi carne, quod Hilarius effici dicit do-

minici cibi ſumptione, Cyrillus aperit ſimilitudine mixtionis, quæ fit duarum cærarũ, vi & calore ignis, in qua ſimilitudine altera cæra ſignificat carnem Chriſti, altera noſtram. Tum autẽ quod in cæris liquefactis ad mixtionẽ agit ignis materialis, id in vnione carnis noſtræ cum carne Chriſti agit ignis diuinitatis. Quoniam verò hæc ſimilitudo in cærarum mixtione ſummũ contactum exprimit, & congreſſum intimũ, ipſam adeò penetrationem, qualem in vnione carnis noſtræ cũ carne Chriſti quæ in Euchariſtia percipitur, Cyrillus intelligit. Amplectuntur catholici hanc Cyrilli ſimilitudinẽ, quaſi certiſsimum illius teſtimonium de vera Chriſti præſentia in Euchariſtia, quæ ſuſcepta à nobis, iſtũ carnis Chriſti & noſtræ cõtactũ efficit, vt igne diuinitatis efficiatur vnio, & naturalis vitæ corpus nobis cõiungatur. Sectarius autem vt hoc teſtimonium catholicis eripiat, magna confidentia aggreditur. Hæc, inquit, ſimilitudo pro nobis facit, deinde pergit detorquere ad actionẽ manducationis, quod Cyrillus tractat de myſterio vnionis, quæ eſt effectus manducationis. Atque hic Sectarius inuidioſis verbis notat craſsè & ruditer fieri, quod ipſo Chriſto authore fit, quo iubẽte corpus eius ſuſcipimus ore, quod dat nobis manducandum, non ſine fide, ſed cum fide, nec tamen fide ſola. Tum illud conſidera. Similitudo Cyrilli conſtituit ſummã corporis Chriſti præſentiam, vnde ſequatur contactus intimus. Sectarius autem dicit id fieri abſentia corporis: quàm alienè à Cyrillo, quẽ ſibi ſumit interpretandum vel corrumpendum potius? Sed in hoc cõmento quàm non ſatisfaciat ſibiipſi Sectarius, vel illud arguit, quòd noua mox machina catholicos adoriatur, quaſi quomodo ille apud Comicum repudiato conſilio quod prius intẽderat. Si velint, inquit, aduerſarij ſimilia iſta æquari per omnia: tum oportebit accidentia panis auferri ex iſto ſacramẽto, vt cæra liquefacta deſtruitur, & quoad ſubſtantiam, & quoad accidentia. Ne te pigeat, Lector, dum hæc ſigillatim expendo auſcultare. Primùm vt ſimilia per omnia exequantur nõ exigunt catholici, quando carnis noſtrę vnio cũ carne Chriſti, diuina ſit operatio, quam nulla naturalium vmbra queat demonſtrare. Sed animaduerte quæſo huius Sectarij craſſum & palpabilem errorem. Quod enim Cyrillus loquitur de vnione carnis noſtræ cum carne Chriſti, quam ſacramentum efficit: ille fingit dici de vnione carnis Chriſti cum pane in ſacramenti conſtitutione,

tione, & in hoc errore immersus altius, adhuc etiam in alium incidit, vt arbitretur cæram liquefactam destrui, & quoad substantiam, & quo ad accidentia. Quod si ita accipiamus, iam sequeretur apud Cyrillum ex duabus cæris ad nihilum redactis, scilicet (vt hic vult) & substantia & accidentibus destructis, vnum tamen ex vtrisque nihilis fiat, & sua sponte ex duobus nihilis generetur vnum. nã vnum fieri ex cæris liquefactis dicit Cyrillus. Hîc se crassum & rudem, vel potius mente captum prodit Sectarius, qui nésciat, vel non videat cæræ liquefactionem non esse cæræ destructionem, sed qualitatis modo alterationem, vbi durities in liquidum, substantia etiãnum salua alteratur, quod rudes cærarij experientia norunt frequẽti & quotidiana. Ignis etenim diuinitatis in Christo, non destruxit illam humanæ carnis cæram, sed liquefecit, tamen in resurrectione alterata duritie corruptibilitatis, & carne reddita gloriosa, quemadmodum eadem diuinitas sanctificatione nostri per spiritum & carnem Christi idem nobis efficiat, quatenus virtute eius, nostræ carnis cæra spiritui obsequatur, & vnionis quæ fit carne Christi, fit capax, tandem peruentura ad immortalitatem, quãdo toti efficiemur spirituales. Interim verò diuino operante spiritu, ista fit cærarum vnio (vt à Cyrilli similitudine non recedam) id est carnis nostræ & Christi: vbi quoniam summus est contactus, manifestum est catholicis vera carnis Christi præsentia id effici. Vnde ab effectu ad causam ratiocinantibus, quam causam Cyrillus benedictionem mysticam monstrat esse, in ea datam veram Christi carnem & verè præsentem secundum Cyrillum confitendum est, atque ea ratione verba Christi, Hoc est corpus meũ: proprio fuisse sensu à Christo prolata, non vt figuram corporis daret, sed verum corpus. Quare etiam quum vnam substantiam Christus daret dicendo Hoc, non Hæc, vt quidam notat, transsubstantiationem etiam fateri necesse sit, quod tamen nemo dicit Cyrillum disertis verbis hîc docere, neque eò pertinet similitudo, vt illud proximè ostendat: sed ostendit certè veram præsentiam, quam hac similitudine non à constitutione sacramenti: sed ab efficientia tradit. Nam de constitutione sacramẽti hîc non loquitur, nec contentiosis respondet Cyrillus de mysterio ambigentibus, sed quoad potest similitudine explicat fidelibus & persuasis, quoad potest dico, hoc est ex parte, vt in vnione nostræ carnis cum

carne Christi, cõtactus sit carnium, quemadmodum cerarum, quo inferatur veram corporis Christi præsentiam esse, vt iste verus cõtactus carnium efficiatur.

CATHOLICVS AFFERT EX BASILIO de baptismo sermo.2.cap.3.

ET locutus est dominus ad Moysen, dicens: Dic illis, & generationibus ipsorum: quisquis hominum ab omni vestro semine, ad sancta quæcunque filij Israel domino sanctificant, in immunditia sua constitutus accedit, exterminabitur anima illius à facie mea. Ego dominus. Si tales minæ aduersum eos positæ sunt, qui temere ad ea sacra accedunt quæ ab hominibus sanctificantur: Quid dicendum est de eo qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim maius aliquid is est templo secundum domini vocem, tanto grauius & terribilius est in animæ impuritate constitutum corpus Christi temere contingere, quàm sit accedere ad arietes vel tauros, dicente Apostolo, Itaq; qui edit panem aut bibit poculum domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini, Imò vehementius ac terribilius iudicium per repetitionem exprimente, &c.

SOLVIT SECTARIVS.

EST HAEC ALLEOSIS RERVM ET SYMbolorum *iuxta primam regulam: vbi figura nomen habet rei, cuius est figura: & ideo idem potest dici de figura quod de re ipsa.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

Hoc non est tractatorem agere, sed imperatorem ex regulis tua auctoritate editis quæ proferantur, reiicere. Alleôsis est, inquit Sectarius, rerum & symbolorum, iuxta primam regulam. Imò quod Basilius agit, ipsa est mysterij explicatio propria iuxta catholicam veritatem, quam vnam spectauit, nõ huius regulas: Concionabatur enim apud populum rudem, quem expediebat veritate instrui, non falli desultoria alternatione loquendi, vt ex eius verbis verum corpus crederent, ipso tanto viro docente, quod reipsa nihil aliud illi esset quàm figura, si cum istis figuratoribus sensisset Basilius. Nam quod hic Sectarius addit, posse de

de figura dici quod de reipsa dicitur: temeraria est asseueratio huius sectarij, non vlla ratione aut authoritate subnixa, nisi quatenus sibi arrogat dare licere regulas. Basilius quum dixisset, vt ex verbis eius liquet, tale mysterium, id vt comprobaret subiicit, quanto enim aliquid maius is est templo secundum domini vocem: tanto magis, &c. vbi ipsa collatione distinguitur à veritate figura, quemadmodũ templum ab eo qui est author templi, & figura arietum à veritate præsenti, vbi corpus Christi contingimus in sacramento: secundum quæ Basilij verba impurus, hoc est malus, potest contingere corpus Christi, vt appareat iuxta Basilium, corpus Christi omnipotentia dei in altari præparatum, non vt hic Sectarius suis regulis tradit, accedentium ad communionem fide accersendum, quando & impurus accedens, cuius fides præ languore nil efficiat, posit tamen contingere. Dicet ex sectariis quispiam: Non continget propriè corpus Christi, quod sensibus non adest. Quid tu narras propriè? quasi quia digitus ad carnem Christi non penetret, non dicatur cõtingere? Annon dicimus propriè cõtigisse manu regem, qui vestem qua corpus tum tegebatur cõtigit? & propter corporis præsentiam læsisse maiestatem? Breuiter non iis verbis ita lusissent sanctisimi patres, vt honorem qui rei ipsi deberetur, verbis vindicarent veritatis vmbræ, ne de figura quod iste Sectarius vult, dicerent quod ipsæ rei conueniret.

CATHOLICVS EX NAZIANZENO IN sanctum Pascha.

DE baculo verò & eius ænigmate ita habeo. Scio enim sustentatiuum vnum esse, alium verò pastoralem & instructiuum, quíque rationales oues conuertat. nũc verò lex ad illum quo te firmius hortatur, ne alicubi consideratione labaris, quum de sanguine & passione, necnon dei morte audis: ne forsitan dum deo patrocinari conaris, sacrilegus esse videaris, sed absque confusione & dubio comede corpus, & sanguinẽ bibe, si saltem vitæ desiderio teneris: neque sermonibus quæ de carne habentur fidem deneges, neque ob passionem offendaris.

SOLVIT SECTARIVS.

LOQVITVR GREGORIVS DE SPIRITVA*li manducatione ac potatione corporis ac ſanguinis Chriſti per fidem, & non de corporali manducatione ore & dentibus, de qua ſomniabãt Capernaitæ: At nos ſpiritualem tantùm mãducationem ponimus, quia iuxta ſecundam regulam alimonia hæc ſpiritualis eſt mentis, non gulæ, aut ventris & dentis.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

VErba Gregorij digna ſunt annotatu, qui cunctantes comedere corpus Chriſti, & bibere ſanguinem, iis verbis animat ne deterreãtur, quaſi de corpore & ſanguine Chriſti dei non ſatis magnificè ſentientes. Et ideo tanquã deo ſtultè patrocinaturi abſtinerẽt. Quæ Nazianzeni verba niſi corpus & ſanguinem Chriſti, tũ verè adeſſe perſuaſum eifuiſſet: eſſent omnino frigida. Nam panem aut vinum comedere aut bibere cur vererentur, ſi nihil aliud quàm ſignificarent quod abeſſet? nec niſi corpus & ſanguis verè præſentia fuiſſent, iis verbis vſus eſſet Gregorius, vt corpus diceret ac ſanguinẽ, quæ nihil aliud eſſent quàm figura. Quin & aliis in locis idẽ Gregorius ſic loquitur de hoc myſterio, vt verã ſuis verbis inſinuet & realẽ præſentiam corporis & ſanguis Chriſti: vt in oratione quam habuit de Baſilio Magno, quatenus dicit: ϗ θυσιαστηρίων κατορχούμενοι, ϗ τὰς ἀναιμάκτους θυσίας ἀνθρώπων καὶ θυσιῶν αἵμασι χραίνοντες. Quibus verbis de illis cõqueritur, qui ludibrij cauſa altaria fidelium circunſaltabant, & incruenta ſacrificia ſanguine & ſacrificiis hominum, quos mactabãt, coinquinabant. Quod ſi ſacrificia illa incruenta quæ memorat, ſentiens haud dubiè corpus & ſanguinem Chriſti, in ſola gratiarum actione cõſtitiſſent, (quomodo hodie comminiſcũtur figuratores:) quomodo potuiſſent ſanguine hominum violari? Cæterùm ſacrificium eccleſiæ quod incruentum & viuificum dicitur, nec panis eſt, nec figura corporis, ſed ipſa veritas: quia vnus eſt Chriſtus, ſacrificium eccleſiæ iuge & perpetuum, quod vnum in omnibus locis offertur. Quod Nazianzenus incruentum appellans, quatenus maculari

Nazianzenus Se. in Baſilium Mag.

culari dicit ſanguine hominum, docet planè integrum ſacramentũ in altari propoſitum, quod huiuſmodi eſt obnoxium iniuriis & cõtumeliis, quas deteſtatur in iſtis quos reprehendit, quum obnoxiã dico, potius præſentiam ſentio iniuriam inferenti expoſitam, quàm vt ſanctiſsimum illud corpus à nobis pati poſsit, licet inuadere corpus Chriſti malos dixit Cyprianus, eorum qui indignè accedunt, notans temeritatem, & crimen qui corporis domini præſentiam nõ diiudicarent. Sed redeo ad Gregorium, in quo cenſeo annotandum, quòd quum populum doceret ſimpliciter veritatem, cui inniteretur, quam firmiter fide tenerent: non panem dixit aut vinum, aut figuram bibite corporis & ſanguinis: ſed comedite, inquit, corpus, bibite ſanguinem: neque conatur illis probare quomodo ſit corpus, quomodo ſanguis, quaſi aliud intelligeret à vero corpore & ſanguine: ſed nudis, apertis & ſimplicibus verbis apud iam perſuaſos vſus eſt dicens: Comede corpus & ſanguinem bibe. Quid ad hęc Sectarius? verba videlicet ſolennia & compoſita, nempe hæc: loquitur, inquit, de manducatione ſpirituali, & non de corporali. Ergo id quæro, ſi non ſentiebat de corporali, cur igitur verbis illis alloquitur populum, quæ corporalem manducationem ſonant, dum dicit comede & bibe? At enim, inquit Sectarius, non dicit ore & dentibus quomodo Carpernaitæ. Hoc non malè, quoniam fideles alloquebatur Gregorius, non Carpernaitas. Dentes certè & os non excepit Gregorius, nominatim verbis & generaliter dixit, Comede, bibe: quod quomodo ſine ore fieret, non video: vt nequeam ſatis mirari, vnde id Sectarius colligeret excludi os & dentes, quorum officium Chriſti corpus violare non poteſt. Tandem Sectarius quaſi iſtis defectus & deſtitutus, ad authoritatem ſe recipit ſecundæ ſuæ regulæ, qua notauit alimoniam ſpiritualem eſſe, quod omnes fatentur. Sed illud eſt artis in iſtis Sectariis, præſcriptione regularum, & diſtinctione ſolenni verbis conceptis fabrefacta, quaſi deo ex machina ad omnia quæ proferantur auertenda abuti, quod eſt reiicere veriùs quàm reſpondere.

Cyprianus ſer. de lapſis.

Ec

CATHOLICVS EX EMISSENO.

INuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et sanctificatione repetita, Accipite & bibite, Hic est sanguis meus. Et paulo pòst: Nec dubitet quisquam primarias creaturas nutu potentiæ, præsentia maiestatis in dominici corporis transire posse naturã, quum ipsum hominem videat artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus effectum. Sicut autem quicunque ad fidem veniẽs ante verba baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti, iis verò commemoratis mox exuitur omni fece peccati: ita quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, substantia illic est panis & vini: Post verba autem Christi corpus & sanguis est Christi. Quid autẽ mirum est, si ea quæ verbo potuit creare, verbo posset creata cõuertere? Imò iam minoris miraculi videtur esse, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare.

SOLVIT SECTARIVS.

NON LOQVITVR DE REALI ET CORporali *conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi: sed de sacramentali conuersione. Vrget præterea mutationem nostram in Christum, quæ tamen fit absque transubstantiatione. Quare Christus tam præsens est in baptismo, vt idem Eusebius planè declarat, quàm est in dominica mensa, quod non est carnaliter & corporaliter, sed per fidem & spiritualiter.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

QVod hîc dicit Sectarius de sacramentali mutatione, ex alia eius regula est, cui suo loco responsum est: & aliàs etiam hic Emisseni locus à me explicatus est. Quod verò dicit Sectarius, Christum tam præsentem in baptismo secundum Emissenum, quàm in dominica mensa: quatenus de natura diuinitatis loquimur, verum est: at verò in vna cœna fit illa mirabilis conuersio in substantiam corporis Christi,

Christi,id quod Emisseni verba manifestè tradunt,vt ibi sit præsens Christus , deus & homo . Nouè loquitur Sectarius, quatenus dicit Christum præsentem per fidem & spiritualiter, quasi cognitio præsentiæ quæ per fidem est,sit etiam tanquam præsentiæ causa, quum tamen in deo qui futura præuidet, non dicimus cognitionem illam in præsentia , euentuum & contingentium esse causam , nedum de cognitione nostra qualicunque id dicere debeamus:sed ita loquuntur isti suo more , qui fidei omnia tribui volunt, quam ipsi nec habent nec curant habere.

CATHOLICVS EX HESYCHIO IN Leuit.lib.7.cap.36.

SI quis templum dei violauerit, disperdet illum deus. Propter quod sanctuarium eius paueamus,vt nec corpus nostrum polluamus , neque ad corpus Christi in quo est omnis sanctificatio, (in ipso enim omnis plenitudo inhabitat diuinitatis,) sine subtili diiudicatione nostri temere accedamus , sed prius nosmetipsos probemus , reminiscentes eius qui dixit , Quicunque comederit panem , aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini . Probet autem semetipsum homo , & sic de pane comedat , & de calice bibat, qualem probationem dicit, id est , vt in corde mundo & conscientia & pœnitentiam eorum quæ olim deliquit intendenti participetur sanctis ad ablutionem peccatorum suorum.

SOLVIT SECTARIVS.

HESYCHIVS HIC VT NOTATVM EST *in prima regula , ita de symbolis scribit,quasi res & significata pertractet: quod potest congruere propter magnam similitudinem , quæ inter hæc ex instituto domini intercedit . Tum etiam ignominia quam inferunt illi qui ad symbola indignè accedunt,tendit ad ipsum Christum, cuius est symbolum: cuius ignominiæ iustè pœnas luunt.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

SEctarius petit præsidia regularum quas ipse confinxit. Hesychius hoc in loco Basilium fermè imitatur & verbis & sententia, sed aliquanto expresſius de corpore Christi in sacramento sic loquitur, vt intelligamus ipsiſsimum esse. Quoniam quæ verba Paulus de corpore Christi, & ipso Christo mysterium dispensationis peragenti prædicat: eadem commemorat Hesychius competere corpori Christi, in sacramento præsenti, sic dicens: In ipso, inquit, omnis plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter, quod de figura dici non potest. Præterea effectum notat remiſsionis peccatorum, quem effectum non præstat figura. Quid ad hæc Sectarius tanquam è specu reddito oraculo, eandem canit cantilenam? relegat suos ad primam regulam, ita loquitur, inquit, de symbolis, quasi significata pertractet. Quo id consilio si quæras, nihil dicit Sectarius: nec enim potest. Nam cur patres suis scriptis ita nos fallere conentur, nulla est ratio. Nec fecissent certè, vt verbis inanibus aliquod nobis idolum fabricarent ex symbolis, dum rerum magnitudine ornarent quæ non subessent. De magna similitudine quam symbolis affingit Sectarius, somnium est ad obscurandam veritatem immissum à cacodæmone. Quicquid veræ insit similitudinis notarunt catholici, quæ licet aliqua sit, non tamen eousque progreditur, vt quia rerum nomen interdum vsurpent, rerum igitur veritates de illis dici & prædicari obtinerent. Vnum est Christi corpus, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitauit & habitat corporaliter, quod de corporis Christi figura prædicari non debet, quia gloria domini non est communicanda creaturæ. Ex iis Hesychij verbis & illud colligitur, malos dum indignè sumunt, etiam Christi corpus accipere, sed hîc occurret Sectarius, ignominiam illatam symbolis, tendere in ipsum Christum. Hoc iam millies audimus. At verò Patres sic loquuntur, vt doceant præsentem Christum, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, & eiusmodi corpus deterret Hesychius ne polluamus.

CATHOLICVS EX AMBROSIO DE ſacramentis, Lib. 4. cap. 4.

TV fortè dicis, meus panis eſt vſitatus, ſed panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Et paulo poſt: Ergo didiciſti quòd ex pane corpus fiat Chriſti, etiam quòd vinum & aqua in calicẽ mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis. Et quinto cap. Antequam cõſecretur, panis eſt, vbi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Denique audi dicentem, accipite & edite ex eo omnes, Hoc eſt corpus meũ, & ante verba Chriſti, Calix eſt vini & aquæ plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti vniuerſa conuertere. Deinde ipſe dominus Ieſus teſtificatur nobis quòd corpus ſuũ accipiamus & ſanguinem, nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare?

SOLVIT SECTARIVS.

HI LIBRI DE SACRAMENTIS, EXISTI*mantur à doctiſsimis nõ eſſe Ambroſii: ſed fac eſſe Ambroſii, non per omnia à nobis diſſentiũt. Nam in locis aliis planius quid ſibi vult, exponit, ita dicens: Ante benedictionem verborum cœleſtium, alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Et ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et alibi ait: dixi vobis, quòd ante verba Chriſti quod offertur panis dicatur, vbi Chriſti verba deprompta, iam non panis dicitur, ſed corpus appellatur. Hinc apparet quòd panis vocatur nomine corporis poſt conſecrationem: & quamuis etiamnum ſit panis, tamen poſt conſecrationem dignificatur nomine rei quam repræſentat, & idem Ambroſius declarat quomomo hæc mutatio fit verbis Chriſti, non auferendo ſubſtantiam panis, ſed addendo pani gratiam corporis Chriſti, & ita panem vocando corpus Chriſti.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

LIBRI de sacramentis obtinuerunt vt sint Ambrosij, quòd si non essent, testium augerent numerum. Nam quin digni essent tali authore nemo negat, vtcunque aliquibus inciderit suspicio ánne Ambrosij essent. Itaque Sectarius vt illam litem cautè remitteret, fac esse Ambrosij, inquit: quod est ita cōcedere vt repetere posiit. Nam videt se constringi illis libris, quos dicit tamen non per omnia ab illo dissentire, & ad alia verba ipsius Ambrosij prouocat, in quibus sunt significare, nuncupare, vocare, appellare, quibus cuperet eorum verborum veritatem minui, quibus docet Ambrosius veritatem corporis præsentis, & quasi committit in pugnam Ambrosium cum Ambrosio. Sed dicit tamen Ambrosium illa quæ alibi dixerat, ibi planius explicare. Imò Ambrosius vtrobique apertè loquitur, & pro loci circunstantia verba accommodat. Nempe enim vbi docet quid verbis Christi efficiatur: dicit esse corpus, esse sanguinem, & fit caro, fit sanguis, & verba Christi notat operatoria. Et hunc locum citant catholici: Sectarius profert locū, in quo Ambrosius fidem languentem exuscitat, & oscitantē expergefacit, inclamata voce domini cui auscultemus: & Dominus clamat, inquit, Hoc est corpus: & ipse dicit sanguinē suum. Et cōuenienter exprimit mysteria Ambrosius postea, verbis nuncupare, appellare, significare, vocare: vt quæ Christi ore nuncupantur, vocantur, appellantur, significantur: hæc aut illa ita esse credamus, quia vox eius est operatoria & efficax, & hinc sunt nobis illæ sententiæ, quas hic Sectarius citat, quæ suo loco annectuntur illi sermonis vehemētię. Dominus clamat, & ipse dicit sanguinē suū. Adeò iis verbis Ambrosius exprimit efficientiá, illis verò dum dicit, est corpus: notat effectū, quia ideò est corpus Christi & sanguis, quia Christus suis verbis significauit ita esse, quia Christus vocauit corpus, quia appellauit corpus, quia nūcupauit corpus, quia vocare est Christo efficere, qui portat omnia verbo virtutis suæ. Vnde ridiculè notat Sectarius verbum vocare, & ita vellet Ambrosium seipsum explicare, vt aliis verbis doceat se minus verè tradidisse, esse corpus, quod reuera non esset, sed sola significatio, & de mutatione sine causa admiratum fuisse: quum nihil amplius esset præter significationem. Ista non consistunt, & quòd tot mirabilium

exempla

exempla citat Ambrosius, vt conuersionem ac mutationem præter naturam ostenderet: argumento est vt Melanchthon etiam scripsit, naturam panis Ambrosio mutari. Nam quod dicit Ambrosius additam gratiam, beneficium notat Christi, qui ex alimento corporis naturali, spiritualem efficit corporis simul & animæ alimoniam in vitam æternam.

CATHOLICVS EX AMBROSIO DE IIS qui initiantur mysteriis, capite vltimo.

ALiud video quomodo tu mihi asseris quòd Christi corpus accipiam. Et hoc nobis adhuc superest vt probemus. Quantis igitur vtimur exẽplis, probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maiorémq; vim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam proiecit Moyses, & facta est serpens, &c.

SOLVIT SECTARIVS.

NON DICIT AMBROSIVS QVOD SVB*stantia panis & vini ablata est, sed dicit naturam eorum mutatam esse, id est, quòd in sacra communione non debemus sumere panem & vinum, vt cibum & potum communem, per quæ recipimus spirituale & supernaturale nutrimentum à cœlo, de vero corpore & sanguine seruatoris Christi, per omnipotentiam & mirabilem operationem spiritus sancti, quæ res tam bene conuenit cum substantia panis & vini remanente, vt si illa non adsit, hoc nostrum nutrimentum spirituale non potuit nobis per illam doceri: & ideo in exemplorum magna parte sequentium, videre licet substantias manere naturis mutatis. Vt quum aqua Iordanis retrorsum conuersa, contra naturam suam in fontem reuertitur, & quum petra manens petra, aquam vomuit contra naturam, & quum fluuius Marath mutat naturam amaritudinis, in substantia tamen sua integra mansit: Ita substantiæ panis & vini remanent in cœna domini, & naturaliter digeruntur in corpora nostra, non obstante sacramentali mutatione eorum in corpus & sanguinem Christi.*

CONFV-

CONFVTAT CATHOLICVS.

QVod dicit Ambrosius naturam mutatam, de substantia sensit non effigie, quemadmodum & Cyprianus. Nam accidentia manent cum ipsius naturæ proprietate immutata. Ambrosij verba de Christi corpore clarissima sunt: Et Cyrillus notauit carnis Christi & nostræ cōtactum, quemadmodum in ceris liquefactis: & non pudet postea hunc Sectarium ingerere nobis vsque ad nauseam, quòd in sacra communione per panem & vinum recipimus è cœlo spirituale nutrimentum & supernaturale, de vero corpore & sanguine seruatoris, &c. verbis speciosis sed alienis, quorũ sensus huc redit, vt omnis præsentia corporis, omnis ille cōtactus excludatur, & eius loco influxus quidam ab istis doceatur, à virtute corporis absentis manans. Et hoc dicit hic Sectarius fieri omnipotentia Dei, & mirabili operatione spiritus. Ergo non reiicit Sectarius omnipotentiam Dei, sed mouet loco. Nam Ambrosius notat omnipotentiam Dei etiam in constituẽdo sacramento, qua fiat in sacramento corpus, quod ego accipiã, inquit, non dicit influxum de corpore, aut nutrimentum de corpore, sed ipsum corpus, quomodo accipiam videlicet, non quomodo in me operetur, quod est etiam Dei virtutis, sed in me explicandæ. Tractat Sectarius exempla ab Ambrosio citata, in quibus substantia non mutabatur, & præterit exemplum de virga mutata in serpentẽ, vbi substantia opinor mutabatur. At vnà, inquiet, mutabantur accidentia: fateor, & hoc amplius. Sed Deum posse omnia mutare, omnis generis exempla docent. Quod autem in nullo horum exemplorum similiter per omnia, vt in Eucharistia Deus fecit, ostendit certè mirandam illam vt cætera, & Deo quidem possibilem sed singularem: vbi manentibus accidentibus substantia mutata est, quæ in substantiæ mutatione cum virga congruit. In accidentibus elementorum, quatenus contra leges communes sine subiecto manent, aliquatenus consentit cum aquis, in quibus liquidum contra naturam sisteretur, & staret nullo externo adhibito, quo à motu suo naturali inhiberẽtur. Ista sacramentalis mutatio, de qua loquitur Sectarius, merum est sectarij figmentum, quod prodidit suis regulis, quibus antea etiam à nobis suo loco responsum est.

CATHOLICVS EX CHRYSOSTOMO in Enceniis.

NVM si stercus manibus haberes, auderes appropinquare fimbriæ regis? Num vides panem, num vinum, num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit, ne sic cogites. Quemadmodum enim si cera igni adhibita, illi adsimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hîc puta mysteria consumi corporis substantia, propter quod accedentes ne putetis quòd accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphin forcipe ignem, quem scilicet Esaias vidit, vos accipere reputate salutarem sanguinem, quasi è diuino & impolluto latere effluere: & ita approximantes labiis puris accipite.

SOLVIT SECTARIVS.

CERTE SI HIC INTERROGET SENSVS, *responderet non esse verum quod dicit. Nam iudicio nostri sensus, & panis & vinum adest: sed ille verè loquitur quando subdit, non ita cogites, quia quoad nostrã existimationẽ oportet ista facessere, ideo identidem habet hoc verbum (puta) vt intelligamus ista non esse accipienda, nisi quoad nostram fidem & cogitationem, qua panem & vinum communicando nõ complectimur per seipsa, sed quærimus res quæ per significationẽ, & quidem efficacem istis coniuncta sunt, & ita fatebimur, quoad fidei cõplexum, naturã & panis & vini abire, animúmq; nostrum tantummodo inhærere significatis, & rebus quæ per symbola nobis offeruntur, id est, corpori & sanguini Christi. Ergo in his verbis Chrysostomi, vt notatur in octaua regula, non intellexit absolutè negare panem & vinum hîc esse, sed vtitur negatione per comparationem. Alioqui si verba vrgent aduersarij, id est panem & vinũ hîc non esse: eadem ratione possent colligere ex verbis sequentibus, nec sacerdotẽ nec corpus Christi adesse. Nam ait ne putetis, quòd accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphin. Tum si non accipimus corpus Christi ab hominis manu, ergo Christi corpus non est realiter, corporaliter, aut naturaliter in sacramento: nec datum nobis à sacerdote, nisi velint etiam transubstantiare sacerdotem.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

HIC locus Chrysostomi insignis est, & præter quàm quòd certissimam & verissimã corporis Christi præsentiam in Eucharistia docet, ipsam etiam aperit transsubstantiationem, quam isti figuratores noui queruntur à posterioribus fictam: quum illam, vt falsò aiunt, vetus ecclesia ignorasset. Nam in iis verbis Chrysostomi, si diligenter expendantur, hæc tria luce clariùs patebunt. Primum adesse ipsam substantiam corporis Christi. Secundum non esse substantiam panis & vini. Tertium manere eorum accidentia. Quod enim ad vltimum pertinet, nisi accidentia manerent, non esset vlla fimbria regis, de qua loquitur Chrysostomus, quæ fimbria illi significatur exteriori specie elementorum. Quæ accidentia visibilium specierum, si quis contenderet non fimbriam esse regis, sed vini & panis accidentia naturalia: vt creaturæ sint fimbria, non creatoris: irruit in hunc quadam sermonis vehementia os illud vere aureum, Num vides panem, num vinum, &c. quasi dicat: Ergo tu putas ibi adhuc esse panem & vinum, quasi substantia in illis adsit, quæ ad instar reliquorum ciborum digeratur? Absit, inquit, vt sic cogites. Quæ potuit esse grauior, inquam ego, & vehementior à tanto patre è sublimi ad populum simplicem & rudem concionante, substantiæ panis confutatio, ne maneat? Tum autem quod sentit, similitudine explicat, ita substantiam panis consumi à corpore Christi, sicut ab igne ceram. Et hinc habent qui dicunt substantiã panis desinere in corpus Christi, nec superfluentem in igne, nec augentem ignẽ, quemadmodum etiam nec panis substantia auget Christi corpus, aut in eo superfluit. Vnde patet quod dixi, secundò annotandum substantiam elementorum non manere: Corporis verò Christi præsentiam tam præsentem facit & docet, vt pro igne intelligat qui absumat elementorum substantiam. Mysteria, inquit, consumuntur corporis substantia, atque hæc ita fieri antequam sumamus, illud ostendit, quòd fimbriam regis dicat ea quæ videntur. Nam nec verum obiectum oculorum aufert iis verbis Chrysostomus: sed quod obiecto colligeretur esse interioris naturæ, id est substantiæ, secundum quam est panis & vinum, quæ substantia absumitur corporis præsentia,

ſentia, velut ab igne cera. Vnde & myſteria rectè dicuntur abſumi, earum ſubſtantia iam abſumpta. Quod autem vtitur Chryſoſtomus verbo (puta,) id facit, vt in hoc ſacramento æſtimando putet fidelis quod dictet fides, & ratio noſtra inferior quæ nititur ſenſibus, ſubſeruiat ei qui ex fide eſt, ſuperiori nimirum quàm nobis dedit & illuminauit ſpiritus. Quoniam autem corpus Chriſti ita præſens in ſacramento ſiſti, & nobis manducandum dari, opus eſt homine miniſtro maius, etiam illud docet Chryſoſtomus, adeſſe videlicet, qui hæc efficiat inuiſibilem ſacerdotem, & quæ tam diuina ſunt, diuino modo porrigere, quum interim miniſter homo ſuo munere viſibiliter fungatur, in quo æſtimando tamen, vt ſenſus habeamus captiuos monet. Atq; hęc ſentit ſuis verbis Chryſoſtomus, ſi candidè intelligatur, & quomodo eum hactenus catholici interpretati ſunt. Sed nunc audiamus quid cauilletur Sectarius. Dicit, inquit, Chryſoſtomus (Puta) vtitur ſanè eo verbo, quo ſi quod alioqui minus eſſet verum, eos id pro vero arbitrari vellet: hoc erat ſeducere populum (quod in illud os aureum dici non competit) potius quàm docere quod ſit ex eo loco munus fidelis miniſtri. At Sectarius vult (puta) dici quoad fidem, vt loquitur, quaſi quicquid ſit, putet tamen, ſcilicet vt fides innitatur mendacio. Nam quod dicit ſectarius, de ſuis loquens, illos fide non complecti panem & vinum, demiror igitur cur habent pro verbis viſibilibus, quæ interdum dicunt ſignificatiua & exhibitiua etiam, ſi quando illis libet verborum pompa ludere, vt oſtentent ſua. Imò cur tanti faciunt panem & vinum, & eorum ſignificationem, vt conquerantur ſubſtantiam abeſſe, quum nunc, vt videtur, ſubſtantiam ipſam vnà cum accidentibus non admodum curent? quia non amplectuntur (ne quid impediant, opinor,) dum iſtam diluunt in Chryſoſtomo ſententiam. Siquidem nunc haud cogitant panem aut vinum, ſed animum habent in rebus ſignificatis totum occupatum. Adeò ſignificatio iacet, Negligitur ſubſtantia cum ipſis accidentibus, dum auertitur Chryſoſtomus. Sed labaſcit qui tam præſenti & confidenti animo hæc loquitur ſectarius, & in præſidia ſe recipit regularum, quas antequam patres adoriretur, in ſtatione collocarat, tam ſubitò eſt hic in octaua ſua regula. Cæterùm quod de ſubſtantia corporis Chriſti præſente, & ſubſtantia myſteriorum abſcedente per

consumptionem, tum autē de fimbria quasi de accidentibus à Chrysostomo dicitur: nihil effertur comparationis modo, sed absoluta loquendi forma doctrinæ modo, addita in hoc similitudine quò magis pateat. Neque enim illa verborum forma hîc loquitur Chrysostomus, ne te putes videre panem & vinum, sed corpus Christi, vt negatione extenūet. Imò de panis substantia doctrinam tradit similitudine illustratam, mysteria videlicet absumi substantia corporis. Dissimiliter atque idem Chrysostomus de ministro loquitur, de quo ita negat, vt non remoueat prorsus ministrum, sed extenuet illius functionem, ne credamus diuinum quod agitur ipsius esse, sed Christi adsistentis suo mandato exequendo, & ideo simili loquendi formula vtitur Chrysostomus, atque illa est: Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris qui loquitur in vobis. Chrysostomo non deerat facundia, quasi ita sensisset, pari loquendi forma quæ nos pariter putare voluisset, elocutus esset. Sed quoniam variè sensit, variè locutus est, & illud de substantia panis absumpta putare nos voluit absolutè, ista quæ de ministro dicit non absolutè, sed per comparationem, non vt minister non sit, sed ne vnus totus sit in hac functione, & nihil ad illum quo cum confert. Nam vt ministrum nullum esse credamus, quoniam nec cogitabat Chrysostomus, nec poterat cogitare tam inepta: nullam addidit transubstantiationis ministri explicandæ similitudinem, quomodo in pane fecit, vt quantumuis suarum regularū machinis hunc Chrysostomi locum torserit hic Sectarius: nunquam tamen efficiet vt similiter de pane & de ministro sit locutus Chrysostomus, quemadmodum ex ipso verborum contextu manifestè est animaduertere.

Matth.10.

CATHOLICVS EX CHRYSOSTOMO in eadem Homilia.

HAEC ego dixerim ad eos qui sanctorum communionem & congregationem relinquunt, & sub horam terribilis mysticæ mensæ in vaniloquentiæ conuenticulis occupati sunt. Quid facis homo? non promisisti qui dix. Sursum corda & mentē, & dixisti, habemus ad dominum? Non reuereris & erubescis, & illa ipsa hora mēdax inueniris? Papè mensa mysteriis instructa est, & agnus dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur,

angitur, ſanguis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit, Seraphin aſtant ſex alis faciem tegẽtia, omnes incorporeę virtutes pro te cum ſacerdote intercedunt, Ignis ſpiritualis è cœlo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt, & nõ erubeſcis, neque deum tibi propitium facis?

SOLVIT SECTARIVS.

HIS VERBIS CHRYSOSTOMVS CONAtur *omnibus modis animos communicantium à ſignis craßioribus, & à ſymbolis externis vocare ad diuina, ſpiritualia, & cœleſtia meditanda: & quod dicit in cratere ſanguinem eſſe hauſtum è latere domini, non poteſt vt dicitur credi, quandoquidem latus domini hodie non eſt apertum, & inde ſanguis non hauritur: ergo quis non videt hæc dicta per hyperbolen ad eleuandos animos noſtros in cœlum, vt illic cum fide potemus Chriſti ſanguinem ſpiritualiter?*

CONFVTAT CATHOLICVS.

PRimùm ex hoc loco Chryſoſtomi conſtat illa verba (ſurſum corda) quæ ſolennia tunc erant quomodo nobis nunc ſunt, non eo ſenſu dici ſolere, vt mentes aſtantium auocent à ſymbolis, ne in illis affixæ hæreãt, quod noto propter id quod in octaua huius Sectarij regula de horum verborum ſenſu aliter diuinatur, vt tu lector intelligas, iſtos Sectarios nihil penſi habere quæ nobis obtrudant, tanquam ex veteribus, ſed à ſe conficta inſomnia. Tum & illud notandum, quòd Chryſoſtomus dicat agnum dei immolari pro nobis in ſacra cœna, & in ipſa mẽſa proponi ſanctificata myſteria, vt vera corporis Chriſti præſentia inde nobis ſignificetur. Quid ad hæc Sectarius? repetit quod dixerat in octaua regula, Agere hoc Chryſoſtomum vt auocet à ſignis & ſymbolis, quorum nullam facit mentionem. Imò auocat à terrenis cogitationibus, à vaniloquentia & conuenticulis, & obiicit quod promiſerant reſpondentes, habemus ad dominum. Illas autem ſacras Chryſoſtomi voces, & ſanctas metaphoras, quas ad veram corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam exprimendam adhibet, appellat Sectarius hyperbolica dicta, quibus quomodocũque nunc ab hoc per inuidiam appellentur, tantus vir vſus nõ eſſet, ſi non ſublimius de myſterio ſenſiſſet, nihil eſſe præter figuram, &

nisi veram corporis Christi præsentiam ex fide nosset, & populum ex verbis Christi ita credere oportere censuisset.

CATHOLICVS EX CHRYSOSTOMO in Matthæum homi.83.

O Quot modò dicunt, vellem formã & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre! Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis, vestiméta eius desideras videre, ipse verò seipsum tibi tradidit, non vt videas solùm, verumetiam vt tãgas, & in te habeas. Nemo igitur nauseans accedat.

SOLVIT SECTARIVS.

HIC VIDEMVS CHRYSOSTOMVM, *quod in prima regula notauimus, attribuere rei sacramenti quod est symbolorum: nimirum vt corpus Christi tangatur & videatur, quod tantùm de symbolis vera esse quis non animaduertit?*

CONFVTAT CATHOLICVS.

EXplicat primùm Chrysostomus piorum affectus, si non ipsum Christum, aliquid saltem quod illius sit videndi auidos: si non formam & speciem, at vestiméta saltem, vel etiam calceamenta. Quibus vt satisfiat demonstrat Chrysostomus Eucharistiam, vbi dicit Christum videri, tangi, & comedi, & pro vestimentis quæ pij desiderabant, datur ipse Christus, & ita datur vt non solùm videamus, sed etiam tangamus & habeamus in nobis. Animaduerte, lector, nos secundum Chrysostomum eundé habere quem videmus, quem tangimus: & ita hæc amplificat, vt sit aliquid amplius tangere quàm videre. Quæ sermonis gradatio ad externas elemẽtorum species relata, insulsa esset & frigida. Quid enim magni est videre panem, tangere panem, comedere panem? & post visum panis illa quasi trochlea euehere sermonem, dum additur (verumetiam vt tangas) quasi maius quiddam & benignitatis amplioris, quum panis nullus sit vsus æstimatione dignus, nisi vt tãgatur etiam dente, non sola manu. Nunc videamus quid ad hæc Sectarius. Protinus est in regulis, De corpore Christi dicitur, inquit,

quod est proprium symbolorum. At non animaduertit hic Sectarius docuisse populum hunc Chrysostomum, ipsa symbola iam esse consumpta substantia corporis Christi, nec amplius superesse panē & vinum, quæ tangantur aut videantur, vel habeantur tandem. Et quod ex illis elementis apparet & videtur, docuerit esse fimbriam regis, vt quod subsit intelligamus esse ipsum regem, quem qui sensus redegit in obsequium fidei, & videt, & tangit, & manducat. Ingeret hic Sectarius aliā ex suis regulis, hæc dici quoad te. Imò Chrysostomus notat fieri ipsa re, videlicet corporis substantiam consumere mysteria, quod qui non putat secundum Chrysostomum, veritatem mysterij non intelligit.

CATHOLICVS EX EODEM CHRYSOSTOMO in eadem homilia.

NON sufficit ipsi hominē fieri, flagellis interim cædi, sed nos secum in vnam, vt ita dicam, massam reducit: neque id fide solùm, sed reipsa nos corpus suum efficit. Qua igitur re mundiorem esse non oportet eum qui hoc sacrificio participaturus est? quos radios solares non deberet excedere manus illa quæ hanc coronam pertractat, os quod igne impletur spiritali, lingua quæ cruentatur hoc admirabili sanguine? veniat in mentem tibi quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris, ea nanque re nos alimur, quam angeli videntes tremunt, nec absque pauore, propter fulgorem qui inde resilit, aspicere possunt, & nos in vnam cum illo massam reducimur. Et in Ioannē idem ait: Vt autem non solùm per dilectionem, sed reipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Quum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maximè est, hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant, quis daret nobis vt eius carnibus impleremur? quod Christus fecit, vt maiori nos charitate astringeret, & suū in nobis ostenderet desiderium, non se tantùm videri permittens desiderantibus: sed & tangi & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri.

In Ioan. homi. 45.

Soluit

SOLVIT SECTARIVS.

SI ITA SIT, NOS TAM ARCTE IVNGI *Christo, vt non solùm fide & dilectione, sed reipsa fieri & misceri corpori Christi, & tamen non transubstantiari in ipsum: quid oportet panem transubstantiari, vt corpus Christi efficiatur? Præterea quid per fidem solam statuamus corpus Christi & sanguinem edi & bibi: tamen ad istam sumptionem per fidem, consequitur non ficta sed vera coniunctio inter nos & Christum, qua non solùm noster animus cum eo vnitur, sed etiam corpus & caro nostra inde habet suam instaurationem, efficimúrque verè membra domini, & ipsum nostrum caput suscipimus, ex quo perpetuò & spiritum & vitam haurimus. Atque hoc est quod reipsa nos Christo coniungi Chrysostomus ait: tum etiam carnibus eius impleri, & dentes carni suæ infigi, figurata est locutio, vt suprà diximus, quum quod est symbolorum, attribuitur rei significatæ per sacramenta. Non enim pertingit deus noster ad substantiam corporis Christi, sed tantùm ad panem & symbola.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

QVod Cyrillus carnis Christi & nostræ vnionem explicans, dicit tanquam ex ceris liquefactis vnũ fieri: Chrysostomus ita explicat, redigi nos cum Christo in vnam massam: non solùm fide, inquit, sed etiam re: & rem deinde explicat esse ipsam communicationem carnis Christi in cibo. Et per corpus, inquit, suum se nobis commiscuit, vt insigni amoris exprimeret indicium. Tum autem vt simul nobis adsit quo amoris nostri desiderium expleamus: alludens ad illud de seruis Iob, quod ita citat Chrysostomus: Quis daret nobis, vt eius carnibus impleamur? Quæ adeò significanter aperit Chrysostomus, vt nemo dubitet sensisse eum veram corporis Christi præsentiam in sacramento exhiberi. Sectarius verò vt hæc tam aperta eludat, cauillatur de nostra transubstantiatione, & quærit cur panem oporteat transubstantiari? quod rectius ab ipso operis autore deo quęrat quàm à nobis, & aliàs etiam responsum est. Sed ab hoc subiicit Sectarius quid sui commẽtantur, qui quod fingũt vera esse volunt, quia vera esse lubet, & multa verba fundit: quorum sensus huc redit, vt vna & sola sit fidei cõiunctio, vel certè per fidem solam: quum Chrysostomus illam coniunctio-

Iob.31.

iunctio-

iunctionem quæ re fit, aliam ab illa quæ fide & charitate fit, asserat. Ergo Chrysostomus ostendit quomodo corpus Christi miscetur nostro. Sectarius id dissimulat, & eius loco vt aliquam corporis faciat mētionem, dicit corpus nostrum habere instaurationem, quod vtique verum est, sed non suo loco dictum. Nam instaurationem accipere, est effectus mixtionis: & Sectarius tum de effectu ingerit mentionem, quando tractatur apud Chrysostomum de modo & causa proxima illius effectus per illam realem coniunctionem. Si generaliter effectum consideremus, huc tendunt mysteria omnia, vt coniungamur & vniamur Christo, vt corpus, caro, & anima nostra instaurentur, vt efficiamur membra Christi, vt illum caput habeamus, ex quo spiritum & vitam perpetuò hauriamus. Quem effectum aliquatenus assequimur fide & charitate. Nam habitudine virtutum, vt inquit Cyrillus, cōiungimur Christo, quæ est vera coniunctio. Quin & Chrysostomus hîc fatetur veram coniunctionem fieri fide & charitate. Sed quod verè fit fide & charitate, hoc ipsum arctius, plenius, vberius fit, & vt maiori nos sibi charitate astringeret Christus, secundum Chrysostomum, ipsa fit re, id est, datis carnibus eius quibus impleamur, quò amoris nostri desiderio satisfiat, qui dicimus: vellem videre saltem calceamenta. At illo nos Christus dignatur honore, vt corpus suum nostro commisceat, quod ingens dei beneficium dissimulandum non est, sed agnoscendum, & prædicandum, neque stolido illo dicto reiiciendum, quid eo opus? dum stultè supputamus ratiocinantes, nunquid in baptismo coniuncti sumus citra corporis Christi exhibitionem? nunquid membra effecti? nunquid spiritualiter cōmunicamus corpori & sanguini fide & charitate, quoties piis animi meditationibus cum vitæ innocentia spiritualiter manducamus? hæc inquam vt ita sint, non debemus tamen quod ex summa Christi benignitate in Eucharistia offertur amplius, hoc est reipsa coniungi vnione carnis, negligere & paruipendere, tanquam mutile, vt philosophātur figuratores, aut minus necessarium. Ex maternis visceribus quisque est qui nascitur, & quam dedit mater vitam multis postea officiis in educatione fouet, quæ tamen quando admotis suis vberibus corpore corpus alat, non accersat alienum, arctius hactenus coniungit & conglutinat editum. Atque hoc modo Christus nos alere voluit, quos rege-

Cyrillus in Ioan. lib. 10. cap. 13.

nerauit, qui aliis multis modis fouet & nutrit, vt per illum, & in illo vitam agamus ſpiritualem, corporis traditi & ſanguinis fuſi beneficium ſentientes, fide & charitate illi coniuncti. Sed alia eſt coniunctio quæ fit re, dum corpus alitur corpore, quam ſpiritualem alimoniam in Euchariſtia accipimus, ipſum ſpiritualis alimoniæ fontem ſuſcipientes, quem Sectarius negligit, dum eius ita ſpernit & contemnit beneficium, dum ſtatuit ſibi ſatis eſſe quam fingit fidem. Quod verò dicit Sectarius, impleri carnibus, & dentes infigi carni, figuratas eſſe locutiones, verum dicit animali homini, ſed ſpirituali ſignificant ipſam proprietatem myſterij, in quo, Chriſto iubente, citra corporis impaſsibilis læſionem officium quod exigitur, facit os & corpus hominis. Sed hoc in loco Sectarius ſuas inculcat regulas.

CATHOLICVS EX EODEM CHRYSOSTOmo ad Neophitos.

ET aliam mihi deus vltra tutelam donauit armorũ. quid illud? menſam præparauit vt cibum ſatietatis oſtenderet, vt poſt epularum refectionem inimicum poſsim robuſtius ſuperius ſuperare. Quum enim te egredientem poſt conuiuium dominicum viderit inimicus, poſt cœleſtes epulas tanquam ignem leonis ore flãmantem fugit & deſerit, omni vento velocior, nec approximare contendit, & quum cruentam linguam tuam de longè ille crudelis perſpexerit, mihi crede non ſtabit, & quum os tuum ſenſerit rutilare, greſſum ſuum retro cum timore torquebit.

SOLVIT SECTARIVS.

QVIS NON VIDET HIC HYPERBOLEN *eſſe, quum dicat os rutilare, & linguam cruentam eſſe? Ne igitur cauilleris cruorem intelligi inuiſibilem, quo vna cum vino vel accidentibus vini, lingua noſtra cruentetur.*

Confu-

CONFVTAT CATHOLICVS.

QVod Sectarius dicit hyperbolen, vehementia est sermonis ex rei quæ verè adest magnitudine nata, quæ nisi subesset verè, eloquentia prorsus ridicula existimaretur. Primùm propriis verbis dicit cœlestes in mensa proponi epulas, quas quoniam notat tutelam esse animorum, prosequitur illam allegoriam, vt verbis inde mutuatis depingeret ob oculos veritatem, quemadmodum ante oculos Galatarum dicit Paulus depictum Christum, tanquam in illorum oculis crucifixus esset, & loquitur hîc Chrysostomus de abigendo dæmone, cui hęc quę Chrysostomus commemorat relucent internè, ne dignè communicanti audeat accedere. Breuiter istis verbis nunquam vsus esset apud populum, ni veram realem & certissimam corporis & sanguinis Christi præsentiam plenè persuasam voluisset.

CATHOLICVS EX EODEM CHRYSOSTOMO de proditione Iudæ.

ET nunc ille præsto est Christus, qui illā ornauit mensam, ipse istam quoque consecrat. Nō enim homo est qui proposita in cōsecratione mensæ domini, corpus Christi facit & sanguinem: sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est, ait, corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur: & sicut illa vox quæ dicit, crescite & multiplicamini, & replete terram: semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum, ad generationem operante natura: ita & vox illa quidem semel dicta est, sed per omnes mensas ecclesiæ vsque ad hodiernum diem, & vsque ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.

SOLVIT SECTARIVS.

HIC LOCVS SI BENE CONSIDERETVR, *& conferatur cum aliis, apparebit Chrysostomum nihil minus sensisse, quā corpus Christi esse corporaliter & naturaliter præsens in pane & vino. Nam eo modo tantùm in cœlo est, & in mentibus nostris per fidē ascendimus in cœlum, illic eum commesturi, quanuis sacramentaliter*

tanquam in ſigno & figura ſit in pane & vino, & ſic etiam eſt in aqua baptiſmi. At in illis qui ritè recipiunt panem & vinum, eſt in maiore perfectione quàm corporaliter (quod illis nihil prodeſſet,) nam in illis eſt ſpiritualiter per diuinam potentiam, dans illis vitam æternam. Et vt per verbũ eius omnia creata ſunt: & virtute horum verborum. Creſcite & multiplicamini: omnia hucuſque generantur & creſcunt: ſic virtute horum verborum, Edite, hoc eſt corpus meum: bibite, hic eſt ſanguis meus: & non virtute vllius hominis panis & vinum ſunt eo modo conſecrata, vt quicunque viua fide illum panem comederit, & illud vinum biberit, ſpiritualiter manducat & bibit Chriſtum ſedentem cum patre. Hic eſt ſenſus verus & germanus verborum Chryſoſtomi.

CONFVTAT CATHOLICVS.

HIC habemus ex Chryſoſtomo verba cõſecrationis eſſe hæc, Hoc eſt corpus meũ, &c. ſed Chriſtum adeſſe qui virtutẽ addat & gratiã, vt quod ſemel ab eo dictũ eſt, ſemper intelligatur & ſit ab eo dictũ, dum facimus quod iuſsit Chriſtus fieri in ſui commemorationem. Et ideo antea dixit Chryſoſtomus, ne putemus nos ab homine, ſed ex deo corpus accipere, quoniam illius eſt opus, etiamſi hoc viſibiliter miniſter homo exequatur. De hoc Sectario nihil annoto ſpecialius, nam toto errat cœlo, & negationibus atque aſſeuerationibus cum paraphraſi prorſus inepta loquitur, quæ à Chryſoſtomi ſenſu ſunt alieniſsima. Chryſoſtomus dicit in conſecratione menſæ fieri corpus domini: at hoc in loco de pane & vino nullam facit mentionem, nam antea dixerat illa abſumpta eſſe corporis ſubſtantia: adeò in Chryſoſtomum recidunt omnia illa iſtorum figuratorum de abiecto pane, de deſtructo pane, de accidẽtibus ſine ſubiecto, de deceptione oculorum, de violatis naturæ legibus, de confictis miraculis, cauillamenta: qui Chryſoſtomus quum ab omnibus hactenus catholicis paſsim legeretur, nunquam tamen paſſus eſt ob hęc dicta calumniam. Tantùm Sectarij quidam conati ſunt tanti viri corrumpere ſenſum, qui receptam à fidelibus catholicam doctrinam apertiſsimè tradit.

Catho-

CATHOLICVS EX HIERONYMO
in episto. ad Titum.

SI autem laicis imperatur, vt propter orationẽ abstineant se ab vxorũ coitu: quid de ipso sentiendum est, qui quotidie pro suis populíque peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? Relegamus regum libros, & inueniemus sacerdotẽ Abimelech, de panibus propositionis noluisse prius dare Dauid & pueris eius, nisi interrogaret vtrum mundi essent pueri à muliere, non vtique aliena, sed coniuge. Et nisi eos audisset ab heri, & nudiustertius vacasse ab opere coniugali, nequaquam panes quos prius negauerat concessisset. Tantum interest inter propositionis panes & corpus Christi, quãtum inter vmbram & corpora, quantum inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum & ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur, &c.

SOLVIT SECTARIVS.

PER HAEC VERBA, SI VERE INTELLIgis, *sensit Hieronymus quòd panes propositionis erant tantùm vmbra obscura Christi venturi: sed sacramentum corporis Christi est clarum testimonium quòd Christus iam venit, & quòd præstitit ea quæ erant promissa, & in præsentia solatur nos & pascit spiritualiter, precioso corpore suo & sanguine, licet corporaliter iam ascendit in cœlum.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

IMO Hieronymus apertè loquitur, Panes propositionis esse figurã corporis Christi, quod isti conficiunt in Eucharistia, quorum sanctimoniam & castitatem exigit. Christi quidem vnum est corpus, cuius tum futuri panes propositionis figura erant, & ita vẽturi, quomodo nobis in Eucharistia daretur in cibum. Quin & illud ex hac Hieronymi collatione apparet, tam verè dari nobis in cibum Christi corpus, quàm illis dabantur panes propositionis, quum alioqui frigida esset collatio, si nihil aliud esset nostrum altaris sacrificium, nisi figura sola.

CATHOLICVS EX AVGVSTINO IN PSAL. 33.

ET ferebatur in manibus ſuis. Hoc verò fratres quomodo poſſet fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? In manibus aliorum poteſt portari homo, in manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundum literã, non inuenimus, in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait, Hoc eſt corpus meũ. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Ipſa eſt humilitas domini noſtri Ieſu Chriſti, ipſa multum commendata ab hominibus.

SOLVIT SECTARIVS.

HOC NOS MINIME INFICIAMVR. *Quid enim prohibet Chriſtum geſtaſſe ſuis manibus corpus ſuum, ſi per corpus intelligas ſui corporis ſacramentum? Et hoc quod Auguſtinus ad finem iſtius loci addidit (quodammodo,) ac ſi diceret, nõ ſimpliciter, propriè, & realiter ſe geſtauit, ſed aliquo modo: is verò eſt quem modò diximus.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

SI illud quodammodo, quod eſt in Auguſtino de ſola figura intelligeretur, quod Sectarius contendit, nihil magni dixiſſet, quin cuiuis in procliui eſt ſui ipſius figurã ferre. Et Auguſtinus addit ſecundum literã de Dauid non legiſſe: quaſi de Chriſto id ſecũdum literam verum eſſe innueret, id eſt, geſtaſſe ſe non ſui figuram, quod tamẽ modo quodam fieri rectè ſubiicit, non eo modo qui expoſitus poſtea ab hoc Sectario ſuperioris dicti vim eluderet: Sed qui nobis mirandus & captu noſtro ſuperior intelligatur, ne geminationem corporis, aut aliud rationis noſtræ figmentum ad modum diſcutiendum afferamus.

CATHOLICVS EX AVGVSTINO, de Trinitate, lib. 3. cap. 4.

POtuit tamen ſignificando prædicare dominum Ieſum Chriſtum, aliter per linguam ſuam, aliter per epiſtolam, aliter per ſacramentum corporis & ſanguinis eius. Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum,

nec

nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus: sed illud tãtùm quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum ritè sumimus ad salutem spiritalem, in memoriam pro nobis dominicæ passionis. Quod quum per manus hominum ad illam visibilẽ speciem perducitur, non sanctificatur vt sit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei.

SOLVIT SECTARIVS.

MIRANDVM EST NON LEVITER *quomodo isti nullum opus spiritus sancti in hoc sacramento agnoscant, nisi transubstantiationem. Nam audito nomine operis spiritus sancti, statim inferunt transubstantiationem, quũ tamen symbola hæc ad conditionem sacramentorum non possint euehi aut transmutari, nisi ope diuina, videlicet instituto domini, sacris verbis, & efficacia spiritus sancti: quia nõ amplius incursant hæc sacra animum nostrum vulgari & communi more, sed efficaci & vehementissimo spiritus impetu, vi ac operatione eiusdem spiritus sancti mentes nostræ permouentur ad res sacramentorum complectendas.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

AVgustinus de mysteriis non semper loquitur apertè, sic enim ferebat hominum quibuscum versabatur, & temporum conditio. Et tamen fidei testimonium luculentum reliquit, quæ nunc hodie viget in ecclesia catholica: atque hoc adeò in loco, quatenus dicit nos accipere ad salutem spiritalem quod est consecratum, eius quod sumitur effectus satis prædicat ipsius quod sumptum est dignitatem. Vnde magnum dicit sacramentum, cuius quanquam quod visibile est producat homo sua opera, dum fit panis: tamen inde fit sacramentum operante id inuisibiliter spiritu Dei, & notat Augustinus opus spiritus sancti in sacramẽto constituendo, ex cuius postea sumptione salus accedit. Quæ quatenus ita exprimat Augustinus, videtur cũ ecclesiastica de hoc sacramento traditione maximè consentire. Sectarius verò ita nugatur, quasi catholici hunc locum citarent propriè ad probandam transubstantiationem, & orsus deinde à consti-

constitutione suæ figuræ, in qua frigidam quandam operam affingit spiritui sancto: tandem dilabitur ad operationem quæ fit per spiritum in mentibus nostris, vt amplectamur res significatas, quod est verum & magnum opus spiritus, sed de quo patres non loquuntur quum tractant mirabilem mysterij constitutionem, dum præparatur in altari, vt videatur primùm (secundum Chrysostomum) Christus, & postea à nobis ore sumatur. Cæterùm hæc est Sectariorum sophistica perpetua, quum aliud agitur alia fabulari. Et ideo reuocandi sunt semper ad statum causæ quem fugiunt illo comici dicto, Quin hoc agis?

CATHOLICVS EX EODEM AVGVSTINO in Psalm. 98.

SVscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnē accepit, & quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis mādncandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit: Inuentum est quemadmodum tale scabellum pedū domini adoretur, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

SOLVIT SECTARIVS.

QVOD DICIT AVGVSTINVS CHRI*stum ipsam carnem nobis manducandam dedisse: non intellexit tamen carnem in sacramento esse corporaliter præsentem, & corporaliter manducandam, sed tantùm spiritualiter. Nam postea dicit, spiritualiter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, &c. quod autem dicit de adoratione, non intendit docere nos, vllam adorationem esse dandam visibilibus sacramentis, nec vllæ rei quæ corporaliter est in illis. Nam reuera nihil est in pane realiter & corporaliter quod est adorandum: sed carnem Christi adorandam propter coniunctionē diuinæ naturæ, minimè inficiamur. Verùm vt Augustinus postea admonet, quum adoras illum, ne remoueas cogitatione in carne, & à spiritu non viuificeris: ita ego hîc moneo, quum percipitur Eucharistia, non esse consistendum in symbolis, sed adorandū in spiritu & veritate Christum, sedentem in cœlis ad dextram patris, quemad-*

modum

modum auditis illis verbis Euangelij: verbum caro factum est. Multi piè genuflectunt & adorant, nec tamen ipsa verba dicendi sunt adorare, sed eorum significata.

CONFVTAT CATHOLICVS.

Hoc loco Augustinus catholicam doctrinam apertissimè statuit, quū dicit Christum dedisse carnē manducandam ad salutem, & ipsam adeò carnē quam de virgine accepit, & similiter loquitur hîc māducari ad salutem, quemadmodum in eo loco quē proximè tractauimus, vt appareat sensisse eum de Eucharistia, nisi etiam carnem verè dari sensisset, cur ita aperit quam accepit ex virgine? nam quod postea spiritualiter dicit: modum significat dationis, non minuit veritatē rei datæ. Et quatenus dicit non hoc corpus quod videtis, carnales amouet cogitationes, ne cum Capernaitis cogitemus de carne visibilis formæ, modo carnali dandæ. Nam si nullū omnino corpus daretur, & id sensisset Augustinus, etiam id apertè dixisset, nec hac loquendi forma vsus esset quæ significationem efferret corporis omnino dandi, etiamsi quod videretur nō daretur. Et duo Christi naturalia corpora nō poterat per absurditatem docere Augustinus. Quare nugatur hic Sectarius, dum illud suum (non intellexit) aperit. Quod verò ad adorationē attinet, nec visibilia adoranda sensit Augustinus, nec si ipsam carnem adesse non putasset, quicquā de adoratione locutus esset, quæ ante manducationē fieret. Tam multa hîc concurrunt, quæ ostendant quò dirigatur adoratio, vt apud æquum lectorem nihil profecerit hic Sectarius suis asseuerationibus, commentis & confictis interpretamentis. Loquitur Augustinus de carne data ad manducandum, vt adoretur antequam manducetur, nō loquitur de visibilibus verbis quod isti volunt, sed de carne data, cuius propria est māducatio, non diuinitatis. Christus in cœlo regnat Deus & homo. Est autem in mysterio homo Deus, quia humanitas datur manducanda, quæ prius adoretur, inquit Augustinus, quàm manducetur. Adoratio autem quæ in Christum regnantem fit, statim & proximè in cœlum dirigitur, nec prius habet nec posterius, sed semper sine intermisione fit, nec quisquam sumit sacramentū, nisi qui certissimè Christum antea adorauerat regnante

in cœlo, quum ſolis baptizatis ab eccleſia conferatur. Sed quid iſta tracto ratiocinatione, quando locus ipſe indicat Auguſtinū de adoratione quæ Chriſto in ſacramento fit, omnino ſenſiſſe? Suſceperat enim Auguſtinus illud explicandum, quo ſenſu verum ſit adorare nos ſcabellum pedum, &c. quem ſenſum dicit ſe nunc reperiſſe, & exprimit in carne data ad manducandum. Quòd ſi de adoratione quæ Chriſto in cœlo fit, ſenſiſſet, cur meminiſſet manducationis, nulla eſt ratio. Imò dixiſſet Chriſtum ſumpſiſſe terram, id eſt, carnem ex virgine, & illam poſt expletam hîc in viſibili corpore diſpenſationem, in cœlum euexiſſe, vbi terra iam in gloria adoratur, nec cauſa vlla Auguſtino fuiſſet mentionem facere manducationis, niſi ibi ſenſiſſet adorationem fieri. Nam manducationis fit mentio hoc in loco ad probādam adorationē, vbi ſi nulla eſt adoratio, ocioſum eſt totum quod dicitur de manducatione. Et ibi tamen inuentū eſſe dicit Auguſtinus, quo ſenſu id verum ſit adorari ſcabellum pedum eius, in qua manducatione ſi nulla eſt adoratio, non ibi certè inuenit quod ſe dicit reperiſſe, & extra occaſionem loquitur de manducatione. Quod verò ad adorationem in ſpiritu & veritate pertinet, ſi in ſacramēto eſt veritas carnis, quæ ſemper & inſeparabiliter vnita eſt diuinitati, pertinet etiam ad hanc veritatem adoratio ſacramenti. Et Ambroſius eundē iſtū Dauidis verſum enarrās, fatetur ſe Chriſtum adorare in myſteriis. Quo verba quibus fides nititur, animū accerſiuit, ibi ſiſtitur ſiue in ſacramēto, vbi Chriſtus verè adeſt, ſiue in cœlo, vbi Chriſtus verè adeſt, nec Chriſtus diuiditur, ſed vbique vnus eſt. Itaque qui audit, verbum caro factum eſt, myſteriū agnoſcit, & Chriſtum adorat in cœlo regnantem, quò iam aſcendit: Qui verò myſterio adeſt propter verba Chriſti, hoc eſt corpus meum, Chriſtum adorat in myſterio præſentem, & eundem ſimul regnantem in cœlo, vtranque veritatem ex fide intelligens. Breuiter niſi adorationem Chriſti in ſacramento Euchariſtiæ Auguſtinus nouiſſet fidelibus certò fuiſſe perſuaſam & receptam: illius ſacramenti mentionem ad adorationem terræ probandam nunquam feciſſet, ne dubia in Dauide aliis dubiis, vel nihil ad cauſam pertinentibus conaretur explicare.

Ambroſius de ſpiritu ſancto. lib. 3. cap. 12.

CATHOLICVS EX AVGVSTINO CONTRA Creſconium, lib. 1. cap. 25.

QVID de ipſo corpore & ſanguine domini, vnico ſacrificio pro ſalute noſtra, quamuis ipſe dominus dicat, Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit meum ſanguinem, non habebit in ſe vitam: nónne idem Apoſtolus docet etiam hoc pernicioſum malè vtentibus fieri? ait enim quicunque manducauerit panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini. Ecce quemadmodum obſunt diuina & ſancta malè vtentibus. Cur non hoc modo & baptiſmus?

SOLVIT SECTARIVS.

DILIGENTER LOCVM PERPENDE, *& inuenies quòd non ſenſit de manducatione corporis Chriſti, ſed ſacramẽti eiuſdem. Nam intẽdit Auguſtinus probare res bonas non prodeſſe malè vtentibus, vt lux quæ bona eſt ſanis oculis, lippis autem nociua: & cibus vnus aliis ſalubris, aliis noxius: & medicina vna alios ſanat, alios perdit. Poſt hæc exempla tandem Auguſtinus hoc probat eſſe verum in ſacramentis & baptiſmi & corporis domini, & verba Pauli quæ hîc citantur, intelliguntur de ſacramentali pane & poculo, & non de corpore & ſanguine, & tamen vocat Auguſtinus panem & poculum carnem & ſanguinem, non quòd reuera ſint, ſed quòd ea ſignificent.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

ET ego rurſus prouoco ad diligentẽ perpenſionem. Nam Auguſtinus ſumpſerat probandum, quòd diuina & ſancta obſunt malè vtentibus. Id autem vt probet, propoſuit ipſum Chriſti corpus. Nam ſic loquitur, de ipſo corpore. & ſubdit, vnico ſacrificio pro ſalute noſtra: quæ verba oſtẽdunt Auguſtinum loqui de corpore Chriſti pro nobis tradito, cuius effectus eſt in manducatione, vt nobis conferat vitam, atque ad eius confirmationem citantur ab Auguſtino illa Chriſti verba, Niſi quis manducauerit. Hactenus quod Auguſtinus popoſuit quaſi pro maiori, & progreditur deinde aſſumens ex Paulo eum probare etiam hoc

perniciosum vtentibus, quo pronomine (hoc) Augustinus intelligat necesse est corpus, de quo antea dixerat: & ex Paulo citat illud, quicunque manducauerit panem, & biberit calicem domini indignè. Ex quibus sic colligit Augustinus: ecce quemadmodum diuina & sancta obsunt malè vtentibus. Hîc tuam æquitatem appello, lector, An non Augustinus in hoc argumento construendo pro indubitato habuit, ipsum corpus domini adeò verè esse in sacramento, vt sumatur ab indignis, quibus sumẽtibus obest? Quæ verba Pauli de indignè sumentibus, si fuissent Augustino dubia & controuersa: non produxisset ad probationem, ne controuersa controuersis ostendere niteretur, nedum si in alterã partem fuissent certa, corpus videlicet Christi ab indignis non sumi: sed quod volunt figuratores solum panem. Hic Sectarius primùm postulat vt locus perpẽdatur, qui est manifestissimus. Et addit Sectarius, inuenies, inquit, quòd non sensit Augustinus de manducatione corporis, sed sacramenti eiusdem. Hæc Sectarius dicit, & dicti addit probationem. Nam, inquit, &c. Ego te cuperem, Lector, perpendere istud (Nam,) & quid habeat adiunctum, profectò nihil aliud quàm verborum strepitum, quæ potius confirmant quàm infirmant, quod à catholicis colligitur: Nam lux, cibus, & medicina quæ inferioris ordinis bona sunt, malè vtentibus nocent. Sed non iis exemplis cõtentus Augustinus, ad diuina progreditur & sancta, atque adeò sancta sanctorum, profert in mediũ ipsum Christi corpus, quod nisi sumeretur etiã quemadmodum cibus & medicina, non esset similis rationis exemplum, & ab argumento alienum. Quare Augustinus probat ex illis Pauli verbis corpus Christi sumi ab indignis. Hoc in loco qui leges quod dicit Sectarius, videbis vim sermonis eius flaccescere, & excidere quiddam dissolutum: sic enim habet, Post hæc exempla, inquit, Augustinus probat esse verum in sacramentis. fateor inquam: sed orditur ab Eucharistia, in qua quoniã ex Paulo certũ sit corpus Christi ab indignis sumi ad condemnationem, ducit argumentum ad id quod proposuerat de baptismo docere. Postremò Sectarius se quasi opponit Augustino, in intellectu verborum Pauli. Augustinus de vero corpore ab indignis sumpto intelligit: Sectarius de sola figura. Et ego nihil aliud dico, vtri potius credendum censetis.

CATHOLICVS EX AVGVSTINO DE baptiſmo lib.5.cap.8.

SIcut Iudas cui buccellam tradidit dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiẽdo locum in ſe diabolo prębuit: Sic indignè quiſque ſumens dominicum ſacramentum, non efficit vt quia ipſe malus eſt, malus ſit, aut quia non ad ſalutem acceperit, nihil acceperit. Corpus enim domini & ſanguis domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat apoſtolus: qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Non ergo quærant in catholica hæretici quod habent, ſed quod non habent, id eſt finem præcepti charitatem, ſine quo multa ſancta haberi poſſunt, ſed prodeſſe non poſſunt.

SOLVIT SECTARIVS.

IDEM HVIC LOCO POTEST RESPONderi *quod ſuperiori. Nam vt Auguſtinus in hoc loco loquitur de ſacramento baptiſmi, ſic loquitur de ſacramento corporis & ſanguinis, quod nihilominus vocat corpus & ſanguinem, quia ſignificat & repræſentat nobis verum corpus carnem & ſanguinem.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

HIs Auguſtini locis mirè premitur Sectarius. Quod Auguſtinus aſſerit de baptiſmo, probat ab Euchariſtia, ne proſit indignè ſumentibus. Nam vt cõfirmet ſubſtantiam ſacramenti bonis & malis eandem eſſe, ſubdit hãc clariſsimam & apertiſsimam ſententiam. Corpus enim domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apoſtolus, Qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Nunc vide, lector, ſi Auguſtino credimus, vt nugantur Sectarij, dum in Paulo notant, quòd ille de indignè ſumentibus loquens, non corpus nominet ſed panem. Nam erat, inquit Auguſtinus, nihilominus corpus illis. Sectarius hic friget, verba hominem deſtituunt. Idem, inquit, poteſt reſponderi quod ſuperiori, ſed neutri reſpondet aptè: & quum Auguſtinus in verbis huc prolatis nullam faciat baptiſmi mentionem, in loco autem vnde hæc citantur, ea quæ de Euchariſtia memorat, ideo proferat, vt quæ de baptiſmo dixerat, probet ab Euchariſtia:

Addit illa Sectarius quasi aliud agens. Vt, inquit, in hoc loco loquitur de sacramento baptismi: sic de sacramento corporis. Imò heus Sectarie quid agis, quid loqueris stertens? vigila inquam. Imò quã tu dicis contrà est, vt in sacramento corporis: sic est in baptismo secundum Augustinum, qui illud in Eucharistia corpus ab indignis sumi pro notiori ducit, à quo ad alterius sacramenti hac in parte rationem explicandam arguměratur. Et quod dicis Augustinum vocare corpus, iubeo hunc locum relegere denuò, vbi comperies non de eo quod vocatur solùm, sed de eo quod est, loqui Augustinum: vnde dicit, Corpus nihilominus erat illis.

CATHOLICVS EX AVGVSTINO epistola 163.

TOlerat ipse dominus Iudam, Diabolum, furem & venditorem suum: sinit accipere inter innocentes discipulos quod fideles norunt precium nostrum.

SOLVIT SECTARIVS.

FIGVRATA EST LOCVTIO IN EO QVOD *vocat sacramentum precij nostri nomine precij, quemadmodum quũ vocat Iudam diabolum.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

IMò Augustinus propriissimo verbo rem sacramenti contentam exprimit, dum pro Christo dicit precium nostrum, quũ referre putaret propter admixtos ethnicos de tanto mysterio tectius loqui, dicens, quod norunt fideles pretium nostrum. Norunt enim fideles Christi corpus, esse propriè precium nostrum, nec aliud à Christi corpore pretium esse posse. Iudam autem diabolum dicere figura dicenda non est, quum calumniam innocenti tenderet indignissimam, dum Christum perfidis vendere & tradere cogitaret.

CATHOLICVS EX LEONE, SER. DE Ieiunio septimi mensis.

TVnc enim & sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando ij qui ista dependunt quid operentur intelligunt. Nam dicente domino, Nisi manduca-

ducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: ſic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur quod fide creditur, & fruſtra ab illis amen reſpondetur, è quibus contra id quod accipitur diſputatur.

SOLVIT SECTARIVS.

TALES SENTENTIAE NON SVNT IN- *telligendæ de humanitate Chriſti ſecundum literam, vt verba ſonant carnaliter. Nam ſic non hoc ore ſumitur quod fide creditur, ſed ſpiritualiter intelligendæ ſunt & figuraliter.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

QVid potuit dici apertius contra iſtorum figuratorum ineptias, qui negant corpus Chriſti ore ſumi, quum fidem & os coniungat hic Leo, & quod fide creditur, id dicit ore ſumi, vt idem percipiamus ore corporis quod percipimus fide cordis? & hic ſcriptor non minus vitæ ſanctimonia quàm eruditione claruit, ſecũdum quem neceſſe eſt nobis intelligere & credere veriſsimam corporis Chriſti præſentiam, in menſa ſacra paratum quod percipimus, id eſt ſumimus ore, ſicut percipimus, id eſt intelligimus corde. Vnde conuellitur ſectariorum commentum de perceptione quæ fit ſola fide. Hic Sectarius induit perſonam magiſtri ex cathedra, cum poteſtate & authoritate docentis, cui ſi credimus, tales ſententiæ non ſunt intelligendæ ſecundum literam, vnde colligeremus quòd ſanctiſsimus hic vir Leo, quum apud populum concionaretur, non ſit locutus ſimpliciter & apertè, quomodo populus eius verbis ędificaretur, ſed fallere[redacted]biguo verborum ſenſu præcipitaretur in errorem. Quod autem Sectarius admiſcet dictis verbum (carnaliter,) vtcũque eo catholici rectè vtantur: hîc tamen adiicitur ad inuidiam, & quomodo dicatur in Capernaitas & infideles. Fideles verò norunt diuinum eſſe quod agitur, & veram Chriſti carnem diuino modo dari in ſacramento, ſed verè nihilominus veram. Leo autem loquitur de veritate, de qua non vult ambigi: & iſte Sectarius quaſi pro iure eius quam ſibi arripit poteſtatis, vult quæ dicuntur figuraliter intel-

intelligi: Deum immortalem quam ſenſuum metamorphoſim efficerent iſti, ſi vt verbis deprauare, ſic etiam re ipſa valerent inuertere quæ ſcribuntur?

CATHOLICVS EX FVLGENTIO ad Monimum lib. 2.

HAEC inquam ædificatio ſpiritualis nunquam opportunius petitur, quàm quum ab ipſo Chriſti corpore quod eſt eccleſia, in ſacramento panis & calicis ipſum Chriſti corpus & ſanguis offertur. Calix enim quem bibimus, communicatio ſanguinis Chriſti eſt: & panis quem frangimus, participatio corporis domini eſt, quum vnus panis, vnum corpus multi ſumus: omnes enim de vno pane participamur, &c.

SOLVIT SECTARIVS.

NON DEBET HIC LOCVS INTELLIGI *planè vt verba ſonant, ſed figuratiuè & ſpiritualiter, vt priùs ſufficiēter probauimus, & verba Pauli quæ hîc citantur, intelliguntur de tali pane qui frangi poteſt. Et idem poteſt reſponderi ad locos citatos ex Gregorio, Sedulio, Caſsiodoro, & aliis.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

QVid profuerit loca plana & aperta ex authoribus proferre: ſi per iſtos non poſſunt planè intelligi? Si quid proferatur ſcriptum paulò obſcurius, mox habent in quo certent ambiguitatibus. Quod verò ab omni ſit ambiguitate ſua luce remotum, notatur cenſura, ne intelligatur. Eo modo Fulgentij huius ſenſus lucidiſsimè fulget, ipſum Chriſti corpus & ſanguinem adeò in ſacramento ſumi, ne quis cauilletur abeſſe. Cætera quæ Fulgentius ſubdit ex Diuo Paulo, ſuum habēt ſenſum: de quo alibi locuti ſumus, vt non ſit hîc neceſſe de eo contendere. Quos ſi permittamus huic Sectario vt quę illius ſectę aduerſantur verbo notet, facilè ad eum modũ & Gregorium, & Caſsiodorum, & Sedulium, & quotquot ſunt reliqui, catholicos patres hoc vno dicto reiecerit, (Illud intelligitur figuratiuè:) quod eſt veritatem in mendacium commutare.

Catho-

CATHOLICVS EX THEOPHILACTO in Marcum 14.

QVum benedixiſſet, id eſt, gratias egiſſet, fregit panem: quod etiam nos facimus preces adiungendo, Hoc eſt corpus meum, Hoc inquam quod nunc ſumitis. Non enim figura & exemplar quoddam dominici corporis panis eſt, ſed in illud ipſum conuertitur corpus Chriſti. Dominus enim dicit, Panis quem ego dabo, caro mea eſt: non dixit figura eſt carnis meæ, ſed caro mea eſt Et iterum, Niſi ederitis carnem filij hominis. Et quomodo, inquit, caro non videtur? O homo propter noſtram infirmitatē fit, quia enim panis quidem & vinum, ex iis ſunt quibus aſſueuimus, ea non abhorremus. Sanguinem verò propoſitum & carnē videntes, nō ferremus, ſed abhorreremus. Idcirco miſericors deus noſtræ infirmitati condeſcendens, ſpeciem quidem panis & vini ſeruat, in virtutem autem carnis & ſanguinis tranſelementat.

SOLVIT SECTARIVS.

SENSVS HVIVS HIC EST. VT FERRVM *ignitum ferrum etiam eſt, & tamen virtutem habet ignis: & vt caro Chriſti manens caro, viuificat ſicut caro eius qui eſt deus: ſic ſacramētalis panis & vinum manent in ſuis propriis ſpeciebus, & tamen conuertuntur dignè comedentibus non in corporalem præſentiā, ſed in virtutem carnis & ſanguinis Chriſti. Et quamuis loquatur Theophilactus de manducatione veri corporis & ſanguinis Chriſti, & non tantùm de figuris eorum, & de conuerſione panis & vini in corpus & ſanguinē Chriſti: tamen non intellexit de craſſa, carnali, corporali, & ſenſibili conuerſione, nec manducatione. Nam ſic non ſolùm corda abhorrerent manducare carnem & ſanguinem, ſed etiam talis manducatio nihil prodeſſet nobis, ſed intellexit cœleſtem & ſpiritualem manducationem Chriſti, & ſacramentalem conuerſionem panis, vocans panem non ſolùm figuram, ſed etiam corpus Chriſti, innuens nobis, quòd in ſacramento non ſolùm edimus corporaliter panem, qui eſt ſacramentum corporis Chriſti: ſed ſpiritualiter edimus etiam verum corpus, & bibimus verum ſanguinem. Et hæc doctrina Theophilacti & vera eſt, & diuina, & ſalubris.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

THeophilactus apertius loquitur, quàm vt quicquam in eo sit annotandũ. Ipse enim se dilucidè explicat, & tamẽ Sectarius conatur sensum affingere, qui ex verbis non elicitur, sed verbis impudenti violentia à Sectario ingeritur. Theophilactus de ferro ignito nõ loquitur, nec vnionis mysterium tractat, quomodo caro Christi sit viuifica. Ergo totũ hoc extra Theophilactũ est. Illud apertè contrà est, videlicet quum Theophilactus dicat ꝙ panis nõ est figura & exemplar, sed in illud ipsum cõuertitur corpus, Sectarius audeat pro sensu exponere, quod non cõuertitur in corporalem præsentiam. Quis vnquã audiuit de alienis verbis quicquam impudentius fingi, vt cũ ipso archetypo componatur postea quo mendaciũ emineret? Nam si non sentit Theophilactus de corporali præsentia, cur diceret seruatas panis & vini species, nè carnẽ & sanguinem videntes non ferremus? quod enim sequitur, in virtutẽ corporis fieri mutationem, non ita accipiendũ est, quasi illud verbũ (virtutẽ) veritatem præsentis corporis neget: sed modus est loquẽdi non insolens, vt significatio nominis (virtus) genitiuo sequenti cõcludatur. Vnde à dextris virtutis dei, idẽ est quod à dextris dei, & nisi ita intelligeremus Theophilactũ, videretur quæ præcedunt inaniter dicta, & illa quæstio quam sibi proponit Theophilactus, (quomodo, inquit, caro nõ videtur) non videretur ex vero dissoluta, nec suo loco proposita, si nihil esset corporis præsens præter virtutẽ solã. Itaque Sectarius ipse illo suo (quamuis) in isto sensu suo excogitãdo non se sibi satisfacere significat. Vnde aditum mox parat ad aliud perfugiũ. Non sentit, inquit, Theophilactus de crassa & carnali, corporali, & sensibili mãducatione: in quorũ adiectiuorum ambiguitate sperat se posse latere Sectarius, & tuto negare sensisse Theophilactum quomodo Catholici non intelligunt ipsi Theophilactũ sensisse, tanquã in sacramẽto sit aliquid crassi, vt crassum sonat carni iunctũ, nec carnẽ quæ verè adest intelligimus carnalem ad sensuũ indiciũ: nã caro est spiritualis, nec corpus ad rationem nostrorũ corporum exhibitũ, & tamen verum corpus, & caro sua natura sensibilis, licet dei virtute sit ibi insensibiliter. Cętera quę hîc loquitur Sectarius, ostentationẽ quandam habent catholicorum verborũ, & imitationẽ inimicam quæ ad sensum construuntur lõgè

alienum

alienum ab eo quod ſenſit Theophilactus, qui animi ſui notionẽ ita extulit, & verbis dilucidis tã clarè depinxit, vt haud potuit clarius, qui eius ſenſus catholicus eſt verus, diuinus & ſalutaris, quum Sectarij commentum ſit vanum, diabolicum & pernitioſum.

CATHOLICVS EX THEOPHILACTO in Matthæum cap. 26.

PОrrò dicẽs, Hoc eſt corpus meũ, oſtendit quod ipſum corpus domini eſt panis, qui ſanctificatur altario: & nõ reſpõdens figura, non enim dixit, Hoc eſt figura, ſed hoc eſt corpus meũ. Ineffabili enim operatiõe trãsformatur, etiãſi nobis videatur panis, qui infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnẽ. & ideo panis quidẽ apparet, ſed caro eſt.

SOLVIT SECTARIVS.

VBI ASSERIT PANEM NON ESSE FIGV*ram corporis Chriſti, ſi intelligat vacuam aut inanem, rectè dicit: neque nos talem figuram ponimus, alioquin ſi prorſus negaret figuram eſſe, aduerſaretur cæteris patribus, quos apertè oſtẽdimus & ſignũ & figuram hîc ponere. Ait transformari, conuerti, & tranſelemẽtari, quas locutiones ſi accipiat ſacramentaliter, non abhorremus: nam panis & vinum ſacramenta fiunt, & tranſeunt in elemẽta diuinarum rerum, formãque induunt ſymbolicam. Cæterùm horror tollitur ſi ſtatuamus non in rem, ſed in virtutem fieri mutationem.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

THeophilactus negat figurã, quatenus figura opponitur veritati præſenti, & eſt rerũ haud præſentiũ expectatio, vel ſignificatio abſentiũ. Quatenus verò figura rem quæ verè ſubſit & adeſt, obuelat, occultat, & palliat, vt [redacted]ernardus: nõ ſic negat figurã Theophilactus, ſed tanquam in ſpiritu futurorũ præſcius, iſtis noſtris figuratoribus occurrit, qui per (figuræ) vocabulũ (quo tamẽ patres in hoc ſacramẽto interpretando & ſignificando vſi ſunt) ipſam præſentis corporis Chriſti veritatẽ conantur excludere, ſecundum quam figuræ acceptionem negat figurã Theophilactus. Sectarius autem vt ſuam figuræ fictionẽ venditet, eam conatur infarcire verbis. Nos, inquit Se-

ctarius, non ponimus figuram vacuã aut inanẽ. Inanissimam profectò, si comitatũ illum & strepitũ verborum sustuleris, quæ nulla efficaci significatione adiiciuntur ad pompam, videlicet potenter, efficaciter, exhibere, offerre: & post hæc, illud ipsissimũ verũ corpus, & quantũuis verborũ catholicorum: dum interim sua sibi retineant Sectarij sensa, corpus quod dicitur ipsissimũ & verum, nihilomagis præsens, licet offeratur, exhibeatur, potẽter, efficaciter: non dari autẽ, denique non esse opus vt detur, omnia peragi spiritu, dũ meditãtur symbolum cũ cãtico Zachariæ. Illud bellũ est quod dicit Sectarius, horrorẽ tolli, si statuamus non in rẽ fieri mutationẽ, quod & verum est. Sed quãuis horror tollatur sacramẽto, maneret profectò Theophilacto magna ineptiæ nota, qui de eo quod fateretur non adesse, si cũ Sectario sensisset, à se quærat cur non videatur: & pergat deinde dei nobis cõmendare misericordiam, qui quod dat, specie elemẽtorũ velet, ne cum horrore videamus: quum reuera secundum hunc Sectarium nihil adsit quod obueletur.

CATHOLICVS EX THEOPHILACTO in Ioannem cap. 6.

ATtende autem quod panis, qui à nobis in mysteriis manducatur, non est figuratio quædã carnis domini, sed ipsa caro domini. Nõ enim dixit panis quem ego dabo, figura est carnis, sed caro mea est. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticã benedictionem, & accessionẽ sancti spiritus in carnẽ domini. Et ne quẽ conturbet ꝙ credendus sit panis caro, etenim & in carne ambulãte domino, & ex pane alimoniã admittẽte, panis ille qui mãducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentũ & sustentationem cõferebat iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem domini mutatur.

SOLVIT SECTARIVS.

QVANVIS HAEC COLLATIO SIT VIOlentior, *tamen generaliter acceptam concedimus. Nam & in hoc sacramento mutationem sacramentalem non negamus. quod si dixeris te velle similitudinem hanc verè sumere, prout affertur: consequetur absurdum repugnans tuæ sententiæ, scilicet accidẽtia symbolorum nõ esse in hoc sacramento retinenda, quia ibi in alimento Christi dum hîc viueret,*

ueret,non ſeruabantur. At ſi vrgeas acrius,dixiſſe eum panem conuerti in corpus domini:obiiciemus,quòd idem dixit in Marcum,conuerti panem in virtutem corporis Chriſti:& ſic dicemus illam eſſe interpretationem horū verborum,quòd iſta ſymbola virtutem aſſumant rerum. His adiiciemus quod hic habet cap.6.in Io. Qui manducat me, viuet propter me:dum quodammodo miſcetur mihi,& tranſelementatur in me. Vbi rurſus vides eum ponere vt cæteri patres, tranſmutationem noſtri in Chriſtum.

CONFVTAT CATHOLICVS.

HIc locus Theophilacti ſenſit Oecolampadij fraudē, qui vocabulo (figuratio) addit excluſiuā (tantū) quæ excluſiua in Græcis nō eſt, vbi ſic legitur: καὶ ὅτι ἀντίτυπον τῆς σαρκός. Et nunc violētus hic Sectarius accuſat Theophilactum violentiæ, qui quàm poteſt apertiſsimè panis mutationem in ipſum Chriſti corpus explicare conatur, adhibito ſimili à mutatione, quæ fit per naturā, hoc eſt panis in corpus Chriſti,dū eo hîc in terris agēs veſceretur.Cui ſimilitudini vim facit Sectarius,quatenus dicit ſi illum prout affertur ſumeremus,accidentia panis vna cum ſubſtantia abirent:nam accidētia,inquit,ibi non ſeruabantur. fateor: ſed ſimilitudo mutationē reſpicit, & ſola ſubſtantia mutatur in naturā aliti, quum quantitas cum cæteris accidentibus licet deſinat, non mutetur tamen,vt iam conſequens ſit ſimilitudini ſolam ſubſtantiam panis & vini ſecreta poteſtate mutari,& igne cœleſtis ac diuinæ ſubſtātiæ abſumi,vt inquit Chryſoſtomus, quem hic Theophilactus præter cæteros imitatus eſt,vt illius ſententiam & vidiſſe & probaſſe iudicandus ſit,licet hanc mirabilem mutationem alia expreſſerit ſimilitudine.Quod Sectarius committit Theophilactū cum Theophilacto,ante diſſolutū eſt.De noſtra mutatione in Chriſtū,aliàs abunde dictū.[redacted]quatur Theophilactus,Chriſtū miſceri mihi,effectus eſt vnionis carnis cū Chriſto per myſticā benedictionē,de qua vnione dixi in Cyrillo & Hilario. Tranſelemētationis ſignificatio, rei cui exprimendæ adiicitur,accōmodanda eſt,ne veritati præiudicet,ſed ſubſeruiat,hoc eſt, vt carnis Chriſti ſubſtantia propter myſteriū vnionis ipſa manēte ita cēſeatur mea,ac ſi in meā demigraſſet,& ad minuendā trāſelemētationis ſignificationē additur quodāmodo.

CATHOLICVS EX DAMASCENO LIB. 4. CA. 14.

SI igitur verbum Dei viuens est & efficax, & omnia quæcunque voluit fecit, &c. Si volens ipse Deus verbum factus est homo, & ex sanctæ virginis purissimis & illibatissimis sanguinibus, in se ipse sine semine carnis sustentauit: non potest panē sui ipsius corpus facere, & vinum & aquā sanguinem. Dixit in principio, producat terra herbā virentem, & vsq; nunc pluuia facta producit germina, diuino coadiuta & vigorata præcepto. Dixit Deus, Hoc est corpus meū, & hic meus est sanguis, & hoc facite in meam commemorationē: & omnipotenti eius præcepto donec veniat efficitur, &c. Nam quemadmodū omnia quæcunque fecit dominus, spiritu sancto operante fecit: sic & nunc spiritus sancti operatione, hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides.

SOLVIT SECTARIVS.

HOC GENVS ARGVMENTI A POTENTIA, *est infirmißimum, neq; de potentia Dei est nunc disputatio, quandoquidem non negamus Deū posse panē in carnes conuertere, sed tota contentio est num id facere velit. Quod dicit supra naturā ista contingere, admittimus: nō enim est naturale vt ex communi pane sacramentū fiat, sicuti nec ex aqua constituitur naturaliter lauacrum regenerationis.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

NON arguit Damascenus à potentia factum fuisse, sed quia voluit Christus, probat à potētia factum esse. Et voluisse Christum ex illis verbis probat: Dixit enim, inquit, Hoc est corpus meum. In baptismo miramur effectum: In Eucharistia verò præter effectum ipsam miramur sacramēti constitutionē, quomodo ex pane fiat caro, quod est supra naturam, quod nō intelligit nisi sola fid[redacted]panem significare corpus, ipsa facilè ratio comprehendat.

CATHOLICVS EX DAMASCENO.

NON est figura panis & vinum, corporis & sanguinis Christi. Absit enim hoc: sed est ipsum corpus domini deificatum, ipso domino dicente, Hoc est meū: non figura corporis, sed corpus, & non figura sanguinis, sed sanguis.

Soluit

SOLVIT SECTARIVS.

AD HOC ARGVMENTVM SVPRA RE-*ſpondimus. Et ſi iſte quum negat ſacramentum eſſe corporis, id ſimpliciter intelligat, aduerſum ſe habet omnes patres, qui figuram hîc agnoſcunt. Sin verò intelligat, non eſſe figuram, id eſt caſſum aut vacuum ſignum, nos quoque id libenter damus.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

ET illam huius Sectarij reſponſionem quàm inepta eſſet, antea excuſsimus, neque enim velamentũ negant catholici, quod miſericors dominus noſtræ infirmitati condeſcendens, panis & vini ſpeciebus ſeruatis addidit, & hoc ſpecierum velamentũ figuram & ſignum patribus dici conſtat. Sed negat figurã Damaſcenus, quomodo Theophilactus negat illam, videlicet quæ veritati opponitur, non quæ ſubſeruiat præſenti in ſacramento veritati. Quod autem figuratores noui fingunt, & re eſt caſſum, & ſenſu craſſum.

CATHOLICVS EX DAMASCENO.

PRoinde omni cum timore, & cõſcientia pura, & indubitabili fide accedamus: & omnino fiat nobis quemadmodũ credimus, nõ dubitãtes, & veneremur ipſum omni puritate animi & corporis, accedamus ei deſiderio ardenti, manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus ſuſcipiamus.

SOLVIT SECTARIVS.

NON DICIT DAMASCENVS SACRA-*mentum eſſe venerandum aut adorandum, vt papiſtæ loquuntur, quod eſt planè Idololatria: ſed quod debemus venerari Chriſtũ, Deum & hominem, & tamen non eſt adorandus in pane & vino, ſed ſedens in cœlo c*[redacted]*exiſtens ſpiritualiter intra nos.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

OMiſſa inuidioſa collatione quam facit Sectarius, Nónne inuitat Damaſcenus vt cum fide accedãt, & accedant ei? quæro cui ei? niſi corpori præſenti, id eſt, Chriſto præſenti in Euchariſtia? & quũ manus in modum crucifixi formari iubet, ánnon geſtum exigit confeſsionẽ crucifixi præ ſe ferentem, dum

Chrysostomus in Liturgia. tem, dũ præsentis crucifixi corpus suscipit in sacramento? in quo loco Chrysostomus voluit adorãtes dicere: Deus propitius esto mihi peccatori. Emisenus accedenté ad altare iubet respicere corpus Dei *Emisen' in orat. de corpore.* sui, honorare, & mirari. Augustinus à certa Eucharistiæ adoratione reperisse se dicit intellectum illorum verborum Dauidis, Adorate scabellum pedum eius. Ambrosius eundem Dauidis locum inter- *August. in Psalm. 98.* pretans, ait se adorare crucifixum in mysteriis. Et hic Sectarius nihil aliud quàm verbis obstrepens, admonet Christum sedentem in *Ambrosius de spiritu sancto li. 3. cap. 12.* cœlo adorandum, quasi quisquam id neget, aut quasi adoratio quæ Christo in sacramento fit, ad eundem qui simul in cœlo est, non etiã pertineat & portendatur.

CATHOLICVS EX DAMASCENO.

Carbonem vidit Esaias. Carbo autem simplex non est, sed vnitus igni, sic panis communionis non panis simplex est, sed vnitus diuinitati: & corpus vnitum diuinitati, nõ vna ac eadem illi natura est, sed vna corporis, vnitæ diuinitatis altera. quare amborũ simul non vna natura est, sed duæ.

SOLVIT SECTARIVS.

HAEC NOS LIBENTER ADMITTIMVS, *quia non dicimus hîc esse panem communem aut simplicem, sed iam sanctificatum, conuersúmque in naturam sacramenti. Et diuinitas idcirco potest dici ei iuncta, quòd ipso vt instrumento vtatur spiritus sanctus ad nostram salutem.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

Ita se aperit Damascenus, vt per panem communionis intelligat ipsam Christi carnem, quæ non simplex est caro, sed vnita diuinitati: quia corpus, in[redacted] diuinitati non est effecta diuinitas, vt sit per vnionem vna natura, sed amborum simul est non vna natura, sed duæ, quemadmodum carbo quẽ vidit Esaias, non erat simplex carbo, sed vnitus igni. Quòd si de externo elemento vniendo sensisset Damascenus, carni potius diceret vnitũ quàm diuinitati, quoniam ex carne cœlesti consistit sacramentũ, quæ datur manducanda. Sed Damascenus de carbone ignito loquens, qui communiter apud patres vnionis in Christi per-

ſti perſona naturarum myſterium exprimit: confert illi panem communionis, id eſt, cibum dominicũ carnis Chriſti: qui panis, inquit, id eſt, qui cibus carnis non eſt ſimplex, ſed vnitus diuinitati, &c. Sectarius arripit vocẽ panis, & diſsimulans quod additur cõmunionis, dicit ſe fateri non eſſe panem communem, quaſi nihil intereſſet, communem dicas an communionem, & verbum (ſimplex) accipit Sectarius, homo ſimplex videlicet ipſe, quaſi opponeretur ſanctificato: quum Damaſcenus oſtendat ſanctificati panis, id eſt, cibi non eſſe naturam ſimplicem, nam ſanctificatio intelligebatur in verbo communionis, qua ſanctificatione ex pane communi, id eſt, triticeo factus eſt panis, id eſt, cibus carnis Chriſti. Et pergit inde Sectarius docere quomodo vnita dicatur pani materiali diuinitas, qualẽ vnionem præter hunc nemo ſomniauit, vt quod eſt inſtrumẽtum merũ, dicatur vtenti vnitũ, & ita vnitum quomodo ignis adeò vnitur carboni, imò ineffabiliter, quomodo natura humana vnitur diuinitati in Chriſto. Sed in has proruũt inſanias, qui à fide catholica aberrant. Hîc ſi Sectarius ſe tueatur ꝙ vtatur verbo coniunctionis, non vnionis, nihil eſt. Nam niſi per cõiunctionem ſentiat vnionem, loquitur aliena ab ipſo Damaſceno, cuius ſenſum vult videri referre.

CATHOLICVS EX DAMASCENO.

NEque & hoc etiam dictu promptum, quomodo naturaliter per comeſtionem, panis & vinum & aqua, per potionem in corpus & ſanguinem comedentis & bibentis tranſmutatur, & non fit aliud corpus præter quod prius erat ipſius: ſic & propoſitionis panis vinúmque & aqua, per inuocationem & aduentum ſpiritus ſancti ſupernaturaliter tranſmutãtur in corpus & ſanguinem Chriſti: & nõ ſunt duo, ſed vnum & idem.

SOLVIT SECTARIVS.

VT [redacted]VPERIVS QVVM DE THEO-*philacto loqueremur, ſi accipias generaliter hoc ſimile, & applices admutationem ſacramentalem, ſatis eſt: ſin verò ſpecialiter volueris collationem fieri de tali mutatione, qualis eſt alimẽti in corpore noſtro, quando conuertitur in carnem: tunc nõ cedere facies naturam panis, ſed etiã eius accidentia. Quod poſtea ſubdit non ſunt duo, ſed vnum, ſi referas vnum ad calicem & panem, quaſi iſta dicat vnum ſacramentum eſſe,*

non multum laboramus, quamuis accipiendo geminam partem ſacramenti huius non vereatur eccleſia numero multitudinis dicere ſacramenta hîc eſſe, vt in collectis, Sacramenta quæ ſumpſimus: ſed ſi dixeris vnum ſunt, ita vt quaſi poſt conſecrationem iam panis & corpus Chriſti vnū ſint, & non duo, ob incidentem tranſubſtantiationē: opponimus ſententiam Irenæi, qui ſcribit Euchariſtiam conſtare ex duabus rebus, terrena & cœleſti. Itē Gelaſium Papā, qui probat à coniunctione panis cū corpore Chriſti, manentibus naturis integris, vnionē naturæ humanæ & diuinæ in Chriſto manente vtraque integra & inuiolata.

CONFVTAT CATHOLICVS.

VErba Damaſceni vno tantùm modo accipi poſſunt, vt non ſit locus diſtinctioni quam proponit Sectarius de generali & ſpeciali acceptione. Aperiunt enim clarè tranſmutationē, quam operatur ſpiritus ſancti inuocatio, efficere videlicet vt panis & vinū & aqua, ita ſupernaturaliter tranſmutentur in corpus & ſanguinē Chriſti, vt iam non ſint duo, ſed vnū & idem, vt quemadmodum in tranſmutatione naturali nō manet ſubſtantia panis cū corpore noſtro, vt duo ſint corpora, alterū panis, alterū carnis noſtræ, ſed vnū corpus carnis in quod panis mutat⁹ eſt: ita in trāſmutatione ſupernaturali vna manet ſubſtātia corporis, in quā panis mutatus eſt, & itē ſanguinis, in quam vinū & aqua mutata ſunt mutatione mirabili. Nihil eſt in hoc Damaſceno hoc in loco obſcuritatis, nihil ambiguitatis. Quod autē in tranſmutatione ſupernaturali ſola ſubſtantia mutetur manentibus accidētibus, aliter atq; in trāſmutatione naturali fit: cauſam expoſuit Theophilactus, qui ait miſericordem dominū dum noſtræ cōdeſcenderet infirmitati, ſeruaſſe ſpecies elemētorum, ne nos horror turbaret. Quod Sectarius minatur ſe obiecturum Irenæum, qui dicit Euchariſtiā conſtare ex duobus: nihil eſt. Nā & calix ex duobus cōſtat, vino & aqua: & tamen per confuſionē naturalem deſinit eſſe ſubſtātia aquæ. Et terrena accidentia manēt in Euchariſtia, quorum ſubſtantiam abſumpſit ignis diuini corporis, ſecundum Chryſoſtomū. & Gelaſio antea reſponſum eſt, ne hîc ſit neceſſe repetere, qui nō ita preciſè loquitur ſuis verbis, quomodo hic de eius verbis narrat Sectarius, vt vbi Gelaſio reſpondetur poteris videre.

Catho-

CATHOLICVS EX CONCILIO EPHESINO.

NEcessariò igitur & hoc adiicimus, annunciantes enim sicut secundum carnem mortem vnigeniti filij Dei, id est, Iesu Christi, & resurrectionem eius, & in cœlos ascẽsionem pariter confitẽtes, incruentam celebramus in ecclesiis sacrificij veritatem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus & sanctificamur, participes sancti corporis & preciosi sanguinis omnium nostrum redemptoris effecti, non vt communem carnem percipiẽtes, quod absit, nec vt viri sanctificati & verbo coniuncti secundum dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem: sed verè viuificatricẽ, & ipsius verbi propriam factam.

SOLVIT SECTARIVS.

NON CONTENDVNT ILLI PATRES, *neque conantur astruere quòd in pane latitet caro Christi, sed in sacramento volunt nos eam comedere, & quidem verè ac talem comedere, quæ nobis vitam æternam donet. Quæ nos minimè negamus, modò esus ad animum & fidem intelligatur pertinere. Nam in sacramento manducare spiritualiter, sed verè carnem Christi concedimus, nec vnquã fingimus talem quæ seiuncta & diuisa sit à diuina persona verbi.*

CONFVTAT CATHOLICVS.

ILlud est huic Sectario proprium & perpetuũ, vt quoties arctè prematur, loquatur aliena, & verba quædam ea arte concinnet, quæ imitationem quandam veritatis habeant, quum sensum contineant vel nullum vel vanum. Tractant ij patres ecclesiæ sacrificiũ incruentum, & quomodo sanctificamur participatione corporis & sanguinis Christi, & quomodo percipimus carnem Christi, nõ vt carnem communem, &c. sed vt verbi propriam. De pane nulla mentio, sed veræ præsentiæ corporis Christi certa expressio, cuius probãdæ causa conciliũ citatur à catholicis. Concilium autem loquitur de sacramentali mãducatione, vbi quod fide creditur, ore percipitur, & hoc sensu effertur participiũ (percipiẽtes,) vt esus intelligatur qui fit perceptione oris, cui quidem vt digna sit manducatio, fides cordis adsit oportet, & animi defecati synceritas. Sectarius autem nugatur, & lo

quendi formulis veritatem eludit. Nam quũ omnia huius Sectarij verba excusseris, quæ pulchrè hoc loco instruxit ad fallaciam: sensus huc redit vt tot verbis speciosis nihil aliud dixerit quàm credere, quod est illi comedere in sacramento, & carnẽ verè manducare quæ vitam æternam donet. At verò concilium id agebat, vt quod dicitur corpore & sanguine Christi constare sacrificiũ ecclesiæ, cuius participatione sanctificamur: ita intelligeremus proprium videlicet verbi corpus & sanguinem dici. Verbum enim increatum licet natura sua incorporeum sit, ideóq; nec esibile (vt Cyrillus ait:) habet tamẽ corpus quod sumpsit ex virgine, quod ineffabili vnione propriũ fecit, vt iam quemadmodũ spiritus sanctificat & viuificat natura sua: sic etiam caro Christi sanctificat & viuificat propter spiritus ineffabilem vnionẽ, vnde sacrificium ecclesiæ, quod corpore & sanguine Christi constat, dicitur & est viuificum, cuius per mysticam benedictionem participatione sanctificamur. Quam carnis Christi sanctificationẽ hæc sancta patrum concio contra Nestoriũ confitetur, qui personarum in Christo distinctione id diceretur vel negare vel infirmare. Vnde hic locus qui tam apertè explicat sanctificationem carnis, quam etiam fatetur à nobis percipi, omnes semel prosternit figuratores, quos percellit acerrimè. Itaq; Oecolampadius vt quod à patribus Græcè dicebatur, sua Latina traductione extenuaret, à publica trãslatione dissentit, & Græca suo modò Latinè refert, iis verbis: Incruentũ in ecclesiis perficimus cultũ, accedimúsq; sic ad mysticas benedictiones, & sanctificamur efficimúrq; participes sanctæ carnis & preciosi sanguinis nostri omnium seruatoris Christi. Cæterùm quoniã additis Græcis hæc certius poteris iudicare, non grauabor adscribere ipsa græca: τὴν ἀναίμακτον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τελοῦμεν λατρείαν, προσίμεν τε οὕτω ταῖς μυστικαῖς εὐλογίαις, καὶ ἁγιαζόμεθα μέτοχοι γινόμενοι τῆς ἁγίας σαρκός, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ πάντων ἡμῶν σωτῆρος Χριστοῦ. Quæ verba publica editio fideliter reddit, & maximè vim verbi Græci (τελοῦμεν) quomodo nunc habet accusatiuũ (λατρείαν) vt simul significent, celebramus sacrificij veritatem. Verba enim sacrorum propria sunt τελέω & λατρεία, quæ tamẽ in prophanis vsurpantur: & prophanat verbũ τελοῦμεν Oecolampadius, dum Latinè reddit hoc in loco perficimus. Sed eo cõsilio callidè fecit, vt probaret suis, ecclesiæ cultum perfici sola annunciatione mortis, resurrectionis, & ascensionis, siue meditatione mentis

Cyrillus ad Theodosiũ de recta fide.

Oecolampadius in dialogo cũ Nathanaële suo.

ne mentis accipias, siue profeſsione oris: quum iis verbis concilium id ſignificet, nos dum celebramus ſacrificiũ incruentũ, non ſolùm annuntiare mortẽ domini, cuius memoria præcipuè agitur: ſed pariter confitemur reſurrectionẽ & aſcenſionẽ Chriſti, vt ſicut Chriſtũ in morte agnoſcimus verũ hominẽ, ſic eundẽ qui mortuus eſt, quatenus & reſurrexiſſe & aſcendiſſe cõfitemur, ſimul videamur quod veritas exigit agnoſcere verum deum. Et hoc eſt de Chriſto integrã veritatẽ profiteri, quod ex eccleſiaſtica traditione in ſacrificio celebrando fit, quod hoc conciliũ iis verbis ſignificat, & cũ eadem confeſsione accedimus ad participationẽ huius ſacrificij, id eſt carnis & ſanguinis Chriſti, & ideo græca ſunt προσιμέντι οὕτω. Vbi illud (οὕτω) nõ eſt ordinis, quomodo nos vellet intelligere Oecolampadius, dũ ſuum latinũ (ſic) ita locat, quaſi ſignificet deinde, ſed οὕτω græcè ſonat eo modo quod (ſic) latinum explicat, ſed ita locatum quomodo habet tranſlatio publica. Nam (ſic) latinum ambiguũ eſt, vt deinde ſignificet, vel eodẽ modo. Et ita ſenſêre patres nos cum eadem confeſsione ad communionẽ accedere, qua ipſum ſacrificium celebrauimus, hoc eſt in celebrãdo ſacrificio profeſsi ſumus. Quod autem in græcis eſt ſanctificamur effecti participes, &c. ibi Oecolãpadius ne intelligatur nos ſanctificare caro, vnum orationis membrum in duas ſecauit partes, & addidit de ſuo coniunctionẽ, qua denuò necteret. Nam participium γινόμενοι græcè, quod publica editio reddit (effecti,) ſeruit verbo ſanctificamur ἁγιαζόμεθα, vt ſenſus ex verbis cõcilij exiſtat huiuſmodi, quo intelligamus ſanctificationem conſequi ex participatione carnis & ſanguinis, nã huc maximè ſpectat hæc cõcilij profeſsio. Quod tamen ne ita accipiamus ſic vertit Oecolampadius, ſanctificamur, efficimúrque participes corporis & ſanguinis. Nã cuperet Oecolampadius intelligi vt à ſanctificatione quæ ſpiritu fiat, conſequatur effectus participationis carnis. Itaque inuertit Oecolampadius ſacri cõcilij ſenſum, mutatione participij in verbũ, & addita coniunctione, vt quod concilium habuerat pro cauſa, nos authore Oecolampadio & eius tranſlatione decepti intelligeremus eſſe effectũ, & quod concilium effici diceret, nos interpretemur cauſam. Dixerit aliquis, ánnon probabile eſt ſanctificari nos ſpiritu antequam percipiamus Chriſti corpus? Eſt ſanè, nam alioqui non ſanctis & impuris diuina officerẽt, vt Auguſtinus ait. Sed illud eſt pro- *Aug. cõtra Creſconiũ lib. 1. c. 25.*

Apoca.22. fectò, Qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Et in hoc mysterio totus Christus deus & homo, totum hominem animã & corpus, suo corpore sanctißimo connectit & spiritu, & quoniam carnis fit vnio, futuræ etiam in resurrectione regenerationis pignus dat, quod est (vt *Hilarius de Trinitate lib.8.* Hilarius inquit) perfectæ vnionis sacramentum. Quoniam autem hic noster labor iam ad calcem perductus sit, operæpretium visum fuit datam occasionem arripere, vt etiam illius impostoris fraudes tibi annotem, qui venenũ hoc nostris temporibus propinauit, Oecolampadium dico, quẽ nihil puduit, nec religioni fuit in errorem tã perniciosum dolis ac fallaciis alios protrahere, alibi corruptis græcis ipsis, alibi Latinè malè redditis, nunc verbis additis, nunc detractis, interdum motis loco, ne suum sonum & sensum redderent, sed quẽ cuperet ille alienũ, qua præcipuè nota parentem referunt, qui ab illo *Ioan.8.* sunt, quomodo Christus dixit: Vos ex patre diabolo estis, & opera eius facitis. In vno quippe ludo omnes docti sunt ad malitiam. Nã *Græca scholia in eodẽ loco.ca.3. Heb.2.* & de Nestorianis notatur quomodo illud diui Pauli ad Hebræos: ὅπως χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου: ita corruperant, vt ex verbo χάριτι, fecerant χωρὶς, vt eorum insaniæ locus suffragetur. Christum videlicet absque deo passum mortem, vnde personarum distinctio colligeretur, ita veritatem dei in mẽdacium commutant homines, non ea pœna deterriti quam nõ cessat infligere deus, vt in reprobũ sensum dati dicant quæ non constent, quæ non quadrent, quæ non cohæreant, quæ stultitiam denique eorum detegant, quum cupiant haberi sapientes, eò etiam dementiæ prolapsi, vt quorum conuersationis exitum abominandum viderunt, maluerint tamen eorum perfidiam imitari, quàm tot & tantorũ sanctißimorum testiũ verã, indubitatã, & catholicã fidem. Sed vt primis præterita seculis omittam, conuenerunt in Laterano Metropolitani septuaginta Episcopi *Conci. Lateranense cap.1.* quadringenti, qui hanc quã subiiciã confeßionem vnanimes ediderunt: Vna verò est fidelium vniuersalis ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In qua idem ipse sacerdos & sacrificiũ Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter cõtinentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinẽ potestate diuina, vt ad perficiendũ mysteriũ vnitatis excipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Hęc illi paucis, simplicibus, & efficacibus verbis: quibus ipsam veritatẽ castißimè ex-

mè explicant, nec quicquam dicunt quod non didicerant à maioribus,& acceperant traditione, vt nulla sit causa quur fides hæc ab illis inuenta aut excogitata (quod isti figuratores calumniantur) diceretur,qui quomodo didicerant & acceperāt,verbis compendiosis & significantibus nobis posteris tradiderunt. Quorū verba singula vt notemus,quod ipsi asserunt Christū esse sacerdotem & sacrificiū apud multos,recentis ecclesiæ patres illis ipsis verbis scriptū legitur. Tum illud autē corpus Christi verè contineri in sacramento, à multis proditum reperitur, ita tamen vt quod ij veraciter, illi dicant in veritate. Quatenus verò in fine de mysterio loquuntur vnitatis, ex Hilario hauserunt & Cyrillo,ac plerisque aliis. Sensum porrò eius quod de transubstantiatione dicunt, ex Chrysostomo authore celeberrimo collegerunt,qui dicit absumi mysteria substantia corporis. Quod dictū nemo veterum in illo improbauit. Et potuissent tum extare alij plurimi qui in eandem scriberent sententiam, quorū scripta interciderunt quo minus ad nos peruenirent. Eorum certè qui extant plerique omnes elementorum mutationē fieri dicunt, vel cōuersionem,transelementationem,aut transitionē,qui omnes veram corporis Christi substantiam fatentur præsentē. Quòd siqui aliter loqui videātur,qui sunt paucissimi, si omnino sint aliqui,æquius est ita eos candidè interpretari (quod & Augustinus monet,) vt cum aliis consentiant potius,quàm vt ab illis dissentiant, quando etiā diuersæ loquēdi causæ,diuersas pariant loquendi formulas. Adeò magna est istorū temeritas, qui tam clara huius veritatis vestigia in scriptis patrum cernāt, vnius verbi transubstantiationis nouitate sic offendantur,quasi res simul cū verbo nasceretur, quod est vt iam ostendi longè secus. Et magno cōsilio vsi vidētur verbo hoc trāsubstantiationis illi patres in Laterano, verbo inquam ad extinguēdas contentiones illis temporibus ortas necessario, & eodem ad exprimendam veritatem idoneo & simplici: vt vnam nimirum substantiam significarent esse in sacramento corporis, atque eam corporis Christi,in quam desinit illa panis substantia,atque item de vino: illas sententias vno verbo exprimentes quas apud patres legerant, videlicet,fuit panis,nunc est corpus:fuit vinum,nūc est sanguis:& itē, illa substantia panis nunc non est, ista substātia corporis nunc est, & similiter de vino. Atque has sententias vnum hoc verbū transubstā-

tiatio

tiatio simpliciter, aptè & dilucidè exprimit. At huic veritati recal-trant figuratores, qui omnem substantiæ mentionem horrent, velu-ti ab rabido morsus cane aquam. Paulus de veteribus dixit, omni-in figuris cōtigisse illis, quod & isti nobis cōpetere vellent, quibu-eadem prorsus esse cū veteribus sacramenta cōtendunt. Interim om-nem mouent lapidē, vt explosa veritate substituant mendacium, sed frustrà. Nam veritas in seculum stabit, impiorum malitia corruet. quod quotidianis liceret exēplis cognoscere, quibus isti nihil deter-rentur. Nā Paulus veritatis præco, non sine causa dixit, oportet hæ-reses esse, non rei necessitatem indicans, sed hominū notans vitium quorū improbitatem deus vertit in gloriam suā. Ergo cōuertamus ad dominum, & oremus eum ne nos inducat in tentationē, qui no-uit suos de tentatione eripere, & dare solet cū tentatione prouentū. Magnum est scandalum, sed maior & potentior dominus, in cuius vnius manu est corda hominū à mendaciis auertere, & conuertere ad veritatem, quíque potest efficere, vt vnanimes tandem in domo ipsum omnes agnoscamus omniū fabricatorem & rectorē dominū vno ore, vna lingua, vno sensu, vnis verbis, summa consonantia vo-cis, & conspiratione animorū cōgrua in spiritu & veritate colamus, vt quam nos veritatem docuit spiritus, eā firmiter & constanter re-tineamus, id apertè confitentes, Christū, qui semel corpus dedit in precium, idē dare nobis quotidie in cibum, ibi visibiliter humano more, hîc inuisibiliter in diuino & arcano sacramento: ibi vt regni faciat capaces, hîc vt regni faciat possessores: vt quos redemit per gratiam, vno eodémque corpore pastos perducat ad gloriam, vt quē in sacramento nobis inuisibiliter præsentem fide cognoscimus, ple-na tandem visione facie ad faciē contemplantes, eodē fruamur, qui cum patre & sancto spiritu in eadem diuinitatis essentia regnat deus in secula æterna benedictus. Amen.

1.Cor.10.

1.Cor.11.

FINIS.


Excudebat Lutetiæ Parisiorum Benedictus Preuotius, Typographus, in vico Frementello, ad clausum Brunellum, sub insigni stellæ aureæ, anno M.D.LII. XIII. Cal. Augusti.

N.o 50

CONSTANTIUS.

CONFUT. CAVIL.

CONTRA EUCHARIST



.antonio de eucharistia.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm